Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Martyrum historia. : Hoc est, maximarum per Europam persecutionum ac sanctorum Dei Martyrum, caeterarúm?que rerum insignium, in Ecclesia Christi postremis & periculosis his temporibus gestarum, atque certo consilio per Regna & Nationes distributarum, Commentarij. Pars secunda.

https://hdl.handle.net/1874/433117

MARTYRVM HISTORIA, HOC EST, MAXIMARVM PER EVROPAM PERSECVTIONVM AC SANCTORVM DEI Martyrum, cæterarum'que rerum insignium, in Ecclesia Christi postremis & periculosis his temporibus gestarum, atque certo consilio per Regna & Nationes distributarum, Commentarij.

PARS SECVNDA.

QVVM autem in prima parte Martyres saltē Angliæ & Scotiæ, à D. Ioanne Foxo Anglo, superioribus annis sint annotatæ, hac demum secunda nunc primùm res memorabiles Martyrū per Germaniam, Galliam, et Italiam à Ioannis Hussi tempore ad præsentem 1563 annum gestæ, copiosissimè quàm uspiam alibi continentur. Quarum Catalogum statim post Præfationem subiecimus. Opus sanè omnibus Christianis utilissimum, summaq; consolatione & doctrina refertum.

Authore HEINRICO PANTALEONE Ordinario Physico in Academia Basilienſi.



BASILEAE PER Nicolaum Brylingerum Anno 1563.

DEO O. M. S.

ILLVSTRISSIMIS ET CLEMENTISSIMIS PRINCIPIBVS ET DOMINIS, DOMINO *PHILIPPO PATRI CHRISTIANÆ RELIGIONIS PIO CONFESSORI*, ATQVE DOMINIS GVILHELMO, LVDOVICO, PHILIPPO, ET GEORGIO, CAETERISQVE PHILIPPI CONFESSORIS MAXIMAE SPEI LIBERIS, DEI GRATIA HASSORVM LANDGRAVIIS, CATTORVM, DIEZENSIVM, ZIGENHAVIORVM, ACNIDDENSIVM ETCAET. COMITIBVS: CHRISTIANAE ECCLESIAE PATRONIS, GERMANICAE LIBERTATIS VINDICIBVS, MVSARVM ALVMNIS, ET STVDIORVM HISTORIARVM MECOENATIBVS, HEINRICVS PANTALEON BASILIENSIS, S. THEOLOGIAE LICENTIATVS, PHILOSOPHVS, ET MEDICVS OBSERVANTIAE ET GRATITVDINIS ERGO D.D.D.

ILLV

ILLVSTRISSIMO ATQVE CLEMENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO PHIlippo Dei Gratia Hassorum Landgrauio, Cattorum, Diezenſium, Zigenhauiorum, ac Niddenſium &c. Comiti, Confeſſori optimo, Dominoq; ſuo clementiſsimo, Heinricus Pantaleon Baſilienſis gratiam & pacem à Deo Patre per Ieſum Chriſtum precatur ſempiternam.

INter alias ſacrarum Literarum ſententias, illuſtriſsime princeps, non immeritò doctrina & conſolatione refertiſsima cenſetur ea, quæ apud Euangeliſtam Ioannem 3 cap. extat: *SIC DEVS DILEXIT MVNDVM, VT FILIVM SVVM VNIGENITVM DARET, VT OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON PEREAT, SED HABEAT VITAM AETERNAM.* Quemadmodũ enim Ieſus Chriſtus ſapientia atq; imago æterni Patris, dum Mundum in Religione inſtituerat, eandem ueriſsimam protulit, ita non modò aureis literis in parietes hinc inde, uerùm etiam firma fide in interiora cordis penetralia inſcribenda, ut perpetuò, præſertim tẽpore crucis & afflictionis, eius eſſemus memores. Nam hæc ſummam totius Legis atque Euangelij breuiſsimè continet. Primò enim oſtendit genus mortaliũ adeoq; totum mundum primorum Parentum pręuaricatione & inobedientia labem contraxiſſe ineluibilem, in iram Dei incidiſſe maximam, mancipium factum diaboli, atq; quantum in ſeſe erat æternò pereundũ fuiſſe. Secundò uerò quòd homo labe peccati fœdatus nullis legis operibus aut traditionibus humanis Deo reconciliari, & peccatorum remiſsionem mereri potuerit, ſed potius hic tantum intellexerit carnis malitiam repugnantem uoluntati Dei, ut ueriſsima ſit ea ſentẽtia: per legem agnitio peccati. Tertiò autẽ oſtendit nobis hęc Chriſti ſententia Amorem Dei erga genus humanum, atque qua ratione uelit placari, nimirum in filio ſuo unigenito. propterea adeò nos dilexit, ut proprio filio ſuo non pepercerit, uerùm in carnẽ dederit atque cruci expoſuerit, quò ſit noſter uerus mediator, atque ſacerdos æternus, iuxta ordinẽ Melchiſedech. Quartò tandem manifeſtiſsimè hoc loco declaratur, qua nã ratione hoc Chriſti meritum nobis ſit applicandum, utpote ſola fide, ne quid noſtris uiribus tribuamus. Quid quæſo apertius ea breuitate à Saluatore noſtro dici potuiſſet? hic nihil quod ad ſalutem pertinet deeſſe, nihilq; ſupereſſe, nemo nõ uidet. Quicquid etiam in ſacris literis paſsim proponitur, ad explicationem huius ſententiæ ſaltem pertinere uidetur. Nam duo priora Legis, duo poſteriora Euangelij ſcopum oſtendunt.

Sententia una legem & Euãgelium complectitur.

Vt autem hæc quatuor ad Genus humanum accommodemus, & declaremus in quibus Religiones hominum, iam inde à lapſu Adæ, conueniant & diſcrepent, certum eſt quod in Primo huius ſententiæ puncto omnes homines Iudæi, Chriſtiani, Turcæ, & Gentes conſentiant. Omnes enim carnis infirmitatem agnoſcunt, & quod nihil ſit ab omni parte beatum. propterea lex naturæ omnium mentibus inſcripta, ut illa mediante prauis cupiditatibus reſiſtatur. Hinc etiam fit ut homo ſympathia quadam mirabili erga omnẽ hominẽ afficiatur. In ſecundo uerò omnes Gentes terrarũ Deorumq; uanorũ cultores deficiunt. Illi enim hanc naturę infirmitatem uirtutibus quibuſdam & externa iuſtitia reſtitui poſſe arbitrantur, ut nullo alio mediatore opus

Religionũ conuenientia & diſcrepantia.

habeant. Verum Iudæi & Christiani, adeoq; et Turcæ, qui ex Iudæis & Christianis religionem mixtam habent, hic ferè conueniunt, agnoscentes Mediatore quodam nobis opus esse. Hinc magis abhorremus Gentes qui Solem, Lunam, homines, creaturas uarias, atque impura animalia sibi Deos finxerũt, quàm Turcas aut Iudeos. In tertio soli Christiani à Christo capite dicti conueniũt. Cùm enim Iudæi præter Christum Iesum Mariæ filium, in quo offensi sunt, alium terrenum quendam Messiam sibi imaginentur, atque Turcę cum suis sectatoribus impostorem illum Machometem respiciant, Christiani sese hic ab illis seiungentes, Christum Dei filium esse agnoscunt, sanctãq; Trinitatem confitentur, Apostolicum symbolum in Ecclesijs passim decantant atq; domi pronuntiant, libenterq; Dei filium crucifixum, saluatorem & Dominum suum adorant. Hinc ab alijs gentibus omni tempore odio habiti, atq; hinc inde ad supplicium rapti fuêre, ut multa millia martyrum in prima Ecclesia extiterint. In quarto uero, proch dolor, etiã Christiani à se inuicem dissident: hic enim omnis cardo uertitur, qua nam ratione Christus filius Dei nobis applicãdus sit: omnes quidem fatentur Christũ datum à patre ut mundum sibi conciliet, omnes credunt eius morte nos liberari, & filios Dei fieri: sed in eo uariatur, quòd Pontificij per media quædam à Monachis aut alijs superstitiosis hominibus (præter Dei Verbum) excogitata, utpote per Missas, longas orationes, simulata ieiunia, sanctorum inuocationes, operum merita, uarias ceremonias, atq; humanas traditiones, existiment homines dignos fieri, quibus sese Christus insinuet. Quod si etiam aliqui in hac uita quædã horum omiserint, id in Purgatorio resarciendum, donec tandem anima per indulgentias Pontificis, aut sacerdotum uiuentium coempta opera, aut temporalem pœnam repurgata, ad cœlos auolet. Sed Deum immortalẽ quid hoc aliud est, quàm Christi meritum obscurare, atq; corde & opere aliud agere, quàm ore fatearis. Nos itaque quibus Euãgelij doctrina, Dei misericordia, ultimis his temporibus patefacta & detecta est, fatemur & credimus ex animo, nos gratuitò sola Christi morte patri reconciliatos, atq; innocenti eius sanguine repurgatos, ut nullis alijs medijs opus habeamus, uerum quod sola fide passionem eius nobis firmiter applicemus, atque iustificemur gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus reconciliatorẽ, per fidẽ, interueniẽte ipsius sanguine. Quod enim quidã fantastici homines ex nostris extiterint, qui fidei uim extẽuare atq; iustitiã quãdã inhęrentẽ fingere tentarũt, hos non moramur: satis enim erroris sui à uiris doctissimis conuicti sunt. Sed tamẽ libenter fatemur quod hanc fidẽ de qua nos loquimur, sequatur uitę innocẽtia, noua obedientia, spes, charitas, & bona opera necessariò, ut fructus bonã arborẽ. Hæc fuit religio Patriarcharũ & Prophetarũ. Nõ enim per legẽ promissio cõtigit Abrahę aut semini eius illũ hæredem fore mundi, sed per iustitiam fidei. Hęc fuit religio primæ Ecclesię & Apostolorum, & tantum tempore à prioribus differt. Hæc fuit religio primorum passim Christianorum, & sacras scripturas enarrantium Patrum.

Christianorum odium.

Martyrij causa.

Propterea serpẽs ille generis humani antiquus hostis uarijs modis per mẽbra sua pios homines afflixit: Vt enim priores illos taceamus qui ab Abelo iusto ad Zachariam filium Barachię usque interfecti sunt, atque ad Christi tempora deueniamus, qui pro toto mundo, iuxta æternum Patris consilium, est mortuus, uidemus certè quo furore mundus erga sanctos Dei confessores desæuierit, ut Christum nostrum mediatorem in illis supprimeret. Sic Stephanus prioris Christianorũ seculi Prothomartyr cum omnibus ferè Apostolis sublati sunt, insidiantibus potissimum eis Iudæis, qui pro lege Mosaica zelabant.

bant. Postquam uerò numerus Credentium auctus fuisset, atque Euangeliũ hinc inde per Romanas Prouincias annuntiari cœptum esset, Monarchæ illi terrarum Imperatores & domini nullum genus crudelitatis omiserunt, quò suam Idololatriã stabilire, & ueram de Christo saluatore doctrinam extinguere possent. hinc omnis generis tormenta excogitata, hinc multum innocentis sanguinis indies effusum, hinc tanta rabie multa hominum millia ad martyrium rapta, ut multoties carnifices lassitudine deficientes sibi inuicem succedere cogerentur: Id quod in tripartita Ecclesiastica historia abunde cernere licet. Eo autem tempore Ecclesiæ status, si ad hodiernum conferatur, erat optimus. Tum enim Christiani inter sese concordes læto animo Deum inuocabãt, atque mirabili constantia & patientia externum hostem superbant, ut tandem uictus ipsis accesserit, & Christianorũ religionem assumpserit. Postquam uerò Imperatorum & regum indulgentia Episcoporũ authoritas plus iusto sese extenderet, atque opes Ecclesiæ in immensum essent auctæ, paulatim à uerò scopo Christo discessum, atq; unà uariæ hæreses, atq; horrendæ superstitiones, partim à Iudaismo partim à Gentilismo introductæ, mirum in modum inualuerunt, ita ut hodie antiqua religio Christianorum tot Ordinũ laruis, tot inanibus ceremonijs, & tot absurdis opinibus tecta sit, ut eandem (nisi Dei uerbum & sanctorum patrum monimenta extarent) uix quis ab adulterina doctrina agnoscere posset. Id quod multi aduersariorum nolint uelint sponte fatentur. Hacq; ratione factum ut tandem Christianismus diuisus, atq; magna omnium iactura inuicem seiunctus fuerit

Euangelij doctrina renouata.

Quanquam uerò omni tempore aliquot doctrina & pietate clarissimi uiri extiterint, qui sese huic Pontificum conatui opponere, atque ueram rationem salutis retinere uoluerunt, factum tamen est, ut quæ tum erat Episcoporum potentia, statim sub hæreseos titulo è medio sublati fuerint. Nunquã tamen Euangelij doctrina post Sanctorum patrum lucubrationes, clarius in lucem, quàm sub Ioanne Husso reuocata fuit. Is enim in Bohemia existens Pontificem Romanum & Ecclesiæ superstitiones manifestè perstringebat, atq; docebat nihil nostris uiribus aut meritis, uerùm omnia Christo attribuenda. hunc enim Patrem exposuisse cruci, ut omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Hinc offensi Monachorum ordines effecerunt apud Romanos Pontifices, qui uel Imperatorum potentiam superabãt, ut & ipse in Concilio Constantiensi in cineres pro more redigeretur. Hac autem ratione hinc inde pijs et doctis uiris occasio data diligentius Husiticã doctrinam examinandi: quanquam uerò semper multi essent qui Euangelij summam intelligerent, maiori tamen ex parte, metu martyrij, sese intra priuatos parietes continuerunt. Donec tandem centum annis elapsis, iuxta Husi Prophetiam, insigni fortitudine & Dei spiritu præditus D. Martinus Lutherus Indulgentiarum impostura excitatus hanc causam Veritatis suscepit, atq; scribendo, admonendo, prædicando, & aduersarijs resistendo per quadraginta annos integros, adeo uanos pontificiorum errores detexit, ut nulla hodie regio extet, quæ non suos habeat Euangelicæ doctrinæ Antistites & Cõfessores. Fuerũt etiã multi alij eruditiõe & pietate clarissimi uiri, qui in diuersis Europæ, Germaniæ præsertim, partibus, eandem cantilenam, afflictis in hac religionis confusione conscientijs, lætissimam cecinerunt. Nec etiam Dei instinctu defuerunt Principes & Magistratus, qui hãc doctrinam regula uerbi Dei examinantes, Ecclesiæ repullulascẽti dederunt in suis territorijs hospitia. Inter hos, Princeps clementissime, non immeritò antesignanus numerandus es. Non enim tantum inter primos Euãgelij puritatem, contẽptis

mundi minis, admisisti, uerum etiam quantum fieri potuit præcauisti, qui-
busdã doctorum uirorum conuẽtibus Marpurgi habitis, ne maius aliquod
dissidium inter doctrinæ huius antistites (quod unicè Mille artifex ille mo-
liebatur) oriretur. Hoc uerò cùm Romanus pontifex atque Ordo, quem uo-
cant, Ecclesiasticus sensisset, Imperatores, Reges, atque Principes contra hu
iusmodi ueritatis præcones incitarunt, exacerbarunt, atque armauerunt, qua
si uerò homines seditiosi, uaniloqui, Religionis contemptores, & Hæretici
essent: id quod etiam olim D. Paulo contigerat. Hinc Magistratus passim ira
accensi carceres, tormenta, multaq; inusitata & horrenda supplicia contra
eos per multos annos excogitarũt, nec etiam hodie in quibusdam locis finis
exístit, putantes sese hac ratione Deo præstare obsequium.

Martyrum memoria quatenus celebrãda.

Quum autem rerũ politicarum & ciuilium Historiæ omni tempore com-
mendentur, ut qui multiplices usus legentibus & audientibus præbeant, dũ
scilicet faciunt aliena pericula cautum, quanto magis res eę obseruandę, quę
ad ueræ doctrinæ stabilitatem, conscientiarum solatium, fidei nostræ firmi-
tatem, adeoq; uitam æternam facere uidentur. Quæ quidem omnia in Mar
tyrum doctrina, constantia, patientia, & speciosa morte abunde satis patefi-
unt. Hinc certè uidemus quanto studio & diligentia prima Ecclesia Marty-
rum dicta & facta annotarint, quanta sedulitate eorum memorias celebra-
rint, quãta ueneratione eorum libros, uestimenta, ossa, omnesq; reliquias se-
posuerint, donec tandem res illa, quæstus gratia, ad superstitionem & Idolo-
latriam deuenerit. Nam ijs admonebantur, quòd Ecclesia militans in hac ter
ra cruci esset exposita, quodq; Christus Dominus noster hac ratione probet
suos electos, eosq; animando & confortando, ad finem usq; conseruet. De-
inde uerò quod dominus Deus non hæc caduca & interitura bona, quæ ple
runq; & impijs contingunt, sed æterna & cœlestia timentibus ipsum propria
cõstituerit. Hic enim peregrini sunt, & cõuersatio eorũ est in cœlis, atq; hor-
renda pœna Tyrannis & Epicuræis expectanda. Et tandem quod in spe &
patientia, non carnalibus armis, mundus à pijs uincatur. Propterea & Deum
in sanctis suis Martyribus, quibus hæc fidei dona collata fuerant, maiores no
stri laudabant. Hisce inquam & similibus cogitationibus antiqui Christiani
sanctorum memorias celebrabant. Quoniã autem ultimo hoc & periculoso
tempore, quibus ueritas patefacta fuit, non minori constantia & patientia,
quàm superioribus seculis, plurimi sanctitate & eruditione clarissimi uiri, spi
ritus sancti uirtute freti sanguinem suum pro ueritate testificãda profundere
non dubitauerũt, certè summæ ingratitudinis fuerit, eorum dicta, facta, mor
temq; carni acerbam silentio præterire. Cùm itaq; doctrina & pietate con-
spicuus uir D. Iohãnes Foxus Anglus, qui apud nos Basileæ in Mariana per
secutiõe exulabat, Martyres Anglię & Scotiæ ante quatuor annos fusissimè
annotarit, atq; libro secundo sui operis in Patritio Hameltono ordinem quẽ-
dam proposuerit, quo per regna & nationes, res Martyrum describãtur, ex
pectauimus subinde hactenus quando tandẽ Secũda pars uel ab ipso, uel ab
alio quodam Historiarum amatore in lucem prodiret.

Operis huius ratio.

Quũ uerò per aliquot annos frustra D. Foxij amici mei singularis, labores
(qui etiam præsens unà cum D. Ioanne Baleo quondam Hibernię Episcopo
me ad huiusmodi labores subeũdos sæpius adhortati erant) expectassemus,
multiq; pij & docti uiri unà cũ Bibliopolis partem secundã efflagitarent, tan
dem quorundam precibus persuasus, mihi hoc onus, quantumuis ferendo
impari, imponi passus sum, sperans me hac ratione Ecclesiæ atque omnibus
cordatis & pijs uiris ut plurimum gratificaturum. Fuerunt quidem aliqui
qui ante Foxum & post illum magna utilitate res Martyrum describere ag-
gressi

greſsi ſuñt, inter quos D. Ludouicus Rabus & Ioannes Criſpinus fuêre præcipui, ex quibus etiam potiſsimum (id quòd ingenuè fateor) noſtra decerpſimus: ſed alij fuêre longiores in recenſendis diſputationibus & enumerandis actionibus Confeſſorum, alij confuſè Nationes inter ſeſe miſcuerunt, alij unicæ Nationi inhærentes, ſaltem unum aut alterum ex diuerſis regionibus admiſcuerunt. Nos itaque certum modum & ordinem tenentes, omnium libros & tractatus qui de hac re unquam fuere æditi diligenter percurrimus, nobis inſeruientia collegimus, atque Gallos & Germanos Anglis proximos, unà cum quibuſdam Italis in hanc ſecundam partem digeſsimus. adiuti etiam multorum clariſsimorum uirorum literis, qui nobis ea communicarunt, quæ hactenus nondum fuere uiſa aut ædita. Fuerunt præterea aliqui Martyres, qui pro ſua eruditione ipſi actiones ſuas cum aduerſarijs, dum in uinculis eſſent, conſcripſerunt. quæ poſtea ab eorum amicis, quibus tranſmiſsæ erant, ſunt æditę. Cùm autem D. Foxus in prima parte longiores cum aduerſarijs diſputationes, & Martyrum ſingulorum cõfeſsiones inſeruerit, nos huiuſmodi quantum fieri potuit reſecauimus, ne libri magnitudo, ob Martyrum noſtrorum multitudinem, in immenſum plus iuſto creſceret: Cùm enim tales digladiationes ubique ferè ſint ſimiles, lectorem eò tranſmittimus. Speramus uerò omnes alios Martyrum Hiſtoricos æqui boniq; noſtrum conatum conſulturos: fatentur enim ſeſe ex animo cupere ut Dei gloria in ſanctis pateat, & per Chriſtum admonent, adeoq; hortãtur omnes, ut in hoc opus tam utile ac neceſſarium diligentiam omnem & operam conferant. Id quòd modo pro mea uirili præſtiti. Adhortor etiã ut ſi qui aliquid aliud de hiſce tribus nationibus (quòd non dubito) habeant, ut inſerant atque ædant. Aut ſi malunt Tertiam partem huius operis conficere, ut id maturæ præſtent. ſuperſunt Hiſpania, Sicilia, Illyria, Græcia, Vngaria, Polonia, Dania, & multæ aliæ Chriſtiani nominis regna & regiones, quorum nullum eſt quod non ſuos habuerit Martyres. quibus, ſi quid noui habent de Germanis, Gallis, & Italis connecti poſſunt. Timendũ præterea ne breui tempore perſecutione hinc inde orta, plures futuri ſint Martyres, præſertim in Gallia, quę hodie, animis incolarum inuicem incenſis, totam ferè molem huius in religione diſsidij ſuſtinet. Sunt enim uereor homines quidam diſcordiarum & belli amantes, qui ob priuatas quaſdã cupiditates oleũ igni addere & partes diſsidẽtes magis exacerbare nõ deſiſtunt. Quin potius, Chriſtiani, oratione ardenti ad Deum incumbimus, mutuasq; operas conferimus, ut bello & diſcordia ſublatis, reſtituat ubique pax & concordia, ne aliquando Chriſtiani nominis hoſtes, qui negant Chriſtum noſtrum à Deo patre datũ ut in eo recõcilietur ſibi mundus, nos oẽs opprimant. Certè ſi abſit philautia & cæcus amor habendi, facile Chriſtiani conuenire, & omnes religionis controuerſias tandẽ deponere poſſent: non em uſq; adeo ſeiuncti, ut multi arbitrantur. Omnes in Chriſto Baptizati ſumus, oẽs Trinitatem adoramus, oẽs ſymbolum Apoſtolorum confitemur, omnes Chriſtum Dei filium prò mundi peccatis crucifixũ & mortuũ credimus, & ſaltẽ de applicatione meriti eius (ut mihi uideꝰ) diſceptamus. Cur nõ hoc loco ſacras literas audimus? cur nõ ſanctorũ Patrũ explicationes? Certè ſi in eo unico Iuſtificatiõis articulo probè cõueniremus, procul dubio in externis quoq; ceremonijs & Eccleſia ſticis traditionibus, in quib. nulla eſt neceſsitas, paulatim iniri poſſet ratio, ut cõiunctis animis Deũ glorificaremus, ne tot martyres poſthac fierẽt, atq; innocentiũ ſanguis de terra clamando mortaliũ genus corã Deo iuſto iudice accuſaret. Huc omnes Monarchæ, Principes, & Eccleſiarum præſules ſuas cogitationes & conſilia dirigere deberent, ut tandẽ uocẽ hanc Chriſti audirent: Beati pacifici, quoniam hi filij Dei uocabuntur. Sed hæc aliâs.

Pacis commendatio.

Cum

Dedicationis causæ. 1 Cùm uerò honesta & laudabili consuetudine (labore hoc Dei gratia finito) cogitarem, quemnã inter Christianæ religionis Proceres huic libro Martyrum patronum ascíscerem, illustrísime Princeps, tua celsitudo unicè occurrit, ad quem cõfugio: Idq; partim ob summam necessitudinem, cognationẽ, & affinitatem, quæ semper antiquíssimæ domui Hassicæ cum illustrísima familia Vuirtenbergica (quam mihi à multis iam annis loco Mecœnatũ delegi & sensi) intercessit, & etiamnum intercedit, ita ut in nepote tuo, optimæ spei puero, principe Friderico comiti Vuirtenbergensi & Montisbelligardensi, &c. utraq; familia quodammodo coaluerit, adeóque nihil de una familia dici queat, quod non ad alteram quoq; pertineat: partim uerò ob proprias & singulares Celsitudinis tuæ uirtutes, quæ iam inde à sedato tumultu rusticorum, & sublato furore Anabaptistico in te emicuerunt. Propterea Cattorum celebre nomen nostris tẽporibus multo celebrius tuis uirtutibus redditũ. Non etiam dubito quin filij tui, Heroico spíritu prædíti, paternum hoc & domesti cum uirtutis exemplum imitãtes, simili ratione Patriæ & Germaniæ afflictis hísce tẽporibus profuturi sint. Cuius etiam rei præclara quædam ab eis data specimina extãt. Idcirco hactenus quacũq; occasiõe oblata, instínctu & amore quodam naturali, dum ueterum Historias perlegerem, aut nouas conscríberem, aut in alias linguas (Germanicam præsertim) transferrem, utriusq; familię semper honestíssimam mentionem feci, facturus porrò, si Deus longiorem uitã cõcesserit. 2 Deinde uerò quod celsitudo tua iam inde ab initio renouatę Euangelicæ doctrinæ, cuius potíssimum in hoc opere ratio habetur, unà cum illustrísima Saxonica domo, magno rerum temporalium periculo, pijs & doctis uiris hospitia dederis, eosdem foueris, & liberaliter sustentaris, ut non tantum uera salutis uia hac ratione in tua ditiõe sit iuxta Dei uerbum proposita, sed etiã ad finitimas & ulteriores quoq; regiones peruenerit. 3 Et tandem quod illustrísima clementia tua in eorum numero sit, qui propter Euangelij professionem ipsamq; iustitiam persecutionem patiuntur, & qui sua fide atq; patiẽtia in ipsis uinculis Veritati dederunt testimoniũ, ita ut non immeritò inter Dei martyres & cõfessores huius libri, magna posteritatis admiratione, locũ adeptus sis. 4 Habent etiam omnes pij, qui cruci sunt expositi, memorabile diuinæ bonitatis & prouidentiæ in te exemplum, ut quem Deus multò cumulatioríb. beneficijs post fidei probationẽ, quàm antea affecerit: dum dona spíritus sancti certíssima, atq; etiam huius seculi externa bona, quæ ubiuis in tuis regionibus sunt multiplicata, consíderauerint: id quod etiã olim S. Iobo contigísse legimus. Hæ inquam causæ fuêre, cur tibi hunc de Martyribus librum, prę cunctis alijs dedicare uoluerim. Atq; etiam in spẽ certam ducor, hunc meum qualemcunq; conatum tuæ celsitudini, adeóque toti illustrísimæ familiæ Hassicæ futurum gratíssimum. Cui me etiam humiliter commendo. Deus pater per filium suum Iesum Christum mundi salua-

torem tuam celsitudinem, cum maximæ spei liberis, tota familia, & omnibus subditis in uera pace diu conseruet íncolumem. Basileæ 13 calend. April. Anno reparatæ salutis 1563.

CATALOGVS MARTYRVM ET RERVM memorabilium in hoc opere propositarum.

Adolphus Clarenbach Coloniæ combustus fol. 66
Adrianus sartor Tornaci decollatus 100
Aegidius Bruxellensis in patria exustus 101
Alexander Canus Lutetiæ crematus 76
Alexander Daiken Tornaci decollatus fol. 356
Anglicanæ persecutionis finis 353
Angli & Germani Condæo in Gallia militant. 347.2
Anna Audebert Aureliæ cremata 185
Annæ à Burgo Lutetiæ martyr factus fol. 337
Antonia Louanij uiua defossa 97
Antonius Laborierius Cameriaci crematus fol. 310
Antonius Magnæus Lutetiæ crematus fol. 284
Atrebatenses tres interfecti 80
Augustana mulier in periculo 206
Augustinus Tonsor in Hannonia exustus fol. 183
Aymondus à Via Burdegali combustus fol. 103
Bambergenses duæ puellæ necatæ 217
Bartholotus Millonus Lutetiæ crematus 79
Belgarum horrenda persecutio 102
Bergibanus Tornaci decollatus 99
Bernardus Seguinus Lugduni exustus 227
Bertrandus Blasius Tornaci Martyr factus fol. 367
Bertrandus Batallius Cameriaci exustus 310
Candiensis nobilis in Creta combustus 33
Carolus Faber Lugduni exustus
Casparus Thauber Vuiennæ Austriæ decollatus. 39
Claudius pictor Lutetiæ exustus 82
Claudius Thierrus Aureliæ crematus fol. 199
Claudius Monier Lugduni exustus 208
Constantienses ciues centum à Hispanis occisi. 199
Constantinus Northmannus cum tribus socijs Rothomagi necatus 83
Cræsus concionator cum pastore suo in Eluagen occisi 318
Dionysius de Rieux Meldis exustus 66
Dionysius Peloquinus Eleutheropoli crematus. Fol. 249
Dionysius Vayrus Rothomagi exustus fol. 366
Dominicus à Basana Placentiæ suspensus fol. 205
Encinas Burgensis Romæ exustus fol. 177
Faninus Italus Ferrariæ crematus fol. 200
Flandrica persecutio 341
Florentius Venotus Lutetiæ exustus fol. 184.
Franciscus Bribard in Gallia necatus fol. 84.
Franciscus & Nicolaus Thießen fratres Mechliniæ combusti 156
Franciscus Gamba Comi strangulatus & exustus. 296
Franciscus SanRomanus Burgis in Hispania crematus 151
Franciſci Spieræ horrenda historia 190
Franciscus Vuarlut Tornaci decollatus 356
Gabriel Beraudin Chamberiaci exustus fol. 206
Galeazius Trecius in oppido Laude Pompeia crematus 246
Gallica prima persecutio 78
Gallicanæ Ecclesiæ erectæ 340
Gallica secunda persecutio horrenda 345
Gallicorum bellicorum sub Carolo nono explicatio 348
Gallorum prælium circa Lutetiam 358
Georgius Concionator Halæ in Saxonia occisus 65
Georgius Carpentarius in Bauaria exustus 61
Georgius Forchemius Erphurdiæ ueneno sublatus 265
Georgius Scherrerus in Bauaria decollatus 68
Germanica persecutio 200
Germani in Gallia militant 347
Gillotus Viuier cum uxore & alijs Vallencenis exustus 214
Godefredus de Hamelle Tornaci crematus 219
Guilhelmus Neel Aurinci Martyr factus fol. 268

Guil-

Guilhelmus de Suuollen Mechliniæ crematus 68
Guilhelmus Alencon cum Pannitonſore Monſpeſſuli exusti 284
Guyraudius Tauranus Cameriaci combuſtus 310
Heinricus Sudphenus in Dietmaria confoſſus 35
Heinricus Voes Bruxellis exuſtus 38
Heinricus Flander Tornaci crematus 66
Heinricus Cuberonenſis Lutetiæ exuſtus 80
Hermanus Archiepiſcopus Colonienſis officio ſemotus 178
Hieronymus de Praga Conſtantiæ crematus 25
Hieronymus Sauonarola cum Dominico & Syluestro Florentiæ ſuſpenſi 33
Hoſpiniani duo Badenis in Heluetia decollati 61
Hoſtius, aut Georgius Catelina Gandaui exuſtus 299
Hubertus Cheriet Diuione crematus 198
Iacobus Chobardus in Lotharingia exſtus 103
Iacobus Faber cum filio Vallencenis cremati 214
Iacobus Pauane Lutetiæ exuſtus 59
Ioannes Anglus apud Senones combuſtus 190
Ioannes de Bec Trecis crematus 83
Ioannes Brugerius in urbe Iſſerenſi exuſtus 178
Ioannes de Buc cum uxore Gandaui Martyres facti 110
Ioannes à Burgo Lutetiæ exuſtus 79
Ioannes Cadurco Lemouici in Gallia crematus 72
Ioannes Caſtellanus in Lotharingia crematus 40
Ioannes Clericus Metis exuſtus 43
Ioannes Cornon Matiſcone combuſtus 81
Ioannis Diazij martyrium 158
Ioannes Eſch Bruxellis exuſtus 38
Ioannes Filieul Sampetri in gallia martyr factus 302
Ioannes Fridericus elector Saxoniæ ad Albim captus 183
Ioannes Friſius abbas in Bauaria damnatus 283
Ioannes Godeau Chamberiaci exuſtus 206
Ioannes Heuglein Merſeburgi conbuſtus 60
Ioannes Huſſus Prothomartyr Conſtantiæ exuſtus 1
Ioannes Ioerus cum famulo Tholoſæ cremati 227
Ioannes Mollius Montilcinus cum Textore Perusnio Romæ ſuſpenſi 263
Ioannes Piſtorius in Hollandia exuſtus 44
Ioannes Ponitet Lutetiæ crematus 72
Ioannes à Puteo in Prouincia ſtrangulatus 216
Ioannes Trigaletus Chameriaci crematus fol. 310
Ioannes Vernutius Cameriaci exuſtus 310
Ioannes Leuelhæus Sanpetri in Gallia Martyr factus 302
Iuſtus Imbsbergerus Bruxellis decollatus 101
Leonhardus Gallimard Lutetiæ crematus 184
Leonardus Keſer in Bauaria conbuſtus 61
Leonhardus Pratenſis Lutetiæ exuſtus 289
Lingonenſium perſecutio 190
Locarnenſium exilium 328
Louanienſes uigintioctò in Patria occiſi 96
Ludouicus Berquinus Lutetiæ exuſtus 68
Ludouicus Marſacus cum Conſobrino et Steffano Lignifabro Lugduni cremati 254
Ludouici Borbonij ducis Condæi cum alijs Galliæ proceribus confœderatio 344
Lugduni Euangelium receptum 346
Lutetiæ aliquot millia martyres facti 345
Kentzingenſis ſcriba occiſus 65
Macæus Maureau Trecis combuſtus 206
Magdenburgenſium periculum 206
Maria Becaudella Eſſaris cremata 80
Mariona Tornaci uiua ſepulta 100
Mariona alia in Hannonia uiua defoſſa 188
Martialis Alba Lugduni exuſtus 227
Martinus Goni in Delphinatu Galliæ ſubmerſus 73 109
Martinus Hœurbloc Gandaui crematus 261
Matheus Dymonetus Lugduni combuſtus 215
Mathias Vueybel circa Campidonum ſuſpenſus 58 215
Mauricius Scenat Nemauſij combuſtus 146
Meldenſium quatuordecim in patria exuſti 227
Mercator quidem Lutetiæ ſuſpenſus 199
Michael Mareſchalus cum alijs Lutetiæ crematus 190
Michael ſarctor apud Neruios exuſtus 57
Michella Caignoncle Vallencenis cremata 215 265
Miltenberg oppidum expugnatum 337
Monachi duo Romæ occiſi 186
Neapolitana perſecutio 282
Nicolaus Antuerpianus Antuerpiæ ſubmerſus 45 110
Nicolaus Gallus in Hannonia combuſtus Nicolaus
Nicolaus Nailus Lutetiæ crematus
Nicolaus Paule Gandaui decollatus

Nicolaus Valletonus Lutetiæ exustus 79
Palatinatus & aliæ regiones Euangelium suscipiunt 333
Paris Panier Dolæ decollatus 296
Parisienses aliquot ciues capti & exusti 333
Pax in Germania constituta 333
Pax in Gallia exoptanda 361
Perseualdus cæcus Louanij clàm sublatus 97
Petrus Bergierus Lugduni exustus 240
Petrus Brulius Tornaci crematus 84
Petrus Denochæus Carnuti exustus 280
Petrus Elysteden Coloniæ combustus 66
Petrus Gaudet in arce Peneia Galliæ crematus 81
Petrus Mioce Tornaci exustus 97
Petrus Nauiherus Lugduni crematus 227
Petrus Scriba Lugduni exustus 227
Petrus Serra Tolosæ necatus 281
Petrus Spenglerus in Ensisheim submersus 48
Petrus de Val Nemausij crematus 284
Philippus pius Cattorum princeps captus 239
Poloni de Euangelij doctrina consultant 333
Pomponius Algierius Romæ exustus 329
Quoquillardus Vesontinus in Burgundia Martyr factus 80
Ratisbonensis Canonicus incarceratus 175
Richardus Feurus Lugduni exustus 285
Rochus statuarius in Hispania crematus 157
Rothomago capto multi Martyres facti 346
Rusticus pius in Germania decollatus 51
Sacerdos pius ad postes ædium su..um suspensus 84
Sacerdos pius de improuiso in Germania decollatus 60
Sacerdos pius in Vngaria necatus 80
Sacerdos pius circa Basileam occisus 81
Sacerdos pius in Germania Martyr factus 174
Saintinus Niuetus Lutetiæ occisus 174
Sartor Lutetiæ coram rege exustus 185
Senonum persecutio horrenda 343
Sigismundus Litotomus in Ensisheim occisus 51
Simon Grinæus ab angelo Spiræ liberatus 71
Simon Laloe Diuione necatus 283
Steffanus Brunus Ebreduni occisus 82
Steffanus Forgæus Lutetiæ exustus 80
Steffanus Polliotus Lutetiæ crematus 173
Steffanus Regius Carnuti combustus 173
Theophredus Varaglia Taurinis exustus 334
Thomas Rhedonensis Gallus Romæ crematus 31
Thomas Sampaulinus Lutetiæ exustus 207
Vrsula & Maria nobiles sorores in Delden crematæ 110
Vualdensium memorabilis persecutio 111
Vualdenses in Taurinis oppugnati 340
Vuaßæi Galliæ centum Martyres facti 341
Vuendelmuta uidua in Holandia combusta 65
Vuolffgangus Schuch in Lotharingia crematus 54

AVTHORES QVORVM OPERA POTISsimum in conscribendis Martyrum actionibus usi sumus.

Acta Concilij Constantiensis.
Cœlius secundus Curio, Orator & Historicus.
Cõradus Gessnerus, Medicus & Philosophus.
Franciscus Encenas, Historicus.
Gallus Anonimos, Historicus.
Guilhelmus Gratarolus, Medicus & Philosophus.
Heinricus Bullingerus, Theologus.
Ioannes Crispinus, Historicus & Theologus.
Ioannes Sleidanus, Historicus.
Ioannes Caluinus, Theologus.
Ioannes Foxus, Historicus.
Ioannes Oecolampadius, Theologus.
Ioannes Gastius, Historicus.
Ioannes Manlius, Historicus.
Ludouicus Rabus, Theologus & Historicus.
Martinus Lutherus, Theologus.
Matthęus Gribaldus, Iureconsultus.
Mathias Flaccius Illyricus, Theologus & Historicus.
Philippus Melanchton, Theologus & Historicus.
Sebastianus Monsterus, Cosmõgraphus.
Simon Sulzerus, Theologus.
Tractatus uarij, Latinè & Germanicè de Martyribus hinc inde editi.

ILLVSTRIS-

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERUNT, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER PRIMVS.

IOANNIS HVSSI POSTERIORIS SECVLI PROTOmartyris Historia, qui Anno 1415. 6. die Iulij Constantiæ combustus est.



QVANQVAM in priori parte quæ de Martyribus Angliæ copiosè conscripta est, etiam fortissimi huius Prothomartyris mẽtio facta sit, tamẽ omnia multò breuius & compendiosius enarrata, quàm uiri huius doctrina et nominis celebritas requirebat: id quòd ideo factũ, quia nec in Anglia natus, nec ibidem martyrio coronatus, uerum natione Boemus existens, Constantiæ in superiori Germania exustus fuit. Ab hoc itaque posteriorem

Vuicleffi doctrina à pontifice suppressa.

partem huius Historiæ auspicantes, paulo altius uitam atq; casum eius ordiemur. Postquam Ioannes Vuicleffus Anno partæ salutis 1387 mẽse Decembri in Anglia in domino obdormuisset, eius opuscula, quorum plura conscripsit, anno 1410 Oxoniæ in ignem coniecta & concremata fuerunt, prẽsente Abbate Salopiæ Vniuersitatis Cancellario. Eius etiã ossa anno post ipsius mortem quadragesimo primo iussu pontificis effossa, exusta, in cinerem redacta, atq; in aquam coniecta sunt: Londini etiam in summa curia factum est à rege Heinrico eius nominis quarto Edictum, quo omnes ij compræhenderentur qui disciplinam Vuicleui sectarentẽ, aut aliquo studio fauoreq; prosequerentur. Eos autem uulgo Lolardos appellabãt: Quod si qui eius doctrinam obstinatius amplexi retinuissent, ut hi primũ Episcopis, deinde ludicib. ciuilibus traderẽtur, morteq; afficerentẽ. Hac ratione Papa omnesq; eius sectatores sperabant sese effecisse ut illa ueritatis scintilla, quam Deus in Anglia per Ioannẽ Vuicleuũ accenderat, plane esset oppressa atq; extincta. præsertim cum multi pietate & doctrina præstantes uiri passim ad supplicia, iuxta regis decretũ, à iudicibus raperentur. quorum aliqui à doctissimo atq; optimo uiro Ioanne Foxo in priori opere ordine recensentur. Sed prouidentia diuina rem longè in partem contrariam deduxit, atq; opinionem pontificiorum fefellit. Primã enim illam atq; exiguam Euangelij Lucem ita excitauit & auxit ut eò exregno postea in totum terrarum orbem diffuderit, atq; ita mundum teterrimis tenebris oppressum, hoc tam salutaris cognitionis lumine accenso illustrarit. Res aũt hac ratione acta est, quemadmodum hinc inde doctissimus uir Ioannes Crispinus (quem potissimum hoc opere sequimur) ex uarijs antiquorum monumẽtis & Concilij Constantiensis actionibus collegit. Quidã erat scholasticus in Oxoniensi Vniuersitate, ex nobili Bohemię familia, nomine Piscis putris appellatus. Is libros Vuicleui inscriptos De uniuersalibus, casu quodã nactus est, quibus adeò est delectatus, ut eorum descripta exempla secum in patriam reuertens, quasi pretiosissimum thesaurum deportarit. hos autem libros duntaxat cõmodauit Bohemis, studiosis hominibus, alienis tunc à Germanis, quòd hi scholæ acadæmiæq; Pragensi cum maximo Bohemorum dolore præerant. Ex omnibus scholasticis studiosisq; hominibus, qui in ea Vniuersitate tunc florebant, Ioannes quidam summa erat existimatione, tametsi loco obscuro natus esset, ex quodam pago qui Hus, id est Anser, dicebatur, à quo cognomen ille accepit. Hic igitur Ioannes Hus, cùm esset acri acutoq; ingenio summaq; facundia, doctrinã Vuicleui omni studio complexus, ita cœpit Germanos in disputationibus agitare ac uexare, ut, qui principatũ quendam & dominatum in ea academia obtinebant, uicti pudore locũ facilè concesserint: cùm præsertim ij qui erãt ex ipso Bohemiæ regno, à rege Vuencesclao impetrassent, ut Vniuersitas Pragensis ad formam rationemq; Parisiensis institueretur ac regeretur.

Ioannes Huß. Romanæ eccle siæ errores reprehendit.

Discessio Germanorũ ab urbe Pragensi,

Ea autem res Germanos à gubernatione rectioneq; studiorum demouit. Itaq; ea rerum cõmutatione offensi Germani, cùm se mutuo iureiurando obstrinxissent, plures duobus millibus uno eodemq; die Praga discesserunt, & Lipsiam, quæ urbs est Misniæ, à Praga trium dierũ itinere remota, sedem studiorum suorum domiciliumq; transtulerunt. Bohemi autem postea gymnasij disciplinam pro suo iudicio atq; arbitrio constituerunt & gubernarunt: ex quibus Ioannes Hus omnibus facilè præstabat, cùm doctrina & eloquentia tum uerò uitę sanctitate atq; honestate commendatus. qui quidem hanc non mediocrem adeptus existimationem atq; authoritatem, cœpit in lucem proferre quod de ueritate animo suo piè sentiebat. Fuit quidã ciuis Pragẽsis, qui templum præclarũ magnificumq; extruxerat, nomine S. Matthæi Mathiæq; nuncupatum, quod Bethlehem appellabat. In eo etiam prouentus reliquit,

ad alen-

ad alendos tuendosq; duos concionatores necessarios, ut hi lingua uernacula apud populum diebus tum festis tum etiam cæteris concionarentur.

Ioannes Hus unus ex duobus delectus fuit, qui cùm maximũ animaduerteret populi in doctrinã suam studium, cœpit apertè profiteri, quid de libris Vuicleui sentiret ac iudicaret, planè affirmans in his omnem ueritatem contineri: illud etiam sæpe significans, se post obitũ suum nihil magis cupere, quàm animũ suum ad eum locum in quo iam Vuicleuus quiete beata frueretur, peruenire: tam certum de illius uiri tum doctrina tum uita iudicium faciebat, atque testimonium ei apud omnes dabat. Omnes propè scholastici sequebantẽ Ioannem Hus, multiq; alij homines non paruę existimationis, quibus cum etiam maxima pars nobilitatis coniuncta erat.

Quum hac ratione officio concionatoris fungereẽ Pragæ in templo Bethlehem, ac Christi Euangelium potius quàm humanas Pontificũ traditiones docere instituisset, suborti sunt nonnulli, qui eum ad Ioannem eius nominis XXIII Pontificem Romanum, tanquam hæreticum detulerunt. Pontifex ipse rem omnem Cardinali de Columna commisit: qui audita accusatione diem dixit Ioanni Hus, qua in curia Romana sisteretur. Quo facto, Vuenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, flagitante etiam id primùm coniuge sua Sophia, deinde uniuersa nobilitate Bohemiæ, quibus accesserunt preces totius urbis & uniuersitatis Pragensis, legatos suos Romam misit, qui peterent à Pontifice ut hoc iudicio Ioannem Hus liberaret: inuidiosè enim per quosdam maleuolos accusatum esse, neq; posse eum propter insidias sine periculo Romam proficisci.

Ioannis Hussi authoritas.

Ipse quoq; Ioannes Hus, ante diem sibi constitutum missis legitimis & idoneis procuratoribus in curiam Romanam, firmissimis rationibus innocentiã suam probauit, qua fretus existimauit se facilè consecuturum, ne coràm adesse propter periculum ad dictum sibi diem cogeretur. Sed cùm Cardinalis de Columna, cuius unius iudicio & dijudicationi res tota permissa erat, nullam defensionem admittere uellet, procuratores Ioannis Hus ad ipsum summum Pontificem prouocarunt. Quanquam ne hoc quidem ultimum refugium tantùm apud Cardinalem de Columna ualuit, quin Ioannem Hus, cùm Romam ad diem sibi constitutum nõ ueniisset, tanquam contumacem hæreticum, publicè excommunicatum pronuntiaret.

Sed tamen cùm procuratores ad summum Pontificem prouocassent, dati sunt eis alij iudices, Cardinalis Aquileianus & Cardinalis Venetus cum alijs quibusdam. Qui cùm in sesquiannum usq; rem extraxissent, tandem ad Cardinalis de Columna sententiam redierunt: eaq; confirmata mandarunt procuratoribus Ioannis Hus, ut à defensione desisterent: neque enim se amplius hoc passuros esse. Itaq; cùm procuratores instare non desinerent, quidam ex eis in carcerem coniecti, grauiter multati sunt: reliqui infecta re in Bohemiam redierunt.

Prouocatio procuratorum Ioan. Hus.

Cùm itaq; Constantiẽsis synodus, Pontificis Romani & Sigismũdi Romanorum & Hungariæ Regis, & aliorum Regum communi consensu indicta esset, datum est à Romanorum & Hungariæ Rege negotium nobilibus quibusdam uiris Bohemis, qui Ioannem Hus Constantiam adducerent, ut & se & totum regnũ Bohemiæ liberaret ab ea infamia in quam propter falsę & hæreticæ doctrinę suspicionem incidisset. Quod ut tutò facere posset, missæ sunt ei per eosdem Nobiles literæ, nomine & mandato ipsius Regis & Latinè & Germanicè scriptæ, quibus publica fides continebatur. Exemplum earum subscripsimus.

SIGISMVNDVS DEI GRATIA ROMANORVM REX SEMper Auguſtus, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex uniuerſis & ſingulis Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, Ducibus & Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Militaribus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Gubernatoribus, Præſidibus, Publicanis, Officialibus, quibuſcunq; Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, & locorum communitatibus, ac Rectoribus eorundem, cæterisq; noſtris & ſacri Imperij ſubditis & fidelibus, ad quos præſentes literæ peruenerint, Gratiam regiam & omne bonum.

Tenor literarũ ſalui cõductus, ut uocant, ab Imperatore dati.

VEnerabiles, illuſtres, nobiles & fideles dilecti, honorabilem Magiſtrum Ioannem Hus, ſacræ theologiæ Baccalaureum & artium Magiſtrum, præſentium oſtenſorem, de regno Bohemiæ ad Conciliũ generale in ciuitate Conſtantienſi celebrandum in proximo, tranſeuntem, quem etiam in noſtram & ſacri imperij protectionem recepimus & tutelam, uobis omnibus & ueſtrũm cuilibet pleno recommendamus affectu, deſiderantes quatenus ipſum cùm ad uos peruenerit, gratè ſuſcipere, fauorabiliter tractare, atq; in his quæ ad celeritatem & ſecuritatẽ itineris ipſius pertinent, tam per terram quàm per aquam, promotiuam ſibi uelitis & debeatis oſtendere uoluntatem, nec non ipſum cum famulis, equis & alijs rebus ſuis ſingulis, per quoſcunq; paſſus, portus, pontes, terras, dominia, iuriſdictiones, ciuitates, oppida, caſtra, uillas, & quælibet alia loca ueſtra, ſine ulla ſolutione tributi, telonij, aut alio quouis ſolutionis onere, omniq; prorſus impedimento remoto, tranſire, ſtare, morari & redire liberè permittatis, ſibiq; & ſuis, cùm opus fuerit, de ſecuro & ſaluo uelitis & debeatis prouidere conductu, ad honorem & reuerentiam noſtræ maieſtatis. Datum Spiræ, anno Domini M. CCCC. XIIII, die Octobris XVIII. Regnorum noſtrorum Hungariæ, &c. an. XXXIII, Romanorum uerò V.

Quamobrem Ioannes Hus, cùm ſua ſponte tum patrocinio & tutela Imperatoris Romani fretus, Conſtantiam iter inſtituit. Sed priuſquàm Praga exiret, publicè ſignificauit literis Latinè, Germanicè & Bohemicè ſcriptis, & foribus templorum paſſim affixis, de ſua profectione, ut ſi cui ſuſpecta eius doctrina eſſet, hoc coram domino Conrado Archiepiſcopo Pragenſi: aut, ſi malit, in ſynodo generali proponat. ibi ſe doctrinæ & fidei ſuæ rationem redditurum.

Eodem etiam tempore miſit Ioannes Hus ad Nicolaum epiſcopum Nazaretenſem, inquiſitorem hæreticæ prauitatis, in ciuitate & diœceſi Pragenſi, à ſede Romana conſtitutum, eumq; rogauit ſi quid in eo erroris comperiſſet, ut publicè ſignificaret. ſed idem Epiſcopus reſpondit ſe multa ſæpius cum Ioanne Hus communicaſſe, neque unquam cognouiſſe quicquam in eo indignum uiro pio & fideli. idq; ſuum de Ioanne Hus teſtimonium comprobauit ſuis ipſius literis, anno M. CCCC. XIIII. die penultima menſis Auguſti.

Hus Conſtantiã profectus.

Idibus Octobris eiuſdem anni Ioannes Hus, comitantibus eum nobilibus dominis Vuenceslao de Duba & Ioanne de Chlum, relicta Praga, iter Conſtantiam uerſus eſt ingreſſus. In ipſis ciuitatibus quas tranſibat, præſertim ſi quæ fuerant alicuius nominis, publicis literis ſuam præſentiam ſignificauit, his propemodum uerbis: Ioannes Hus iam pergit Conſtantiam, ad oſtendendam ibi fidem quam hactenus tenuit, & nunc tenet, & uſq; ad mortem præſtante Chriſto domino tenebit. & ſicut antea per totum regnũ Bohemiæ notum fecit ſuas intimationes & literas uolens in conuentu generali curiæ archiepiſcopalis Pragenſis de ſua fide rationem reddere, & ante exitum ſuum cuilibet aliquid ſibi obijcienti ſatisfacere, ita & in hac ſolenni Imperialiq; ciuitate notificat, ſi uult aliquis errorẽ uel hæreſim aliquam imponere, ut ſe ad concilium

cilium præparet. In omnibus uerò ciuitatibus, maximè uerò cùm in Germaniam uenisset, ingens ad eum multitudo cõfluxit, ab ipsis uerò hospitibus per omnes Germaniæ ciuitates, à ciuibus, & nonnunquam ab ipsis etiam parochis, summa humanitate & liberalitate acceptus est, adeò ut ipse Ioãnes Hus in quadã epistola fateatur se nusquam maiores inimicitias quàm in Bohemia expertum esse. Ac si fama (ut fit) de eius aduentu præcurrerat, omnes uiæ refertæ erant ijs qui Ioannem Hus uidere cupiebant, eiq; gratulari, imprimis uerò Noribergæ, ubi mercatores qui præcesserant, de aduentu eius ipsos ciues fecerant certiores. In eadem urbe, cùm parochi plærique secretum cum eo colloquium postularent, respondit se malle publicè coram omnibus suam sententiam patefacere, neq; enim se quicquam uelle occultum habere. Ab hora igitur prandij coram ipsis sacerdotibus & senatoribus, plurimisq; alijs ciuibus usq; ad noctem magna cum admiratione omnium locutus est, solo Carthusiano quodam doctore, & parocho diui Sebaldi improbante.

Cõspectus Hussij Germanis gratißimus.

Die uigesima, ex quo ab urbe Pragensi discesserat, hoc est tertia die mensis Nouembris Constantiam ueniens, ad uiduam quandam optimam matronam, in uico sancti Galli diuertit. Postridie eius diei dominus Ioannes de Chlum & dominus Henricus Latzembog, ad Pontificem Romanum ingressi, primùm indicarunt ei præsentiam Ioannis Hus, quem ipsi sub fide publica Romanorum Hungariæq; Regis, Constantiam ad generale concilium adduxissent. Rogabant deinde ut per ipsum quoq;, ipsius Regis Romani gratia, Ioannes Hus absq; omni periculo atq; impedimento Constantiæ esse posset. Quibus tum pontifex respondit, etiamsi Ioannes Hus fratrem sibi germanũ occidisset, tamen se nullo modo commissurum, quantum in ipso situm erit, ut aliqua ei fiat iniuria, quandiu Constantiæ esset.

Aduẽtus Ioan. Hus in urbem Constantiensem.

Interea summus ipsius Hussij aduersarius, Magister Stephanus Paletz Bohemus, Constantiã uenit, cuius socius Stanislaus, nẽpe de Znoima, uixdum fines Bohemiæ egressus, ex apostematis dolore mortuus est. Paletz igitur quamprimùm Constantiam uenisset, adiunxit se Michaeli de Causis, primo Ioannis Hus & acerrimo accusatore. Ac ne hoc omittam, Paletz ipse inde ab adolescentia sua familiarissimè usus erat ipsius Ioannis Hussij consuetudine. Sed cùm bulla quædam Ioannis *xxiii* pontificis Romani Pragam allata esset contra Ladislaum Apuliæ Regem, restitit ei bullæ Ioannes Hus, quòd uideret eam iniquam esse. Paletz uerò, quanquam in conuiuio quodam, audiente Ioanne Hus, palàm confessus esset bullam æquitati contrariam esse, tamen quia Pontifici Romano erat obnoxius propter quædam eius beneficia, defendit eam bullam contra Ioannem Hus. hæc fuit causa discordiæ inter eos. Alter uerò ille Michael de Causis, fuerat olim parochus in noua Praga, sed spe prædæ, nouum quoddam aucupij genus sibi excogitarat. præ se tulerat enim se consilium reperisse, quo aurifodinæ quæ perierant, restaurari possent. Rex igitur Vuenceslaus ingentem ei summã pecuniæ in manus dat, ut quod polliceretur efficeret. Ille uerò bonus uir, cùm paucos dies laborasset, nec quicquam efficeret, re desperata, clàm se cum reliqua pecunia, ex Bohemia in Romanam curiam, dignissimus hoc nido, subduxit. His moribus, facilè ab aduersarijs Ioannis Hus, pecunia se corrumpi passus est, ut eis suã operam, id quod strenuè fecit, collocaret.

Aduersarij Hußij.

Idem igitur Paletz & Michael de Causis, communi opera certos articulos contra Ioannem Hus conscripserunt, quos dicebant se ex scriptis eius excerpsisse. eos huc illuc obnixè cursitando, Cardinalibus, Episcopis, monachis, & alijs huius farinæ hominibus ostendebant: ijsq; adhuc esse longè grauiora, quæ Ioannes Hus contra sanctissimas constitutiones Papæ atq; ecclesiæ admisisset, quæ si opus sit, in concilio ipso se proposituros esse iactitabant. His

facibus incenderunt sponte incitatos homines, ut de comprehendendo uiro sanctissimo Ioanne Hus omnes consilia conferrent.

Cùm igitur Ioannes Hus ad sextum & uigesimum usq; diem Constantiæ fuisset (cùm interea priuatis amicorum colloquijs, legendo q; ac scribendo aliquid, tempus illud fefellisset) octauo demum & uigesimo die, Cardinales, qui tunc erant Constantiæ, instante Paletz cum Michaele de Causis, duos ex Episcopis, Augustanum & Tridentinum, Consulem præterea ciuitatis Constantiæ, & equitem quendam, in diuersorium Ioannis Hus, sub ipsam horam prandij miserunt, qui dicerent ei, se ex mandato Papæ & Cardinalium missos esse, ut, quod ipse etiam sæpenumero optasset, ad perhibendum coram eis doctrinæ suæ testimonium ueniret, se iam ad audiendũ paratos esse. Tum Ioannes Hus, Non ueni, inquit, huc eo consilio, ut seorsim coram Papa & Cardinalibus causam meam agerem (id enim nunquam desideraui) sed in uniuersa synodi congregatione comparere uolui: atq; tum pro mea defensione, quæ Deus mihi largitus fuerit, quacunq; de re interrogatus fuero, sine ulla dubitatione aperte respondere. itaq; nõ recuso (quandoquidem id à me postulatis) etiam ad ipsos Cardinales quamprimùm uenire: à quibus etiamsi malè accipiar, confido tamen domino meo Iesu Christo, fore ut mori malim pro eius gloria, quàm ipsam ueritatem ex sacris Scripturis mihi cognitam negare. Itaque cùm instarent Episcopi, nihil crudele præ se ferentes (quanquã in illis ipsis & proximis aliquot ædibus, clàm satis multos milites armatos in præsidio collocassent) Ioannes Hus ascenso paruo quodam equo, quem secum habebat, cum domino Ioanne de Chlum episcopos in curiam Papæ & Cardinalium est secutus. Quò quum uenisset, & Cardinales ipsos salutasset, Multa inquiunt illi, audiuimus de te, magister Ioannes, quæ si uera sunt, nullo modo tolerari possunt. aiunt enim quòd maximos quosq; errores & manifestissimos contra doctrinam ueræ Ecclesiæ docueris, ac per totum regnum Bohemiæ iampridem sparseris. itaq; huc te ad nos uocari mandauimus, ut rem quomodo se haberet, cognosceremus.

Hus cupit palàm coram tota Synodo causam dicere.

Salutatio prima, qua exceptus fuit Hussius.

Tum Ioan. Hus, Sciant, inquit, paternitates uestræ, me ita affectum esse, mori ut malim, quàm unius alicuius erroris, nedum multorum eorumq; maximorum, ut dicitis, mihi conscius esse. ac propterea ueni tantò libentius ad concilium generale, quod hic constitutum est, quia paratus sum, si quid in me erroris esse probatum fuerit, ex animo eius emendationem accipere. Ibi Cardinales, Placent nobis quæ dicis. Quòd cùm dixissent, abierunt: & Ioannem Hus cum D. Ioanne Chlum sub custodia armatorum reliquerunt: ac tum suborna runt quendam ueteratorem ordinis Minorum, qui molestis & rixosis quęstionibus Hussum tantisper detineret, dum rursus ipsi in curiam Papæ conuenirent, deliberaturi quid de Ioanne Hus faciendum esset. Paletz autem & Michael de Causis, unà cum alijs quos sibi coniunxerant, omnibus modis instabant ne dimitteretur, & iudicum fiducia, sępe furiosorum hominum more gestientes illudebant Ioanni Hus his uerbis, Iam te habemus in nostra potestate, unde non exibis donec persolueris extremum quadrantem. Sub noctem missus est Præfectus curiæ Romanæ, ut Domino Ioanni de Chlum diceret, licere ei iam ut in diuersorium suum reuerteretur. nam de Ioanne Hus aliter constitutum esse. quod cùm audisset Dominus Ioannes de Chlum, uehementer indignatus, quòd uirum optimum fictis & simulatis uerbis in insidias precipitassent, dictum factum, in ipsius Papæ conspectum prouolauit, obtestans eum, meminisset eorum quæ antea etiam domino Henrico Latzembog promiserat, & ne publicę fidei authoritatem adeò temerè uiolaret. Papa negabat ex suo mandato quicquam eiusmodi contra Ioannem Hus susceptum esse. Tum seorsim ad dominum Chlum, Quid est quod mihi hoc imputatis, quũ sciatis

Violatur publica fides data.

sciatis me in istorum (Cardinalium, uidelicet, & Episcoporum) potestate esse. Cùm enim papa id fortassis timeret quod postea illi accidit, ne dignitate sua priuaretur, uoluit sibi hoc officio tradendi Hussum Episcopos & Cardinales demereri. Itaq; dominus Ioannes de Chlum tristis inde discessit, frustra per multos inde dies publicè & priuatim de Papæ iniuria conquestus, quòd contra suam & Regis Romani fidem, uirum optimum Ioannem Hus per insidias cepisset: qui postea in Cantoris Constantiensis ecclesiæ domum ductus per satellites in octauum usque diem ibi sub custodia fuit. inde in monasterium Prædicatorum ad Rhenum perductus, & carceri eius monasterij, magnæ latrinæ proximo, mandatus est. in quo cùm aliquantisper delituisset, incidit ex loci iniuria in grauissimam febrim & uentris constipationem, adeò ut de uita eius desperatum esset. Ac ne fortè in ipso carcere uulgari genere mortis periret, misit Pontifex Romanus aliquot ex medicis, qui eum curarent.

Medio infirmitatis eius tempore, accusatores ipsi uehemẽter apud primates concilij institere pro Ioãnis Hus condemnatione, & articulos subscriptos Pontifici Romano obtulerunt.

Articuli primi omnium exhibiti Papæ Ioanni XXIII. per Michaelem de Causis, pro condemnatione Hus, cum primùm incarceratus fuisset.

I

De Cœna Domini.

IN primis, errat circa sacramenta ecclesiæ, & signãter corporis Christi: nam publicè ad populum prædicauit, id ministrandum populo sub utraq; specie, scilicet corporis & sanguinis. patet iste articulus, quia iam Pragæ ipsius discipuli ministrant illud sub utraq; specie.

Item à plærisque asseritur, quòd in scholis & in templo docuit, uel ad minimum quòd ipse teneat, quòd post uerba consecrationis in altari prolata, in sacramento altaris remaneat panis materialis. Iste articulus scietur ex ipsius examine.

II

De administratione Sacramẽtorum.

Secundò, errat circa ministros ecclesiæ, quia dicit, quòd non possunt confi cere nec ministrare sacramenta, quando sunt in mortali peccato. Iste articulus similiter scietur ex ipsius examinatione. Veruntamẽ ex scriptis eius de Ecclesia potest elici, quæ hic habentur. si negauerit, deputentur ad hoc Magistri in theologia, & alij qui uideant eius scripta de Ecclesia.

III

De ecclesia.

Tertiò, errat circa Ecclesiam: primò quòd non admittit, quòd ecclesia significet Papam, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos & clerum eis subditum. & dicit illam significationem extortam à Scholasticis, & nullatenus esse tenendam. Patet ille error manifestè ex tractatu suo dicto De ecclesia.

Item errat circa Ecclesiam, quia dicit quòd Ecclesia non debeat habere temporales possessiones, imò quòd domini temporales impunè possint ea ecclesijs & clericis auferre. Patet ille error, quia propter doctrinam & inductionẽ suã, multæ ecclesiæ in regno Bohemiæ & ciuitate Pragensi iam de facto sunt quàm plurimis bonis temporalibus spoliatæ.

Dicit etiam quòd Constantinus & alij Principes seculares errauerunt, ecclesias & monasteria dotando, iste articulus patet ex immediatè præcedenti.

IIII

Potestas ordinum Papaliũ.

Quartò, circa Ecclesiam errat, quòd omnes presbyteros paris dicit esse potestatis. & ideo reseruationes casuũ Papaliũ & Episcopaliũ, ordinationẽ & clericorũ consecrationẽ, dicit propter cupiditatẽ uel ambitionẽ superiorũ adinuẽtas. Aliqualiter patet iste articulus ex prędictis, sed ex interrogatione & examine melius poterit apparere. Post hos & alios eódem recidentes articulos

Papæ exhibitos, pleraq; subdidit Michael ille de Cauſis in hanc ſententiam.

Coaceruatio calumniarum.

Vt prædictus Ioannes Hus ueſtitus ueſtimentis ouiũ, & intrinſecus lupus rapax, ex fructibus ſuis magis cognoſcatur, ad informandam paternitatem ueſtram dico, quòd primùm habens propoſitum errores ſeminãdi, ſicut poſtea fecit, ſciens ſe habere reſiſtentiam & contradictionem à Teutonicis magiſtris in uniuerſitate Pragenſi, pro eo quòd poſſent contra ipſum & partem ſuam concludere, quia tres habebant uoces, ipſe uerò & pars ſua ſolùm unam, machinatus eſt ut Teutonici ſolùm unam haberent uocem, & ipſe & pars eius tres, idq; per brachium ſeculare. Quod cùm uiderent Teutonici, priuſquàm renunciarent iuri ſuo, quod habebant in uocibus, aut periclitarentur in perſonis, quod tunc erat eis proximum, ut ſaluarent perſonas ſuas, concorditer elegerunt Praga recedere. & per hoc deſolatum eſt id ſolenne ſtudium Pragenſe, quod multos magnos uiros in diuerſis facultatib. procreauit. Ecce primus fructus, quòd diuiſit illam ſanctam Vniuerſitatem, quia non colliguntur uuæ de ſpinis, nec de tribulis ficus.

XLV. articuli Vuicleff.

Item, poſtea orta quæſtione inter magiſtros theologiæ dè uniuerſitate Pragenſi ſuper XLV articulis Ioannis Vuicleff, & facta conuocatione, cùm concluſiſſent omnes alij magiſtri theologiæ de natione Bohemorum, quia Teutonici iam receſſerant, quòd quilibet dictorum articulorum aut eſſet hæreticus, aut ſcandaloſus, aut erroneus: ſolus iſte poſuit concluſionem contradictoriam, quòd nullus illorum articulorum eſſet aut hæreticus, aut ſcandaloſus, aut erroneus: ſicut poſtea in ſcholis Pragæ publicè diſputauit, tenuit & docuit. Per quod ſatis uidetur articulos ipſius Vuicleff aſſerere non ſolùm in Anglia, ſed ab eccleſia condemnatos, qui ab Antichriſti hæreticis ſunt poſiti. Sub finem accuſationis idem adiecit. Habet etiam pro ſe generaliter omnes hæreticos, qui omnes non curant cenſuram eccleſiaſticam, & oderunt Romanæ eccleſiæ authoritatẽ: imò deteſtant & uilipendunt: q; multò magis fiet, niſi cum effectu & uiriliter reſiſtatur. nam ſi qualitercunq; euadet de concilio, dicet ipſe & fautores ſui, quòd iuſta ſit doctrina ſua, & auctoritate ſacri uniuerſalis concilij approbata, & quòd omnes aduerſarij ſui ſint iniqui & mali: & maiora mala faciet quàm unquam aliquis hæreticus fecit à tempore Conſtantini magni.

Tres ſtimuli accuſationis.

Propterea, ſancte Pater, attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Chriſti, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: & dum nouus eſt morbus ſuccurrite, tam quò ad illum qui ſic turbat & inficit Eccleſiam Dei, quàm quò ad occaſiones, quibus illi facere præſumpſit & potuit, quia ſcilicet prælati abutuntur cenſuris eccleſiæ, & quòd tam ipſi prælati quàm ipſorum ſubditi non ſeruant ordinem ſibi à Deo & eccleſia inſtitutum, propter quod fit, cùm ipſi per abrupta gradiuntur, quòd grex in præcipitium cadit.

Deputentur igitur per dominum noſtram & ſacrum iſtud concilium, ad hoc commiſſarij, qui præſentibus eis qui nouerunt factũ, interrogent & examinent dictũ Hus, ſuper præſcriptis & alijs. Deputentur etiam certi Doctores & magiſtri ut uideant libros eius, quos ſcripſit, quorum aliqui hic habentur: ut ab iſtis erroribus eccleſia maturè poſſit repurgari.

Commiſſarij ſeu iudices.

Dati itaq; ſunt eis commiſſarij ſeu iudices, patriarcha Conſtantinopolitanus, epiſcopus Caſtellæ, & epiſcopus à Libuſs. qui ipſam accuſationem & teſtimonia producta quorundam ſacrificulorũ Pragenſium, & iuramentis confirmata audiebant, quæ poſtea Ioanni Hus in carcere, cùm dolores febris maximi eſſent, ſunt recitata. Cõtra ea uerò, cũ Ioãnes Hus peteret ſibi Aduocatũ aliquẽ defendendi ſui cauſa concedi, conſtanter eſt recuſatũ. hoc enim præter cætera, iuris Põtificij authoritate prohibitũ eſſe, Ne quis ei q de aliqua hæreſi ſuſpectus

suspectus esset, patrocinaretur. Quod sanè perfacilè fieri potuisset. tāta enim fuit uanitas, testimoniorum præsertim, ut nulla accurata confutatione opus fuerit, si modò non ijdem iudices & actores fuissent. Horum postea quædam exponenda erunt, cùm ad ipsius iudicij processum uentum fuerit.

Postquàm Hus ex morbo nonnihil conualuisset, oblati sunt ei in carcere, mandato trium illorum iudicum, quos dixi, articuli satis multi, quos aiebant ex eius libello De ecclesia excerptos esse. quorum alij conficti ab ipso Paletz, alij mutilati erant. horum quoq; mentionem in ipsius iudicij historiam differemus: ac prius alia quæ interea gesta sunt, exponemus. In ipso carcere monasterij fratrum Minorum, usq; ad diem Mercurij proximum ante festum palmarum, Ioānes Hus sub certis custodibus detentus est, atq; interea libellos quosdam, temporis fallendi causa, conscripsit, scilicet, de Decalogo, de Dilectione & cognitione Dei, de Matrimonio, de Pœnitentia, de Tribus hostibus hominis, de Oratione Dominica, de Cœna Domini, &c. *Libelli in carcere cõscripti.*

Eo die Romanus Pontifex Ioannes XXIII. clàm mutatis uestibus Constantia se subduxit, iudicium metuens quo post fugam ob ingentia crimina, dignitate Pontificali est priuatus. hæc causa fuit Ioannis Hus iterum in alium carcerem transferendi. ministri enim Papæ, qui carceri Hus astiterant, cognita domini fuga, traditis clauib. carceris ipsi regi Sigismūdo & Cardinalibus, confestim sunt eum secuti. Ex sententia uerò Concilij, Ioannes Hus in episcopi Constantiensis potestatem traditus est. is per suos satellites armatos curauit eum non procul à Constantia trans Rhenum in arcem quandam deportari, ubi in turri eiusdē arcis interdiu compedibus uinctus incedere poterat, noctu uerò compedibus ferreis iuxta lectum parieti est alligatus.

Interea nobiles uiri Bohemicæ nationis & Polonicæ, eniti summo studio non desinebant pro eius liberatione, ut & ipsius Ioannis Hus saluti, & suę totiusq; regni famæ consulerent, quæ iam per nequissimos quosq; homines non mediocriter erat labefactata: adeò ut quicunq; ostenderent se Constantiæ Ioannem Hus non odisse, omnibus, etiam infimæ cõditionis hominibus, risui atq; ludibrio essent. Itaq; communi consilio habito, statuerunt suam petitionem scripto ad commune concilium, uel saltem quatuor nationum, Germanicæ, Italicæ, Gallicæ, & Anglicæ deputatis declarare. Huiusmodi autem literas supplices pro liberatione Ioannis Hus missas concilio Constantiensi obtulerunt decimaquarta die Maij, anni M.CCCCXV. Quibus quidem recitatis, episcopus Luthomislensis statim surrexit, sentiens postrema parte earum literarum se in eam criminis inuidiam uocari, quasi per ipsum, regnum Bohemiæ ita infame redditum esset. *Bohemi laborant pro liberatione Ioan. Hußi.*

Ordinati igitur à concilio, constituerunt diem decimam septimam Maij, ad quam iterū adessent domini Bohemi, ut audirent & ipsius concilij responsionem, & seorsim præterea Luthomislensis episcopi excusationem. id quod postea factum est. Nam decimaseptima die Maij, iterū conuenerunt: ubi primùm quidā Episcopus, totius concilij nomine, memoriter Bohemis respondit. Ipse quoq; Luthomislensis episcopus, ad ea quæ à nobilibus Bohemis erant scripta, ita respondit ac se purgauit, ut defensionem cum grauí Ioannis Hus aliorumq;, qui eum sequebantur, accusatione coniunxerit. Cuius orationem ac responsionē nobiles Bohemi pridie Pentecostes confutarūt, fidemq; publicam tuti itineris ab Imperatore datam, et causam Ioannis Hus cum fama & existimatione regni coniunctam demonstrarunt.

Præterea propositum est in eodem concilio, publicum totius uniuersitatis Pragensis testimonium, de literis quas Ioannes Hus ad Ioannem XXII. Papam misit, anno M. CCCCXI. die prima mensis Septembris, de sua fide, innocentia, uoluntate ad omnem obedientiam obseruantiamq; rectam

ctam & piã paratiſſima. quas & à notarijs publicis deſcribi, et publico uniuerſitatis ſigillo, authoritateq; doctorum ac magiſtrorũ conſignari poſtularunt.

Cùm uerò ad oblata ſcripta nihil reſponſi acciperent per aliquot dies, ipſi nobiles Bohemi ſtatuerunt ultimo die Maij denuò ipſius concilij primatibus ſupplicare & petere, ut Ioanni Hus à carcere liberato, publica defenſio concederetur. ſimul etiam obtulerunt teſtimonium Nicolai epiſcopi Nazarethenſis, de Ioanne Hus: in quo & iniquiſſimæ inimicorũ calumniæ, & ipſius uitæ doctrinæq; moderatiſſimæ rationes fuerunt declaratæ.

Teſtimonium Epiſcopi Nazarethenſis in quiſitoris diœceſis Pragẽſis.

Poſtremò his prolatis authoritatibus ac teſtimonijs, de innocentia modeſtiaq; Ioannis Hus, ſupplicíter ijdem nobiles rogauerunt, ut ipſe Hus carcere liberatus, ac uinculis ſolutus, in cuſtodiam liberiorem atq; humaniorem quorundam Epiſcoporum traderetur, in qua & commodius examinari, & mitius ac benignius tractari atq; recreari poſſit. Qua in re, ad euitandum omnem malæ cuſtodiæ metum & dubitationem, uades ſponſoresq; certiſſimos pro ipſo Ioanne Hus, uſque ad exitum cauſæ inſtitutæ, aſſeruandos obtulerunt. Ac ne quis eos iniquam rem poſtulaſſe criminari poſſet, à concilio petierunt, ut poſtulatio ipſorum, ſummæ æquitatis plena, à notario publico perſcriberetur.

Patriarchæ Antiocheni reſpõſum ad ſcripta & ſupplices libellos Nobilium.

Perlecto eorum ſcripto coram deputatis quatuor nationum, patriarcha Antiochenus omnium nomine reſpondit ad ſingula capita ipſius ſcripti: ſed breuiſſimè. Primùm, quod ad proteſtationem Ioannis Hus attineret, fueritne uera ac firma, an non, in ipſius cauſæ proceſſu palàm futurum. Deinde, quia dicant aduerſarios Ioannis Hus nonnulla peruerſè ex eius libris excerpſiſſe, id quoque in exitu cauſæ manifeſtum futurum. quòd ſi Ioannes Hus iniuſtè accuſatus eſſe decernatur, tunc fore ut aduerſarij in perpetuam incidant ignominiam. Sed de fideiuſſoribus, etiam ſi mille dentur, tamen fieri non poſſe, ſalua conſcientia deputatorum concilij, ut recipiantur in cauſa eius uiri, cui nullo modo fides habenda eſſet. hoc tamen ſe facturos, ut ad quintum Iunij, Ioannes Hus iterum Conſtantiam aduehatur, & habeat coram ipſo concilio líberam dicendi poteſtatẽ, eumq; piè & benignè audituros eſſe. Sed rei & actionis totius euentus longè contrarium huic promiſſioni oſtendit.

Scriptum Sigiſmundo Romanorũ Regi exhibitum.

Eodem die ijdem nobiles libellum ſupplicem ſcriptum concilioq; oblatum, etiam regi Sigiſmundo obtulerunt, ut eius ſummã æquitatem cognoſcerent, ſimul etiam ei & fidem publicam ab ipſo datam reuocarunt in memoriam: & cauſam Ioannis Hus ſuſceptam, & cum exiſtimatione regni Bohemiæ dignitateq; coniunctam, ſummo ſtudio commendarunt. Supplicationis uerò ipſa uerba huc inſerenda duximus, ut ex actis publicis plenior hiſtoria eluceſcat.

Sereniſſime Princeps & dominẽ gratioſiſſime, Serenitati ueſtræ ſignificamus, quòd nos unanimi conſenſu & pari uoto concordes, hanc noſtram inferius deſcriptam, rationabilem, iuſtam & exauditione dignam petitionem reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis quatuor nationum deputatis, totiq́ue ſacro Conſtantienſi Concilio duximus porrigendam.

In eandem ſententiam pro liberatiõe è uinculis ſupplicarunt Barones &c. ut uidere eſt ĩ Epiſtolis.

Fauore itaq; & intuitu rationabilium & iuſtarum petitionum dictis dominis porrectarum ueſtræ ſupplicamus Regiæ maieſtati, quatenus amore iuſtitiæ, & famæ præclari regni Bohemiæ, cuius abſque dubio hæres & dominus ſucceſſurus fore dignoſcimini, & ueſtri ſaluí conductus libertati prouidentes, erga dictos reuerendiſſimos Patres & dominos uelitis interponere partes ueſtras, ut nos in hac iuſta petitione noſtra, ipſis, ut præfertur, oblata, uelint effectualiter audire. Ne autem inimici honoris & famæ præclari regni Bohemiæ, & noſtri pariter obtrectatores nobis in poſterum poſſint detrahere, præ-

re, prætendentes nos illicita & inordinata à reuerendiſſimis dominis poſtulaſſe: ideo ab eis petiuimus, quatenus noſtræ ſchedulæ tenorem uelint decernere manu publica autenticandum.

Quid uerò ipſe Rex ad ea reſponderit, non ſatis conſtat. ſed ex ipſa actione & iudicio facilè apparet, uirum bonum improbitate Cardinalium & Epiſcoporum, in eam ſententiam perſuaſum eſſe, ut fide publicæ Huſſio datæ renuntiaret. neque enim poſſe quenquam eum, qui hæreticus ſit declaratus, ſecundum pontificij iuris ſanctiones, aut fide publica, aut ulla re alia defendere. Sed ex ipſis Ioannis Hus epiſtolis, facilè de ſententia Regis iudicari poteſt.

Io. Huß abſens accuſatus.

Ad quintum igitur Iunij, quum ingens multitudo Cardinalium, Epiſcoporum, & quicunque ferè tum ex ordine eccleſiaſtico Conſtantiæ erant, in monaſterium Fratrum minorum, ut antea, conueniſſet: mandatum eſt ut priuſquam Ioannes Hus adduceretur, in eius abſentia teſtimonia & articuli, de eius libris calumnioſè excerpti, recitarentur. quos articulos, & quid poſtea Ioannes Hus reſponderit, commemorabimus. Eos cùm Petrus de Mladonyeuuitz notarius, qui tum fortè aderat, Ioanni Hus beneuolentia coniunctus, intellexiſſet, ab ipſis Epiſcopis et Cardinalibus iam decretum eſſe, ut in abſentia Ioannis Hus condemnarentur, properans ad dominum Vuenceslaũ de Duba & Ioannem de Chlum, rem omnem expoſuit. Hi continuò ad regem Sigiſmundum hæc deferunt. qui, ut rem cognouit, miſit dominum Ludouicum comitem Palatinum ab Heidelberga, & dominum Fridericum Burggrauiũ Noribergenſem, ut in cauſa Ioannis Hus præfecti concilij nihil decernerent, priuſquam ipſum, & quidem æquo animo, audiuiſſent, & quoſcunq; in eo articulos erroneos deprehendiſſent, ad ſe mitterent. ſe enim daturum operam, ut à uiris doctis & bonis examinarentur.

Ex Regis itaque uoluntate, ſententia p̃fectorum concilij uſque dum præſens eſſet Ioannes Hus ſuſpenſa eſt. Interea uerò Vuenceslaus de Duba & Ioannes de Chlum, ipſis Principibus à Rege in concilium prædictum miſſis, certos quoſdam libellos Ioannis Hus, ex quibus contra eum articuli quidam, ut ſæpe iam dictum eſt, excerpti erant, tradiderunt, ut ipſis pręfectis concilij præſentarent, ea quidem lege, ut cùm uellent, ab eis repeterent. idq; eo conſilio factum eſt, ut tantò facilius aduerſarij coargui poſſent, qui mala fide ſententias ex libris Ioannis Hus collegerant. Traditis libris Concilio ipſi, & eodem adducto Ioanne Hus, Principes, qui à Rege miſſi erant, abierunt. Deinde ipſi libelli cùm oſtenſi eſſe Ioanni Hus, is publicè in eo conſeſſu Epiſcoporum confeſſus eſt, ſe eius authorem eſſe, & paratum, ſi quid ineſſet erroris, emendare.

Clamore & tumultu Pontificiorum oppri/mitur Huſſius.

Hic uerò indignum facinus accidit. nam cùm unus duntaxat articulus, & pauca quædam teſtimonia in eum prolata eſſent, & ipſe reſpondere conaretur, tota eum ſimul multitudo undiq; clamoribus ita obruit, nullum ut omnino uerbum facere poſſet. tanta erat confuſio & perturbatio, ut immanium aliquot beluarum tumultum non hominum dixiſſes. Si quando tantùm à uociferationibus remiſſum eſſet, ut paululum quiddam Ioannes Hus loqui poſſet, aut ex Scripturæ, aut ex ſanctorum doctorum ſententia, continuò audiuit, ea nihil ad rem facere. hinc aliorum conuicia in eum, aliorum uerò ludibria certatim ſequebantur. Victus igitur uociferationum immanitate quum ſe loquendo nihil omnino proficere uideret, tacere tandem decreuit. Ibi uerò omnis multitudo aduerſantium, putabat ſe palmarium repperiſſe & uno ore omnes, Tacet iam, inquiunt, tacet. ſatis id quidem ſigni eſt, eum iſtis erroribus ſuis aſſentiri. Quid multa? eò tandem res rediit, ut propter inordinatam confuſionem totius iudicij, quidam moderatiores ſenatum dimitti

mitti censerent, & rem in aliud tempus differri. Ex istorum itaq; consilio senatus dimissus, & iudicium in perendianum diem iterum est constitutum.

Eclipsis solis admiranda.

Eo igitur die qui erat 7. Iunij, horam circiter septimam, cùm paulò antè admiranda solis eclipsis uisa esset, iterum in refectoriũ fratrum Minorum, ijdem qui antea, conuenerunt, & Ioannẽ Hus magna turba armatorũ militũ cinctũ, coram eis sisti mandarunt. Eodem uenit etiã Imperator Sigismundus, quem Vuenceslaus de Duba, & dominus Ioannes de Chlum, & Petrus notarius, amici Ioãnis Hus, secuti sunt, ut exitum negotij uiderent. qui sanè quùm eò uenissent, audierunt tandem prælegi accusationem Michaelis de Causſis in hæc uerba: Ioannes Hus in sacello Bethlehem & in alijs locis ciuitatis Pragensis, ad populum docuit multos errores, partim ex libris Vuicleff partim à se confictos, eosq; summa animi pertinacia defendit. Primùm, quòd post consecrationem & pronunciationem uerborum in cœna Domini, manet panis materialis. idq; probatum est testimonijs Ioannis Protiuuæ, parochi Pragensis ad S. Clementem, Ioannis Pecklo prædicatoris Pragensis ad sanctum Egidium, Benesij prædicatoris in arce Pragensi, Andreæ Brodæ canonici Pragensis, & aliorum quorundam sacrificulorũ. Ad hoc respondit Ioannes Hus, sanctè adiurans, se id nunquam dixisse. cæterùm hoc se fateri, cùm archiepiscopus Pragensis omnino prohibuisset uti illo termino, Panis, tunc se hoc edictum Episcopi nõ potuisse probare, quia Christus ipse VI. cap. Ioannis undecies seno minauerit Panem Angelorum, qui de cœlo descendisset, ut toti mũdo uitam daret, &c. Cardinalis Cameracensis & plerique alij sophisticis argumẽtis impetebant Ioannem Hus, præsertim uerò Angli, inter quos quidam erat nomine Stokes, sophista acerrimus. Alij uerò intentabant uarias aduersus eum accusationes, leues quidem & pueriles, ut tum ferebant tempora. Repetitus etiam est in accusatione sequẽs articulus: Condemnatio XLV. articulorum Vuicleff, per doctores facta est irrationabilis & iniqua, & causa per eos allegata est ficta, uidelicet quòd nullus ex ijs est catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scãdalosus. Responsio: In meo libello ita scripsi, Condemnati sunt articuli XLV. ex hac causa, quòd nullus ex illis articulis habitus est catholicus: sed quilibet eorum aut hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus iudicatus est. O doctor, ubi probatio? causam fingis quam nõ probas, &c. ut latius in Tractatu. Tum cardinalis Cameracensis, Tu dixisti, Ioannes Hus, te nolle ullum errorum Vuicleff defendere, & iam patet ex libris tuis, quòd eius articulos defendisti publicè. Hus respondit, Reuerende pater, idem dico qd' antea, q; neq; Ioannis Vuicleff, neq; alicuius alterius errores uolo defendere: sed quia uidebatur mihi contra conscientiam ad condemnationem eorum simpliciter cõsentire, nulla habita Scriptura de oppositio, ideo ad illorum condemnationem nolui consentire.

XXXIX. articuli Hußio propositi.

Alij præterea articuli numero triginta nouem, qui ex alio quodam libello contra Stanislaũ de Znoima excerpti esse dicebantur, etiam Ioanni Hus propositi fuerunt, eiusdem propemodum argumenti cum superioribus, quibus idem Hus Pontificis Romani primatum contra aduersarios oppugnauit.

Conclusionibus quoq; & propositionib. quotidie nouis diuexabant Ioannem Hus aduersarij, quas confingebant, nunc addendo aliqua, nunc subtrahendo, nunc integram propositionem falsè ascribendo: quòd etiam ipsi commissarij, præsente ipso Hus confessi sunt. Postremò etiam articuli à Parisiensibus authore Gerſone, aduersus eundem Ioannem Hus compositi fuerunt, numero nouendecim: de quibus ipse in epistolis tantopere conqueritur, quod non habuerit spatium ad eos respondendi.

Titulus horum articulorum huiusmodi erat: Articuli contenti formaliter aut elicitiuè in tractatu Ioannis Hus Pragensis, quem intitulauit De ecclesia, sequens

sequens errores Ioannis Vuicleff in hac parte, &c. Quibus nouendecim articulis, pro omni ratione hoc addebant, suis suffragijs Magistri illi Parisienses, quod hic ascribere uisum est his uerbis: Asserimus articulos præfatos notorie esse hæreticos: & ut tales iudicialiter condemnandos, & ne cæteros inficiant, diligentissimè cum doctrinis suis scandalosissimis extirpandos. Etsi enim uidentur habere zelum contra uitia Prælatorum & clericorum, nimis (proh dolor) abundantium, non tamen secundum scientiam. Zelus itaque discretus ea peccata quæ uidet in domo Dei se non posse tollere, tollerat & gemit. Non possunt autem per uitia & errores bene tolli uitia, quia non in Beelzebub eijciuntur dæmonia, sed in digito Dei, qui est Spiritus sanctus, uolens ut in corrigendo modus adhibeatur prudentiæ, iuxta illud, Quis, quid, ubi, cur, attendas, & quomodo, quando. Prælati & Principes obligãtur sub pœnis iuris gra uibus & expressis, uigilanter se habere aduersus errores prædictos & similes, & suos assertores. Attendatur quòd error cui non resistitur, approbatur, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Sub correctione hæc doctrinaliter posita sunt in transitu. Ioannes de Gerson Cancellarius Parisien. indignus.

Accusatio Parisiensiũ authore Gerſone.

Quum ergo nouem illi & triginta primi articuli, quos suprà recitaui, omnes perlecti essent, unà cum testimonijs, Cardinalis Cameracensis Ioannem Hus compellans, Audisti, inquit, quanta sit atrocitas criminum, eorumq; plurimorum, quæ contra te allata sunt. iam tuum est officium, cogitare quid sis facturus. Duæ tibi uiæ à concilio proponuntur, quarum alteram te ingredi necesse est, primùm ut te ipsius concilij iudicio & sententiæ supplex subijcias: & quicquid hic communi sententia decretum fuerit, illud æquo animo ut feras. quod si feceris, nos propter ipsius clementissimi Imperatoris hic præsentis, & fratris eius regis Bohemiæ honorem, & tuę salutis causa, ea qua debemus pietate & humanitate tecũ sumus acturi. sed si adhuc aliquos ex ijs articulis qui nobis propositi sunt, defendere cogitas, & amplius te audiri postulas, eius rei potestatem tibi nõ negabimus. Verùm cogitabis hic tantos esse uiros, & tam illuminatos, eosq; tam firmas & ualidas rationes contra tuos articulos habere, ut uerear ne hoc cum magno tuo incõmodo & periculo facturus sis, si amplius eos tueri uelis. hæc ego monendi tui causa, non iudicis more loquor. Hanc Cameracensis orationem, alij subsequentes idem pro se quisq; Ioannẽ Hus hortati sunt. Quibus tum submisso uultu respondit, Reuerendissimi patres, iam sæpe dixi me liberè huc uenisse, non ut obstinatè quicquam defenderem, sed si qua in re minus rectè sentirem æquo animo paterer me doceri. rogo igitur, ut sit mihi locus amplius sententiã meam declarandi. cuius nisi certas & efficaces rationes attulero, libenter in uestram informationem, ita ut postulatis, concedam. Hic magna uoce quidam, Videte quàm callidè loquatur. informationem dicit, non correctionem aut definitionem. Imò, uerò ut uultis siue informationem, siue correctionem, aut definitionem. testor enim Deũ me nihil nisi ex animo loqui. Tum Cameracensis, Quando igitur informationi & gratiæ ipsius concilij te subijcis, hoc à doctoribus fere sexaginta, quorũ aliqui iam hinc abierunt, & tamen in eorum locum Parisienses successerunt, decretum, etiam à toto concilio, ne uno quidem contradicente, approbatum est: primùm, ut supplici animo te in istis articulis, qui contra te allati sunt, errasse confitearis: deinde, ut iureiurando promittas, nihil istorum te amplius sentire aut docere uelle: postremò, ut publicè omnes illos articulos recantes. In quam sententiam cùm multi alij multa dixissent, tandem Ioannes Hus, Iterum dico, inquit, me paratum esse ad informationem concilij, sed illud tamen per eum, qui omnium nostrum Deus est, uos rogo atque obsecro, ne per uos cogar ad id quod conscientia mea repugnante, & sine æternæ damnationis

Cameracenſis duas proponit conditiones Hußio.

Hußius ad Palinodiam ſollicitatur.

Cõtra cõſcientiã Hußius nihil agi poſtulat.

periculo facere non possum, ut omnibus articulis contra me propositis iura-
mento renuntiem. memini enim me in Catholico legere, Abiurare est errori
prius tento renũtiare. Cùm igitur multi articuli mei esse dicantur, quos ut sen
tirem aut docerem nũquam mihi in mentem uenit, quomodo possum eis per
iuramentum renuntiare? Cæterum, quòd ad illos articulos attinet, qui uere
mei sunt, si quis me aliter docere poterit, libenter hoc faciã, quod postulatis.
Tum Imperator, Quid ni, inquit, sine periculo posses omnibus istis renuntia-
re, quæ etiam falsò dicis contra te à testibus proposita esse? Equidem omnes
errores abiurare non dubito, neq; hinc sequitur continuò, me aliquem errorẽ
professum esse. Ad quem Hus. Imperator clementissime, aliud significat uoca
bulũ abiurandi, q̃ tua maiestas hic usa est. Et Cardinalis Florentinus inquit,
Dabit tibi, Ioannes Hus, scripta abiurandi forma, satis lenis et tolerabilis, tunc
facilè inibis consilium, uelisné id an non facere. Tum iterum Imperator, uerba
Cardinalis Cameracensis repetens, Audisti duas uias tibi propositas esse: pri-
mùm, ut, illis erroribus tuis iam condemnatis palàm renunties, & iudicio con
cilij subscribas. Pro qua re uicissim eius gratiam experieris, sin pergis defende
re tuas opiniones, concilium facilè habebit, quod secundum leges suas de te
decernat. Cui Ioannes Hus respondit, Ego nihil recuso, quicquid ab ipso con
cilio de me decretum fuerit, Imperator clementissime. Id tantùm excipio, ne
Deum & conscientiam meam offendam, & dicam me illos errores professum
esse, quos nunquam mihi in mentem uenit profiteri. Obsecro autem, ut si fie-
ri potest, uobis concedentibus habeã potestatẽ amplius animi mei sententiã
declarandi, ut de ijs, quæ mihi obiecta sunt, maximè de officijs ecclesiasticis,
quantum satis est, respõdere possim. Sed cùm alij, tum Imperator eandem ei,
quam antea, cantilenam occinere cœperunt. Aetatem habes, inquit Impera-
tor, facilè potuisti intelligere, quæ & heri & hodie ad te dixi. nos testimonijs,
quæ fide dignissima sunt, credere cogimur. Quòd si Scriptura dicit, quòd in
ore duorum uel trium stet omne uerbum, quantò magis in tantorum uirorũ
quàm plurimis testimonijs? Tu igitur, si sapis, accipies à concilio pœnitentiã
corde contrito, & manifestis erroribus renuntiabis, & iuramento promittes
te contra eos deinceps perpetuò & sentire & docere uelle. sin minus, sunt le-
ges, secundum quas à concilio iudicaberis. Hunc Imperatoris sermonem ex-
cepit quidam Episcopus Polonus iam decrepitæ ætatis, his uerbis, Apertæ
sunt leges de hæreticis, qua pœna affici debeant. Ioannes Hus constanter per
seuerabat, adeò ut pertinacem eum esse inclamarent. Quidam uerò bene fagi
natus sacerdos, acclamans, dixit ad præfectos concilij, Nullo modo ad reuo-
cationem admitti debet: scripsit enim ad amicos suos, se etiamsi lingua iuret,
mentem tamen iniuratã retinere uelle. non est itaq; ei habenda fides. Ad hanc
calumniam iterum respondit se nullius erroris sibi conscium esse. Tum Paletz,
Quorsum hæc protestatio, qua dicis te nullum errorem Vuiclessi defendere,
cùm tamen id facias? Hæc cùm dixisset, protulit in testimonium nouem arti-
culos Ioan. Vuiclessi, quibus publicè perlectis, addidit hæc uerba, Hos cùm
ego & magister Stanislaus præsente Ernesto Austriæ duce Pragæ contra eos
prædicaremus, pertinaciter nõ in concionibus solùm, uerumetiã editis libris
defendit. Quos nisi tu hîc exhibueris, nos faciemus. Idem confirmabat Impe-
rator. Cui Ioannes Hus, Facilè, inquit, patior, ut non solùm isti, uerumetiam
alij mei libri proferantur.

Ita uero tum omnes certatim ei molesti erant, ut iam uiribus ferè deficeret,
nam & noctem præteritam, dolore dentium totam insomnem duxerat.

Accusatio alia ipsius Hussi.

Lecta est in concilio etiã hæc accusatio, quòd uidelicet tres Pragæ obtrun-
cati fuerint ob eam causam, quòd ob Ioannis Hussij doctrinam, in literas pon
tificias contumelioſi fuissent, eosq; ipsos per eundem Hus cum pompa scho-
lasticorum

lasticorũ elatos, & publica cõcione in sanctorũ numerũ relatos esse. Et Naso ille, cuius etiã aliquot testimonia audita in hac causa fuerunt, eadẽ affirmabat, & se tũ præsentẽ fuisse dicebat, cũ rex Bohemiæ mandasset blasphemos ultimo supplicio affici. Tum Hus, Vtrũq; hoc falsum est, & Regẽ hoc mandasse, & cadauera à me ad sepulturã cũ aliqua pompa elata fuisse: cùm ego ne adfuerim quidẽ. itaq; & Regi & mihi iniuriã facitis. Paletz hoc argumento confirmabat Nasonis sententiã (tradebãt enim operas mutuas) Regis edicto cautũ fuit, ne quis bullæ pontificiæ cõtradiceret. illi tres contradixerũt bullæ pontificiæ. ergo uirtute edicti regij fuerũt decollati. qd uerò de ijs senserit Io. Hus, ex eius libro de Ecclesia satis apparet, in quo hęc sunt eius uerba, Legerũt credo Prophetã Danielẽ, ubi scribit, Et ruent gladio & flãma, & captiuitate dierum, & associabunt eis multi fraudulenter. Et postea, Hoc impleb. in illis trib. laicis, qui nõ cõsentiẽtes, imò cõtradicẽtes Antichristi mẽdacijs, ceruices suas exposuerũt, &c. His lectis, mutuò se intuentes oẽs, admirabũdi aliquãdiu tacuerũt. addiderãt enim Paletz & Naso, Ioannẽ Hus publica cõcione populũ adeò incendisse aduersus Magistratũ, ut magna multitudo ciuiũ palàm se opponeret, & eodẽ modo ut tres illi mortẽ contẽneret, ita ut ægrè etiam ipsius Regis authoritate tandem sedata fuerit.

Hãc accusationẽ, psequuti sunt Angli, exhibitis Cõcilio literis scholę Oxoniẽsis nomine, quib. quidẽ perlectis, ad tẽpus silentiũ fuit, quod sane abrupit Paletz, ueluti meditata oratione insurgẽs, Deũ testor, inquit, corã Imperatoria maiestate, & reuerendissimis patrib. Cardinalib. Episcopis, &c. me in hac accusatione Ioãnis Hus, nõ aliquo erga eum odio aut maleuolẽtia usum esse, sed ut iuramẽto meo satisfacerẽ, qd̃ præstiti cũ insignib. doctoralib. ornarer, me omniũ errorũ ad utilitatẽ sanctæ & catholicæ ecclesiæ acrẽ aduersariũ forre. Hãc orationẽ assensu psequutus est Michael de Causis. At ego, dixit Hus, cœlesti iudici hęc omnia cõmendo, qui iustè utriusq; partis causam iudicabit. Tum Cardinalis Cameracẽsis, Nõ possum, inquit, satis mirari & pietatẽ & humanitatẽ domini Paletz, qua usus est in ponẽdis articulos cõtra Ioannẽ Hus. psectò multò atrociora sunt in libris ipsius, ut audiuimus. Hæc cùm dixisset, iussit episcopus Rigensis, cuius fidei Hus cõmissus erat, ut in carcerẽ sub prædicatorum reduceret. eũ sequutus D. de Chlũ magnopere animũ ipsius cõfirmauit. dici enim nõ potest, quantũ receperit animi, unius istius uiri breuissimo collo quio, cũ in tãta acerbitate odiorũ, ab alijs ferè omnib. iã se desertũ esse uideret.

Imperatoris de Hußio sententia.

Postea q̃ Hus abductus esset, cœpit Imperator in hãc sententiã præfectos cõcilij adhortari, Multa, eaq; grauissima in Ioannẽ Hus crimina audiuistis, nõ solùm firmis testimonijs, pbata, uerũetiã ab ipso cõfessa, ex quib. singula, meo iudicio, mortis supplicio digna essent. nisi igit̃ recantet illa omnia, censeo ut ignis supplicio afficiat̃. sin fecerit imperata, cõsulo nihilominus ut ei prædicãdi & docendi officio, & ipso regno Bohemiæ interdicat̃. nequaquã enim cõmittet, si iterũ admittat̃ ad docendũ, maximè uerò in regno Bohemiæ, quin illorũ, quos ibi habet, gratia & fauore fretus, ad ingeniũ redeat, & prẽter hos errores, nouos etiã in uulgus spargat, Cẽseo itaq; articulos ipsius condẽnatos, fratri meo regi Bohemiæ, deinde in Poloniã & alias prouincias, in quib. animi hominũ eius doctrina sunt imbuti, mittendos esse cũ huiusmodi mãdato, ut quicũq; ita sentire perrexerint, utriusq; potestatis cõmuni auxilio puniant̃. Ita demũ huic malo subueniri poterit, si rami unà cũ ipsa radice funditus euellant̃. Episcopi uerò & alij Prælati, qui de extirpãda hac hæresi nunc laborant, ipsis Regib. & principibus, in quorũ ditionib. sunt, totius cõcilij suffragijs cõmendent̃. Postremò, si qui hic Constãtiæ reperiunt̃ Ioannis Hus familiares, illi quoq; ea qua debẽt seueritate, coerceant̃. In primis uerò discipulus eius Hieronymus. Illũ profectò discipulũ, acclamarunt alij, punito magistro speramus

ilicò mitiorẽ fore. Hæc cùm dixissent, ex refectorio ubi conuenerant, abierũt.

Imperatoris legati ad Hussiũ.

Eodem aũt anno, quinto die Iunij, Sigismũdus imperator (anteà, Ioannẽ Hussiũ uarijs modis ad conciliũ illud perducere conatus, partim fide publica data, partim priuatis literis suis tutũ fore pollicitus, haud ignarus tamẽ quid iam tum de eo conciliũ statuisset) misit clarissimos Barones, D. Ioannẽ Chlumensem, D. Vuenceslaũ Dubensem, & simul quatuor Episcopos ad Hussiũ, qui apud Frãciscanos uinctus tenebatur, ut quid haberet animi, certò cognoscerent: uelletne pertinaciter ea capita asserere quæ testes obijciebant, an mutare sententiã, & cum abiuratione suæ doctrinæ iuxta cõcilij decretũ, diuersa prorsus scribere & docere.

Postquam Hussius è carcere corã legatis adductus esset: primus D. Ioannes Chlumẽsis hoc pacto eum est allocutus: Optime magister, nos homines illiterati tibi in hac re consulere haud possumus. Proinde ipse uideris an crimi num, quorũ te conciliũ hoc accusat, tibi ipse sis cõscius. Quòd si reus es, ne pudeat te sententiæ meliori cedere, atq; tuam retractare: Sin aũt conscientia tuæ innocentiæ testis est, caue quicquam cõmittas contra eam, néue in conspectu Dei mentiaris, neq; patiare tibi prius ueritatẽ diuinã, nisi simul cum anima eripi. Ibi ille cõstitit & lachrymas fundens modestè ita respõdit: Spectabilis uir, Deum meũ testor, si quid unquã erroneũ scripsi, aut si quid à Lege diuina alienum, quod cum sancta Ecclesia minus consentiat, docui, supplex retractabo, ac cedã lubẽs: imò summopere desidero rectiori & firmiori scriptura instrui. Quod si ipsi fecerint, reuocare ex animo singula paratus sum. Sermonẽ hunc excepit unus episcoporũ qui astabant: Hui, inquiẽs, uis tu plus sapere uniuerso concilio? Cui Hussius: Ego uerò, inquit, per Deum omnipotentẽ uos obtestor, uel unũ ex eo cõcilio, etiã infimæ sortis hominẽ date, qui me rectiora doceat de ueritate, equidẽ libenter ei cedã: tantũ abest ut me plus uniuerso concilio sapere existimẽ. Ad hæc uerba Episcopi alij: Heu, inquiunt, quàm est ille pertinax in sua hæresi. Hoc dicto eum in carcerẽ reduci mandantes, ipsi abierunt. Conuenerunt ijdẽ per sequentes aliquot dies eodẽ in loco, ut Hussiũ à proposito auocarent. Cũ uero nihil effecissent octauo Iunij Carceris custodi eum cõmendarunt, ne elaberetur, donec certi aliquid cũ alijs de eo statuerent. Sic pius ille homo per 28 dies apud Franciscanos miserè captus detinebatur. Hãc aduersariorũ tyrannidẽ Hussius cum uidisset, scripsit inter alias Epistolas per eos dies sequentẽ hanc propria manu in carcere, ad consolandũ & commonefaciendũ regẽ & Bohemos, ut in uera doctrina Euangelij pergant.

O hominis mirabilẽ constantiam.

Epistola plena adhortationũ ad Bohemos.

Magister Ioãnes Hussius, in spe seruus Dei, omnes fideles Bohemos, qui diligunt Deum, optat in gratia Dei esse & mori, tandemq; peruenire ad uitam æternam, Amen.

Qui præestis alijs, diuitesq; & pauperes in Deo dilecti & fideles, obsecro uos & moneo, ut Deo obtemperetis, uerbũ eius magnificetis, & libenter audiendo, re ipsa præstetis. Obsecro, ut adhæreatis ueritati Dei, quã ex lege eius & sermonib. Sanctorum scripsi & cõcionatus sum. Obsecro etiam, si quispiã, siue in publicis concionibus, siue in colloquutionib. priuatis, aliquid à me audiuerit, aut scriptũ legerit, quod sit contra ueritatẽ Dei, ne id sequatur. quandoquam nihil unquã huiusmodi me uel loquutũ esse, uel scripsisse mihi conscius sum. Obsecro præterea, si quis leuitatẽ, siue in sermone meo, siue in moribus aliqñ animaduerterit, ne illã imitetur, sed oret pro me Deũ, ut id peccatũ leuitatis mihi condonet. Obsecro, ut sacerdotes bonorũ morũ ametis, præferatis alijs & honoretis, præcipuè eos qui in uerbo Dei desudãt. Obsecro, ut caueatis uobis à fraudulentis hominibus, maximeq; à sacerdotib. impijs, de quibus Saluator dicit, quòd sint in uestitu ouium, intrinsecus autem lupi rapaces. Obsecro dominos, ut suos subditos pauperes tractent humaniter, regantq; iustè.

Obsecro

Obsecro ciues, ut in suo genere uitæ, cum conscientia bona uersentur. Obsecro opifices, ut sua artificia diligenter exerceant, ut eis cum timore Dei utantur. Obsecro seruos, ut suis heris fideliter seruiant. Obsecro magistros, ut ipsi honestè uiuentes, discipulos suos bene & bona fide instituant, doceantq; eos, primùm ut Deum timere discant, deinde propter gloriam Dei & utilitatem rerum publicarum, propriamq; salutẽ: non autem propter auaritiam & huius mundi honores, in honestas disciplinas incumbant. Obsecro studiosos scholę publicæ, & omnes alios scholasticos, ut in honestis rebus omnibus obtemperent suis magistris, eosq; imitentur, utq; cum magna diligentia studeant, quò utiles esse possint ad gloriam Dei illustrandam, & ad salutem tum suam, tum aliorum hominum. Obsecro uos simul omnes, ut generosis dominis, domino Bohuslao Dubensi, domino Ioanni Chlumẽsi, domino Henrico Plumlouio, domino Vylemo Zagecio, domino Nicolao, & alijs dominis Bohemis, Moranis & Polonis, gratias agatis, utq; uobis omnibus grata sit eorum sedulitas: propterea quòd tanquam strenui defensores Dei ueritatis, opposuerunt se sæpius toti illi cõcilio, pro liberatione mea omnib. uirib. cum eo contendentes, præsertim D. Vuenceslaus Dubensis & Ioannes Chlumensis. Illis, quæcunq; referent, fidem habete. illi nanq; erant in cõcilio, quum respondebam per plures dies. Illi sciunt, qui Bohemi, & quàm multa & indigna aduersum me protulerint: quo pacto cõgregatio illa cõtra me uociferabatur. Ego autẽ, ut dabam responsa ad omnia de quib. interrogabar. Obsecro uos etiam, ut pro rege Romanorum & uestro eiusq; uxore Regina uestra, Deum oretis, ut misericors Deus cum illis & uobiscum maneat nunc, & deinde in uita æterna. Amen.

Hanc epistolam scripsi uobis ex carcere & in uinculis, expectans postridie huius diei, qua scripta est, cõcilij sententiam de morte mea, habensq; plenam fiduciam in Deo, quòd nõ deseret me, neq; sinet me ueritatẽ suam abnegare, & errores, quos cõtra me falsi testes malitiosè cõmenti sunt, reuocare. Quàm clementer dñs Deus mecum agat, mecumq; sit in mirabilib. tentationibus, cognoscetis, cùm in gaudio futuri seculi, auxilio Christi unà conueniemus. De magistro Hieronymo, dilecto socio meo, non aliud audio, q̃ quòd in uinculis duris detineat, expectans mortẽ, quemadmodum & ego, idq; propter fidem, quam gnauiter Bohemis ostẽdebat. Bohemi uerò crudelissimi nostri hostes, tradiderunt nos in aliorum hostium potestatẽ & uincula. obsecro ut pro illis Deum oretis. Adhęc obsecro uos, præcipuè Pragenses, ut tẽplum Bethlemiticum ametis, detisq; opam, quamdiu Deus cõcesserit ut in eo uerbum Dei cõcionetur. Propter illum em̃ locum satanas iratus est, & cõtra illum parochos & canonicos cõcitauit, animaduertẽs q; in eo regnum suum infirmaretur. Spero in Deum, quòd illam ædẽ sacram seruabit, quandiu uolet, facietq; in ea profectum uerbi sui maiorẽ per alios, q̃ fecit per me imbecillem. Obsecro etiam, ut uos mutuò diligatis, & neminem phibentes à ueritate Dei, curetis ne phi ui opprimantur. Data die Lunę noctu ante Viti, per bonũ & fidũ Germanũ.

Ante mortem hæc scripsit.

Confirmauit etiam Bohemos alia Epistola ne terreantur, propterea quod aduersarij eius libros igne comburendos decreuerint, quam hic subiecimus.

MOnendos uos esse duxi, charissimi, ne paueatis, neue terreamini, eò q; aduersarij libros meos comburendos decreuerint. Sitis memores, quõ Hieremiæ Prophetę cõciones cõbusserint Israelitæ: nõ tñ quod in eis prophetatum erat, euitauerint. post cõbustionem enim illarum, præcepit Deus eandem prophetiã, imò auctiorem conscribere. qd̃ & factum est. Nã Hieremias in carcere sedens, dictabat, & Baruch, qui ei erat à manibus, excipiebat. Hoc

Epistola hæc propheticum Hussij spiritum demonstrat.

scriptum est aut xxxv. aut xl. capite uisionis Hieremiæ. Scriptum est etiã in libris Machabæorum, quòd exurebant legem Dei impij, & eos, qui eam habuerant, trucidabant.

Pòst deinde sub nouo Testamento, Sanctos comburebant, cum libris Diuinæ legis. Cardinales cõdemnauerunt, & igni tradiderunt quosdã libros sancti Gregorij, & omnes tradidissent, nisi à Deo per Petrum Gregorij ministrũ, essent defensi. Sanctum Chrysostomum, licet duo cõcilia sacer dotum hæreticum pronuntiauerint, tñ misericors Deus eorum mendacium, post mortẽ illius aurei oris, fecit manifestum. Hæc habentes præ oculis, cauete ne prętimore meos libros nõ legatis, & tradatis eos aduersarijs ad cõburendum. Memento dicti Saluatoris clementis, quo nos præmunitos esse uoluit. Erit, inquit, ante diẽ iudicij tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ad hoc usq; tempus, neq; fiet: ita ut in errorem inducãtur, si fieri possit, etiã electi Dei. sed propter hos, decurtabuntur dies illi. Horũ memores, charissimi, sitis imperterriti. Cõfido enim in Deo, q; schola illa Antichristi uos reformidabit, sinetq; esse quietos. Neq; concilium Constantiense ad Bohemiã proficiscetur. nã puto multos ex illis, qui in eo sunt, prius morituros esse, q; à uobis libros meos extorserint. Et ex cõcilio per partes mundi, huc atq; illuc more ciconiarũ dispergentur, cognoscentq; aduenìente hyeme, quod egerunt in æstate. Considerate quòd suum caput Papã, propter quædã horrenda scelera, dignum morte iudicauerunt. Agitedum, respondete ad hæc prædicatores, qui concionamini quòd Papa sit deus terrestris, q; possit sacra diuendere, ut dicunt luri sperìti, q; sit caput totius Ecclesiæ sanctæ, eam optimè administrãdo: q; sit cor Ecclesię, eam uiuificando spiritualiter: quòd sit fons ex quo promanat omnis uirtus & bonitas: quòd sit sol Ecclesiæ sanctæ: q; sit refugium tutissimum, ad quod quẽlibet Christianum cõfugere oporteat. En caput illud iam gladio amputatum, iam deus terrestris uinctus, iam eius peccata palàm declarata, iam fons ille sicatus, Sol obscuratus, cor extractum abiectum q;, ne quispiã ad illud refugiat. Concilium caput illud huius etiã sceleris condemnauit, q; indulgentias, episcopatus, & id genus alia diuendebat. Sed illi eum condemnauerunt iudicio, quorum multi ab eo emptores talium rerum extiterãt, & uicissim alijs eas uẽdendo, mercaturã exercuerunt. Aderat ibi Ioannes episcopus Litomyslius, q; bis episcopatum Pragensem emere conabatur: sed alij eum anteuerterunt. O homines perditos: cur prius trabem ex oculo suo non eiecerunt, cum ius eorum dicat, Quisquis dignitatẽ aliquã argento consecutus fuerit, ea priuetur? Venditor igitur & emptor, quiq; interponebat se illi cõtractui, palàm estote condemnati. Sic sanctus Petrus condemnauit & fecit anathema Simonẽ, uolentẽ emere uirtutẽ Spiritus sancti. Hi uenditorẽ anathema fecerunt, & condemnauerunt, ipsi autẽ emptores & huius contractus assensores sunt sine periculo. Quid, quod domi suæ mercatum hunc exercent? Constantiæ enim est unus Episcopus, qui emit, & alter qui uendidit. Papa autẽ, qui approbauit factum, ab utroq; munera accepit. ita fit, ut scitis, etiã in Bohemia. Vtinã dixisset Deus in concilio illo, Qui ex uobis est sine peccato, is ferat sententiã aduersus Papam Ioannẽ procul dubio, alius post aliũ exiuisset. Cur ante hunc istius casum, genua ante eum flectebant, eius pedes osculabantur, sanctissimum q; nominabant, cùm uiderent hæreticum esse, homicidã esse, perditum peccatorem esse, quæ omnia de eo iam palàm fecerunt? Cur Cardinales in Papã eum elegerunt, cùm scirent ipsum occidisse patrem sanctissimum? Cur permiserunt ei in sacris negotiari tum, cùm iam Papæ officium sustinebat? nam ideo ei à consilijs sunt, ut eum recta moneant. annon & ipsi horum criminum ęquẽ rei sunt ac ille? Quandoquidem hæc nonnulla uitia in eo ferebant, quorundam autem participes erant: cur priusquã Constantia profugerat, nemo quic

Ioannis 23. papæ condemnatio.

quam

quam ausus est ei obijcere, sed omnes ut sanctissimum patrem metuebant. Cùm autem secularis potestas, sic permittẽte aut uolente Deo, eum comprehendisset, tum primùm conspirauerũt, ne ullo modo à morte liberaretur. Iam certè malitia, abominatio, & turpitudo Antichristi reuelata est in Papa, & in alijs huius concilij. Iam fideles serui Dei possunt intelligere, uerba quid sibi uelint Saluatoris, qui dicit, Cùm uideritis abominationẽ desolationis, quę dicta est à Daniele, &c. qui potest capere capiat, certè abominatio maxima est superbia, auaritia, simonia, in loco deserto, hoc est, dignitate, quæ est deserta à bonitate, ab humilitate, & alijs uirtutibus, ut nunc clarè uidemus in illis, qui constituti sunt in aliquo magistratu & dignitate. O quàm gratum esset, si per tempus liceret mihi improbitates nunc cognitas patefacere, ut fideles serui Dei possent eas cauere. Sed spero in Deum, quòd mittet post me magis strenuos, & nunc sunt, qui melius patefacient malitiam Antichristi, & exponent animas suas ad mortem, propter ueritatem domini nostri Iesu Christi, qui & uobis & mihi daturus est gaudium uitæ æternæ. Scripta epistola in die sancti Ioannis Baptistæ in carcere, in compedibus, in illa meditatione, quòd sanctus Ioannes in uinculis carceris decollatus sit propter uerbum Dei.

Abominatio quid sit.

Recenset præterea terriculamenta somniorum, quibus uarie affectus est, etiamsi euentus probauerit omnia somnia uera fuisse.

DOminus uobiscum. cõsilium Domini diligo super aurum & topasium. unde spero de misericordia Iesu Christi, quòd dabit mihi spiritum suum, ad standum in ueritate. Oretis Dominum: nam spiritus promptus est, caro autem infirma. Dominus omnipotens sit merces æterna dominorum meorum, qui constanter, firmiter & fideliter stant pro iustitia, quibus dabit dominus Deus in regno Bohemiæ cognoscere ueritatem, quam, ut sequantur, necesse est eos redire in Bohemiam, postponendo uanam gloriam, & sequendo regem, non mortalem, miserum, sed Regem gloriæ, qui dat uitam æternam. O quàm grata fuit manus porrectio domini Ioannis? qui non est uerecundatus mihi misero manũ porrigere, tã abiecto hæretico & inferrato, & quasi ab omnibus inclamato. Iam fortè non multa loquar uobiscum: ideo salutetis tempore quo uidebitis omnes fideles Bohemos.

Epistola plena consolationũ.

Paletz uenit ad me in carcerem, eius salutatio in maxima mea infirmitate, fuit ista coram commissarijs, Quòd non surrexit periculosior hæreticus à nati uitate Christi, quàm Wicleff & ego. Item dixit, quòd omnes qui meum sermonem uisitauerunt, sunt infecti ista hæresi: Substantia panis materialis remanet in Sacramento altaris. Cui dixi, O Magister, quàm grauiter me salutasti, & quàm grauiter peccas? Ecce moriar, uel fortè comburendo comburar, quid ergo muneris dabit tibi in Bohemia? Istud fortè non debui scribere, ne uidear ipsum malè odisse. Semper habui in corde meo, Nolite confidere in Principibus, &c. & iterum, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium suum.

Sciatis pro certo, ꝙ magnam pugnam habui cum somnijs, ne ad ipsa exclamarem. Nam euasionem Papæ antea somniaueram. & post narrationem dominus Ioannes statim in nocte dixit, Vobis Papa redibit. Deinde etiã captiuitatem magistri Hieronymi, licet non in forma. Omnes carcerationes quò ducar, & qualiter patuerunt, licet nõ in forma. Serpentes multi sæpius apparuerũt, habẽtes capita etiã in cauda, sed nullus potuit me mordere: & multa alia. Ista scribo, nõ ꝙ me æstimẽ Prophetã, aut me extollã, sed ad dicendũ uobis, ꝙ habui tentationes in corpore & in mente, & maximũ timorem, ne transgrederer mandatũ domini Iesu Christi. Iam recogito uerbum magistri Hieronymi,

Pugna cũ somnijs.

qui dixit, Si uenero ad concilium, æstimo quòd non reuertar. Ad me etiam dixit quidam bonus sartor, Andreas Polonus, ualedicẽdo mihi, Deus sit tecum: uix enim, sicut mihi uidetur, redibis incolumis, charissime & constantissime in ueritate domine loãnes: det tibi Rex, nõ Hungariæ, sed cœlestis, omnia bona, pro tua fideli & diligenti, quam à te didici, doctrina.

Prophetia. O sancte Deus, quàm latè potentiam & crudelitatem extendit Antichristus? Sed spero quòd abbreuiabitur potentia sua, & amplius denudabitur iniquitas eius in fideli populo. Deus omnipotens confirmabit corda suorum fidelium, quos elegit ante mundi constitutionẽ, ut accipiant immarcessibilem gloriæ coronam. Et furat quantum uelit Antichristus, tamen non prævalebit contra Christum, qui illum interficiet spiritu oris sui, ut ait Apostolus, & tunc liberabitur creatura à seruitute corruptionis, in libertatẽ glorię filiorum Dei, ait Apostolus, subdens, Nosipsi intra nos gemimus, adoptionẽ filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Valdè me consolatur illud uerbum Saluatoris nostri, Beati eritis cùm uos oderint homines & cùm separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomẽ uestrum tanquã malum, propter Filium hominis. Gaudete & exultate: ecce enim merces uestra est multa in cœlis. Ioannes Hus in spe seruus Iesu Christi: à cuius spe nunquã potuit me diabolus separare, nec sperabit etiãsi sim in uinculis & carcere, stans in prẹsentis uitæ litore, expectans in crastino diram mortẽ, quæ ut spero purgabit mea peccata per Christum filium Dei uiui, Amen.

Lucæ. 6.

Cum uero dies & hora à Deo ordinata compararẽt, quibus constans Christi martyr suum doctrinam proprio sanguine testaretur, atq; huius anni Iulij erat dies sextus, ductus est Husius ab Archiepiscopo Rigentino, ad magnũ illud Constantiense templum, quo Episcopi & alij sacerdotum principes, ad eum condemnandum confluxerant: porrò postquam ad ualuas templi uentũ erat, restiterũt ibi cum eo, dum sacra in templo finirentur: ueriti enim sunt hominẽ introducere sub missæ tempus, ne rem diuinã sua præsentia polluęret.

Tandem peractis sacris pertraxerunt eum in consessum sacerdotũ, ubi pro more in excelsis sedilib. consedere, pro dignitate uidelicet illius ordinis constructis, asseribus in sublime eos ambientibus. Imperator uerò celsiori loco in suo solio sedebat, cui alterum latus claudebat filius Clementis tenens pomum imagine crucis insigne: alterum autem, dux quidam fulgentem gladium manu gerens. Erat præterea mensa in hoc ambitu paululum supra terram eleuata, cui impositus erat truncus, atq; in eo uestes & stolæ appositæ, quibus sacerdotes ad missandum utuntur, ad exaugurãdum seu degradandum Husium, quem ante eam mensam consistere iusserunt: ubi ille prò cumbens diu preces fundebat. Interea episcopus Londensis, cui Monacho erat cognomen: suggestum ascendit: unde ferè edicta sua promulgare solebant. concionaturus arripuit locum Pauli. Rom. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati: in hac concione uerbosissimè docebat quantę pestes sint, & quàm graues in sancta Ecclesia hæreses: deinde quod regũ & cuiusuis magistratus interfit, eas & præsertim simoniacam è medio Ecclesiæ tollere: tales nanq; hæreses unitatem Ecclesiæ qualibet ui aperta & tyrannide scindere longè nocentius. Ac sermonem ad Imperatorem conuertens sic est locutus, Aequum est igitur, Imperator inuictissime, ut hæreticum hunc in sua malitia rigidum extinguas (in manibus etenim nostris est) hoc siquidem pulcherrimo facinore, immortale nomen apud posteros iuuenes iuxta ac senes, tibi parabis. Hactenus fuit summa concionis. Successit aũt huic Henricus quidã concilij illius orator: is acriter instare, & uniuersum cœtũ stimulare, ut cœptã cãm cõtra Husiũ persequerent, urgerẽt nec prius desisterẽt, q̃ homo morti addiceretur. Deinde Episcopus quidam iussu cõcilij, pcessit ad pulpitum, ex quo formulam

formulã Huſsij cauſæ habitã cum Archiepiſcopo Pragẽſi,& cæteris ſacerdotum principib.recitat:mox etiã quam ipſi aduerſus Huſsium agebãt cauſam, cum formula condemnationis proferũt ij quib.id à concilio mandatum erat.

Legebantur inſuper in hoc conſeſſu crimina quę contra pium uirum teſtes tam Pragæ quàm Conſtantiæ intendebãt,& plura alia (quæ quidẽ ipſe in cartcere ſua manu perſcripſit,ac ſuis fratribus miſit, quò & ipſis iudicũ fraus perſpecta foret,& haberẽt quod mendacijs & cõmentis reſpondere poſſint:) Ac principiò cum hoc inter alia,illorũ quidẽ iudicio,crimẽ legeretur, Quòd una ſit Eccleſia ſancta catholica,quæ eſt cœtus omniũ credentiũ,ad ſalutẽ prædeſtinatorũ (iſtud quidẽ Synodus pro hæreſi habebat) Huſsius ſublata uoce in hæc uerba prorupit:Nõ dubito profectò,quin una ſit Eccleſia catholica,quę eſt congregatio omniũ electorum,tã eorũ qui adhuc uiuunt, q̃ mortuorũ & cœleſtium.Cumq; itẽ & ad alia reſponderet, tum Cardinalis Cameracẽſis ad eum:Agedum,inquit,tace modò,ad omnia ſimul poſtmodò reſpõdebis.Cui iſte:Prohibẽsne inquit, quo minus ſingula refellã, cùm uniuerſum calumniarum cumulum meminiſſe nõ queã? Rurſus ad cætera dicere uolenti, impoſitum fuit ſilentium per Cardinalẽ Florentinum,qui ſurgẽs:Tace,inquit,obtundis;atq; eum coerceri iuſsit à pręconib.Tum ille alta uoce ac manibus ad ſydera tenſis,exclamauit:Precor omnipotentis Dei nomine,ne uos pigeat me æquis animis audire, ut ſaltẽ apud iſtos qui circunſtant, me purgẽ,atq; ſuſpicionem errorum quam de me habẽt ex eorum cordibus dimoueã: id ſi modò deberitis tum iure ueſtro ſino de me quod libuerit faciatis:ſed cum nihil proficeret,atq; oẽm purgandi ſe de crimínib. falſò obiectis ereptã uideret poteſtatẽ: ſupplex in genua procidẽs,ſublatis in cœlum & manib.& oculis,orabat,cauſam ſuam Deo iudici æquiſsimo magna uoce cõmendans.atq; ſæpius hac appellatione ad Deum uſus eſt,dum accuſaretur. *Silẽtium Huſſio indictum.*

Tandẽ illi omnib.articulis,quos ex libris ipſius decerpſerãt,expoſitis,ſubijciebant quoq; eos qui teſtib.confirmati erant:callidè quidẽ ſingulis capitib. nomina teſtium ambigua,nẽpe officiorum aut dignitatum ſubiungebãt:germana uerò reticebãt artificioſè admodum.exẽpli gratia:Singulis capitib.recitatis,ita nomina teſtium addebant: Huius criminis teſtes ſunt, duo Canonici Pragenſes & totidem Parrochi, altarij tres, & unus doctor: atq; hoc artificio uſi ſunt in citandis teſtimonijs.

Omnib.itaq; criminum capitib.finitis & perlectis, Pontificius Iudex mox ſurrexit:Erat autẽ ſenex quidã, ualuicio inſignis,genere Italus.is condẽnationis ſententiã in Huſsium legebat,quã ad uerbum deſcribere hic,ſuperuacaneum uiſum eſt,potiora ſaltẽ declarare ſatis ſit,ad quæ obiter,quanquã illis ſeduló inhibentibus,ipſe reſpõdebat.Ac in primis cùm legeretur,q̃ multos annos pertinaciter hæſiſſet in erroribus,Ego uerò inquit Huſsius, id pernego. ſemper enim deſideraui, & etiãnum deſidero firmiore Scriptura doceri: ac utinã uel unum ſacrę ſcripturę uerbulum mihi hodie daretur,quod oẽs hos errores tollere & cõuincere poſſet.Et cùm in ea ſentẽtia,libros quoq; eius condẽnaſſent,quos de Eccleſia inſcripſit,deniq; quicquid ædidit Latinè,Bohemicè,& ſi quæ in alias linguas transfuſa erãt,ut Conſtantiæ & paſsim alibi,per Epiſcopos in regionib.omnia exurerentur ac abolerentur,Ad ea Huſsius ita reſpondit,Quo iure mea ſcripta dãnare poteſtis,quę nec ullis firmioríb.argumentis, quod ſemper cupiui & iã cupio,refutaſtis,nec cullius erroris cõuiciſtis? Deinde qua re impulſi libros noſtros in Bohemicã uel aliam quampiã linguã uerſos abrogare decreuiſtis? nimirum quos nunquã uidiſtis:& ut maximè uideris,non intellexiſtis,quippe Bohemicè prorſus ignari.Hęc conqueſtus tandẽ alias criminum partes in ea cõdemnatione cõtra ſe lectorum auſcultando,cœlum ſuſpiciens,ſupplex ac genibus flexis,orabat. *Huſſi excuſatio.*

Porrò

Porrò condēnatione hac finita Huſſius pro omnib. inimicis ſuis uoce clara ita deprecatus eſt, Domine Deus, per tuam miſericordiā precor, omnibus hoſtibus meis digneris ignoſcere. Nam tu ſcis me ab his iniuſtè eſſe accuſatū, falſis teſtibus circunuentū, effictis criminib. oppreſſum, denicp iniquè cōdemnatum, Propter miſericordiam igitur tuam, culpam eis remitte.

His dictis plericp ſacerdotū ſeniores, ac præſertim Epiſcopi toruo uultu inſpicientes, eum irridebant. Deinde ſeptē Epiſcoporū iuſſu, qui illi ſacerdotiū adimebant, ueſtib. ſacrificorū induebaī, ac ſi ei miſſa celebranda eſſet. Ac principiò albā ueſtem induens, dixit: Dominus meus Ieſus Chriſtus cum ab Hero de mitteretur ad Pilatum, in ueſte candida illuſus eſt.

Degradatur Huſſius.

Poſtea illis indutus ueſtibus, admonebaī ab Epiſcopis, ut errores illos, dum liceret, retractaret iuramento etiā adiecto. Ipſe uerò corā his in ea menſa, ubi induebaī ſtans, ad uulgus ſeſe conuertit, ac uoce querula & lachrymās, ad tur bam inquit: En iſti Epiſcopi perſuadent ac hortanī me ad errores illos retrac tandū. Aſt ego hoc facere metuo, ne mendacij arguar olim in cōſpectu Dei ſi errorū me reum eſſe faterer, quorū nunquā eſſem conſcius, quos nunquā do cuerim, atcp adeo ne cùm conſcientiam, tum ueritatem diuinam offenderem, quandoquidē nunquā eos aſſeruerim, ſed per falſa teſtimonia mihi obtrudun tur iniquè, quib. ego contraria & ſcripſi & docui. Ad hæc ne animi tantæ mul titudinis, cui hactenus cōcionatus ſum, offenſi à ueritate auellerentur, ac alio rum quocp, qui uerbi diuini fideles ſunt miniſtri. Hoc dicto, Epiſcopi cum re liquo cœtu in hæc uerba prorumpunt: Iam tandem perſpeximus, quàm per uicax ſit in malicia, atcp tenax in ſua hæreſi.

Ac mox ijdem Epiſcopi Huſsio mandarunt, de menſa deſcenderet, ibi adi mentes ei ſacerdotium. Principiò auferunt ab eo calicē, dicentes: O luda male dicte, qui deſerens conſiliū pacis, inijſti conſiliū cum Iudæis, En auferimus à te calicē hunc, in quo ſanguis Ieſu Chriſti offertī in redemptionē mundi. Tum ille alta uoce exclamauit uiciſsim: Ego uerò ſpem oēm & fiduciā in Deo meo & ſaluatore meo fixam habeo, quòd ille calicē ſalutaris à me nunquā auferet, & confido conſtanter, cp ipſius præſidio adiutus, hodie in regno eius hunc bi biturus ſum. Illi uerò reliquo habitu eum exuere perrexerunt. Subinde more ſuo ſingulis ueſtibus turpem execrationē adijcientes. Huſsio interea reſpon dēte: Illuſiones has æqſsimo animo, p nomine & ueritate Ieſu Chriſti ſe ferre.

Tandem Epiſcopi multiplici illa ſacrificantium ueſte ab eo abſtracta, ad ra ſum etiam uerticē corrumpendū accingūt ſeſe, ſed de hac re magnū inter eos diſsidiū ortum eſt, quibuſdā nouacula eum tondere uolentibus, contrà nōnul lis ſatis eſſe cenſentibus, ſi forſice duntaxat raſura turbaretur.

Hæc dum agitantur, Huſſius ad Imperatorē in ſolio ſedentem conuerſus, ait: Eia inter Epiſcopos iſtos nō bene conuenit, mirùm ſanè cùm omnes æque crudeles ſint, in ipſa tamen crudelitate nō conſentire. Vicit tandem factio ea, quæ pro forficibus cōtendebat, ac capillis eius in quatuor partibus ad ſpeciē crucis ſciſsis, orbem illum raſum aboleuerunt, his uerbis adiectis: Iam hoc ſacrum Conſtantienſe concilīū Ioannē Huſsium ordine ſacerdotij ac munere præclaro quo exornatus fuit, amouet, ea re declarans, cp hominem hunc tem plum atcp Eccleſia Dei ab ſeſe abdicauerit, ac deſtitutū ſuo præſidio, poteſta ti ſeculari tradiderit.

Corona papyracea Huſsio impoſita.

Priuſquàm autē coronam in ludibriū ex papyro factam impoſuerunt capi ti eius inter cætera conuitia dixerunt: Animā tuam deuouemus Diabolis in ferni. Ille uerò manibus complicatis cœlū ſuſpiciens inquit: Aſt ego eam cōmendo benigniſsimo Domino Ieſu Chriſto. Poſtcp aūt coronā eā uidit, dixit: Dominus meus Ieſus Chriſtus pro me miſero longè aſperiorem atcp grauiorem ſpineā coronā innocēs ad infame genus mortis geſtare dignatus eſt, qua

propter

ꝓpter ego miſer peccator hãc multo leuiorẽ coronã, quanquã meũ ludibriũ, libens nominis ipſius ac ueritatis cauſa in capite ferã. Porrò corona hæc erat ex papyro facta, & ad ſpeciẽ pyramidis faſtigiata, cubitali fermè lõgitudine, in ea tres horrendi cacodęmones erant depicti, cũ hac inſcriptione criminis: Iſte eſt Hæreſiarcha. Tũ Imperator ad Clementis filiũ Ludouicũ, de quo paulò an tè meminimus, Germanicè. inquit: Abi, & acceptũ hominẽ trade lictoríb. Ille mox ueſte ſua depoſita, qua, ut ſolent duces exornatus erat, imperiũ exequit, accorreptũ Huſſiũ carnificib. & lictoribus, in manus dat ipſeq; ad ſupplicium comitatus eſt eum. Igit̃ ea corona ex tẽplo ad ſupplicĩ ductus eſt, ante cuius conſpectũ ſub eandẽ horã libros ipſius tradiderũt incendio, quo condẽnationem eorũ teſtarent̃. Porrò Huſſius eo facinore, præclaro ſcilicet, uiſo, ſubriſit, ac ad rogũ profectus, turbã cõmonebat, ne crederent propter errores ſe exuſtum iri, talſò enim accuſatũ eſſe, ac teſtib. iniquis oppreſſum, hoſtib. ſibi infeſtiſſimis: Quid, qd̃ hactenus rectius nõ docuerũt, inquit, atq; ego ſenſi, ex ſacra ſcriptura, id quod unice ſemper cupiebã? Turba aũt quæ comitabat̃ eum ferè armata erat. Poſtquã aũt peruenit ad eum locũ, in quo paſſurus erat, flexo poplite, ac manib. oculisq; cœlũ uerſus ſublatis, ſupplex precabat̃, recitando quoſdã Dauidis Pſalmos, ac præſertim quinquageſimũ & triceſimũ. Verſum quoq; hũc: In manus tuas Domine, cõmendo ſpiritũ meũ: uoce clara & uultu hilari ſubinde repetens, ita ut facilè circunſtantes audirent eũ. Porrò locus, in quo urẽdus erat, eſt inſtar prati, ſitus inter hortos ſuburbij Conſtãtienſis, quo itur ad arcẽ nomine Gotlieben, in qua Huſſius antea uinculis detẽtus fuerat.

Ac cũ ita, ut iam dictũ eſt, oraſſet, interea quidã ex plebe homines illiterati dixerunt: Nobis nõ eſt compertũ, quid hic Huſſius antea docuerit uel concionatus ſit, cæterùm nunc audimus ex eo ſacra eloquia, ac pias preces. Alij uerò optabant illi dari confeſſorẽ. Quidã uerò ſacerdos equo inſidens, cõſpicua tunica indutus, quæ intus rubra ac tenuiſſima tela ſuffulta erat, reſpondit: Indignus eſt ut audiatur, nec adhibendus eſt ei confeſſor. hæreticus enim eſt. *Diuerſa iudicia de Huſſio.*

Cæterùm dubium non eſt, quin hæc opprobria animũ Huſſij grauius perſtrinxerint, niſi in hac tota cauſæ actione id altè animo infixũ fuiſſet, ſe pro Chriſto pati: ut ipſe teſtat̃ in epiſtolis quas in carcere ſcripſit. Porrò inter orandũ, contumelioſa corona illa cecidit de capite ipſius, quam Huſſius conſpicatus ſubriſit. Quidam uerò ſatellites, quibus cinctus erat, inquiũt: Reſtituatur rurſum corona capiti eius, ut unà cum Diabolis dñis ſuis, quos hic coluit, exurat̃.

Tum ille iuſſu carnificis, & lictorũ erectus, clara uoce, ita ut ab circunſtante turba facilè & audiretur & intelligeret̃, ſic orabat: Domine Ieſu Chriſte, crudeliſſimum hoc atq; horrendũ ſupplicĩ, propter ſanctũ Euangeliũ tuum, ac ſacri uerbi prædicationẽ, libens & humiliter pati uolo, tu aũt omnib. inimicis meis ignoſce precor. A lictoribus circunductus, omnes hortabatur, ne crederent ſe ulli errorum eſſe obnoxiũ, quos uel doceret, uel adſereret, ſed falſò ſibi adſcriptos eſſe, ac falſis teſtibus firmatos.

Tandẽ petijt ab eis, ut liceret ſibi carceris ſui cuſtodes alloqui. Quibus ubi ad eum acceſſere, inquit: Gratias uobis ago fratres mei dilectiſſimi, de omnibus beneficijs, quæ contuliſtis in me. nam fratres mihi chariſſimi fuiſtis, nedũ cuſtodes mei. Ac ſcitote, quòd conſtanter credo Saluatori meo, cuius nomine hoc genus mortis æquo animo uolo perferre, certò confiſus me hodie cũ ipſo fore in paradiſo. Id uerò Germanicè ad eos locutus eſt. *Huſſius loquitur Germanicè.*

Mox ipſum ad quendam craſſum ac perforatum aſſerem manibus obuerſis, ſex aut ſeptem funibus duriſſimè alligarunt. Ac primus proximè talos, deinde ſub genibus, mox ſupra genua, præterea iuxta inguina, ſextus medium corpus uinciebat, poſtremus ſub brachijs. Porrò aſſer ille terræ intruſus ac infixus ſtabat.

Sed

Sed quoſdã ibi aſtantes malè habebat, quòd cõſtitutus eſſet facie ad orientem uerſa, iubent igitur, ut occaſum uerſus uultu obuerteretur, eſſe enim hæreticum. id quod ſtatim factum eſt. Ad hæc ipſius ceruix alligata erat huic aſſeri atra quadam catena, ac fuligine obducta, quippe ex qua fortè quiſpiã antea ahenum appẽderat. quam ubi Huſſius capite paulùm reflexo uidit in hæc uerba prorupit, Dominus Ieſus Chriſtus ille redẽptor meus ac ſaluator chariſſimus, longè crudeliore ac duriore catena propter me uinctus erat, cur igitur ego miſer erubeſcam, propter ipſius nomen ſacroſanctum hac fuligínoſa conſtringi? Porrò ipſius pedibus (ocreatis etiamnũ, & uno compede cinctis) duos lignorum faſces ſuppoſuerũt. Hic cùm quendam ruſticum conſpiceret ligna adferentem, blandè ſubriſit, atq; hæc uerba D. Hieronymi clarè protulit: Sancta ſimplicitas. Tandem his undiq; Huſſium ceruicetenus, miſtis ſtraminibus, circumſepſerunt.

Et priuſquàm ligna incenſa eſſent, acceſſit ad eum ciuitatum Imperialium quidam, quem uulgo Marſchalcum uocant, unà cum Clementis filio, Huſſiũ exhortando, ut ſeruandæ ſuæ uitæ cauſa, adhuc dogmata ſua & conciones retractaret & abiuraret.

Tum ille cœlum ſuſpiciẽs, alta uoce reſpondit: Deum teſtor, ea quibus me per falſos teſtes inſimulant, nunquam me nec docuiſſe, nec ſcripſiſſe, ſed conciones noſtras, dogmata, & ſcripta, deniq; omnia opa eo animo inſtituimus, ac ad eum ſcopum direximus, quò mortales à tyrannide peccati eriperemus. Quapropter ueritatem eam, quam docui, ſcripſi, & uulgaui, lege diuina, ac doctoribus ſanctis firmatam, hodie lætus hoc mortis pignore obſignare uolo. Quo audito, Ludouicus cum Collega ſuo manib. complosis, ab eo diſcedũt.

Martyrium Ioannis Huſſi.

Ac carnifices ſtatim pyram accendunt, Huſſius uerò prælta uoce exclamauit ſemel atq; iterum: Chriſte fili Dei uiui, miſerere mei. Tertio canentem: Qui natus es ex uirgine, uentus repentè obortus, flamma eum præfocauit, atque ita cõticuit. Ac interea tam diu nutabat capite, ac ora mouebat, dum quiſpiam Dominicam orationem bis aut ter repetendo abſoluere poſſet. Deinde ita tacitus intra ſe orans, emiſit ſpiritum.

Porrò ubi faſces lignorum ambuſti cecidiſſent, ac corpus ipſius ad aſſerem catena ligatum hæreret, tortores id cum aſſere in ignem intruſerunt fuſtibus, ac tum circumcurrentes, ligna aggerebant, cadauer urentes. Ibi uideas carnifi cum exquiſitam in ſingula membra crudelitatem. Nam proh dolor, ipſius oſſa fuſtibus comminuentes tundebant, quò citius igne abſumerentur. Deinde caput inuentum palo diſſecuerunt. Porrò cor in inteſtinis repertum, ac ueru ligneo acuminatoq; infixum inter comburendum fuſtibus cædebant. Interea carnifex quidam ueſtem Huſſij tenebat. Ludouicus autem ſimulatq; cognouit eſſe tunicam Huſſij, iuſſit eam, ac cingulum, denique quicquid ipſius eſſet, inijcere in ignem, dicens: Bohemi enim id uice ſacramenti haberent ac colerent. deinde carnifici pollicitus eſt iacturam hanc compenſaturũ eſſe. Poſtrèmò omnia igne in cinerem concremata, cum puluere ac terra altius effoſſa in bigas impoſuere, deinde in Rhenum præterlabentem diſiecerunt, quo ipſius nomen prorſus apud fideles extinguerent, ne uel tenuiſſimus puluis in terra ſupereſſet eius uiri: cuius tamen memoria neq; igne, neq; aqua, neq; ullo genere ſupplicij ex animis piorum unquam poterit aboleri.

Teſtimonium huius hiſtoriæ.

Hæc ſcio admodũ tenuiter à me perſcripta eſſe, de Ioannis Hus, Martyris ſanctiſſimi laboribus: cum quibus illi Herculei nullo modo ſunt comparandi. Hercules enim ille uetus, pauca quædam monſtra confecit: hic uerò noſter Hercules, fortiſſimo animo omnium monſtrorum & immaniſſimarũ beſtia-

rum

rum matrem, mundum ipsum superauit. Digna erat res alio quodam genere orationis magis eleganti. Ego uerò, cùm præstare aliud non possem, ueritate ipsa uolui, ea quæ complexus sum, piis animis commendare. Neq; enim ab aliis accepi, sed ipse his omnibus interfui, atq; ita ut potui, literis mãdaui, ut sanctissimi uiri & egregij ueritatis Euangelicæ Doctoris memoriam, qualicũq; hoc meo officio conseruarem.

HIERONYMI DE PRAGA Martyrium anno 1416. Constantiæ.

ET si Hieronymi quoq; huius uita atq; indigna mors in priori parte à Foxio ex Doggio aliquo modo sint expositа, tamen cùm intimus Hussij amicus fuerit, nec etiam inter Anglos numeretur: statuimus hic eadem fusius declarare. Nam quemadmodũ ratio uitæ ac studiorum, doctrinæq; piæ, Ioannem Hus & Hieronymum de Praga summa familiaritate coniunxerat, ita sanctissima societas mortis pro Euangelio subeundæ, eos cõmuni fidei confessione copulauit: neq; ulla tãta afflictionis magnitudo eos unquã ab ea cau sæ optimæ iustissimæq; coniunctione disiungere potuit. Propterea cum Ioãnem Hussum ad concilium accitum ac iam iam iturum intelligeret, sedulo officio adest amico suo, consolatur, & adanimat ut memor uirtutis & constantiæ suæ rem gnauiter pro Christo gerat ac ueritatis incolumitate. Iam tempus esse quò maxime se declaret talem, qualem hactenus tot concionibus sese omnibus ostenderit, ipseq; habuerit semper. Quod si ita eueniat ut res ipsa opem operamq; suam desideraret, intellecturũ sese quòd nec pietati nec officio suo nec amico sit defuturus. Sicq; Hussum à sese animatum reliquit. Possemus quidem hoc loco commemorare uitam anteactam Hieronymi de Praga, nati in ea ciuitatis Pragensis parte quę Noua dicitur: eius optima studia, mores, naturam, si res ipsa postularet, sed ratio ordoq; huius libri instituti, eam cõmemorationem potius requirit, qua singularis eorum constantia cognoscat, qui Martyres à Deo uocati, præclarum eius ueritati testimonium dederũt, eamq; usq; ad extremum uitæ spiritum non minus liberè, quam piè, defenderunt.

Hieronymus Hußio familiaris.

Anno itaq; à Christo nato, M.CCCCXV. uehementer anxius Hieronymus de Praga, quòd patriã audiret ab hostibus & domesticis & uicinis, multis falsisq; premi calumnijs, Ioannem quoq; Hussium à concilio indignis modis uexari, uenit summa cum animi alacritate Constantiã quarto Aprilis die. Ibi cũ sibi strui insidias intellexit, postridie Iberlingam se recepit, ciuitatem Imperij, quæ ab urbe distat non amplius uno miliari. idq; faciebat ne se sciens ac prudens in periculum proijcere uideretur. Inde literas ad Sigismundum Imperatorem, reliquosq; Bohemiæ proceres, qui tum erant Constantiæ, scripsit: quibus petebat à Rege totoq; concilio, ut ab ipsis fide data publica, quam Saluũ conductũ uocant, liceret in urbem ire: ac se, modò daretur audientia, respondere paratum esse, ad quascunq; criminũ prolationes. Verùm Imperator quòd si bi suas literas Hussio datas multũ molestiæ exhibuisse diceret, id facturum negauit: collegium uerò sacerdotum, se facturos illi quidem potestatem uenien di, etiam dato diplomate, affirmabat, sed recedendi, non item. His ad Hyeronymum relatis, misit complures epistolas, Latinè, Bohemicè, & Germanicè scriptas, quas delubrorum monasteriorumq; ualuis, atq; Cardinalium ædibus affigi curauit. In his se declarabat Constantiã promptissimo uenturũ esse animo, propter certos tam patriæ quàm suæ doctrinæ detrectatores, ut si qui ibi aliquam aduersus eum erroris aut hæreseos actionẽ haberent, illi nomina sua ut proderẽt rogabat: se præsto fore ut ipsis satisfaceret. Quòd si criminis alicuius conuinceretur, quod minimè uerebatur, doceri, ita ut par est, & demonstrari

Saluus conductus Hieronymo negatus.

errorẽ cupiebat, modò fide publica ab ipſis accepta tutus eſſe poſsit. ſin autẽ, quũ culpa uacaret, per uim aut dolum ibi detineretur, notam omnibus poſtmodò fore illius concilij iniquitatẽ, quòd contra omnia diuina & humana iura, ipſum indicta cauſa condemnaret. Cæterùm quando ne hac quidem ratione, quod uolebat exprimeret ab Imperatore: impetratis ſaltẽ à Bohemiæ proceribus, qui tum ibi aderant, literis ipſorum ſigillo obſignatis, quibus teſtabãtur innocentiam Hieronymi, & quemadmodum in animo habuiſſet aduerſarijs ſatisfaciendi de calumnijs. cum ijs, inquam, acceptis ipſe in Bohemiam reuerti ſtatueret: in uia per inſidias hoſtium proditione ceperunt eum miniſtri Ducis Ioannis, filij Clementis: ac Sultzbachium ad eundem ducem reduxerunt, ubi detentus tantiſper fuit, dum ab Imperatore totoq; concilio accerſeretur: mox uerò acceptis dux Ioannes ab Imperatore & concilio literis, uinctũ Hieronymum Conſtantiã remiſit, quem ibi excepit alter Clementis filius, cui Ludouico erat nomẽ, iſq; ad maiorem contumeliam catenis conſtrictũ poſt ſe deduci curauit (ipſe enim ueluti triumphans prę ibat) ad cœnobium Minoritarum, quò principes ſacerdotum & reliqua Phariſæorum fex confluxerãt. Poſtquã uerò ad Minoritas uentũ eſt, & Hieronymus coram Epiſcopis conſtitit catenatus, lecta ſunt ei ſcripta, diuerſis nuper locis affixa, quibus ipſe inius uocatus erat, ob ſuas epiſtolas, quas paſsim antè, ualuis apponi curarat: ibi quidam Epiſcopus ipſum cõpellans: Cur, inquit, fugiſti, & in ius uocatus non ueniſti? Tum ille: Quando nec ab Imperatore, nec à uobis extorquere potui fidem publicam, quemadmodum Baronum ad me ſcripta teſtantur: atq; etiã hîc mihi infeſtiſſimos eſſe hoſtes ſenſi, cedere uiſum fuit, ne temerè ſolus, & non uocatus tantum diſcrimen ſubijſſe uiderer. Sed ſi mihi aliquid de ueſtra citatione ſignificatum fuiſſet: proculdubio me haud piguiſſet uel è Bohemia Conſtantiam proficiſci.

Ioãnes de Gerſon Hieronymum accuſat.

His dictis magna ſacerdotũ turba contra pium uirum cõcitata, teſtimonia producunt, & crimina clamore ſummo (ut eorum eſt mos) obiectant. Eo aũt tumultu ſedato, Doctor quidam ſenior Cancellarius Pariſienſis dicere cœpit (is erat Gerſon) Hieronyme cùm Pariſijs ageres, diuinam quandam eloquentiam tibi arrogans, uniuerſam ibi turbabas Academiam, multis falſis concluſionibus in uulgus ſparſis. Cui Hieronymus uiciſsim modeſtè admodum reſpondit: Venerãde Magiſter, quo tempore Pariſijs in publicis Gymnaſijs orationes habebam, & de thematis, ex more magiſtrorum, firmis rationibus diſſerebã, nulla tum erat huius criminis mentio, quod tu intendis: quinimo in catalogum Magiſtrorum ſcholæ Pariſienſis relatus ſum, & quod tum temporis aſtruebam, id etiamnum in hac frequenti concione repetere non grauabor: & ſi quod erratum inueneritis, libens corrigã, & ſaniori doctrinæ æquiſsimo animo auſcultabo.

Adhuc Hieronymo loquente, alter neſcio quis (magiſter uidetur fuiſſe Colonienſis) ſurrexit, & ad eum dixit: Tua oratio, meherculè, quam Coloniæ quondam habuiſti, multis erroribus ſcatabat, qui nondum ex hominum memoria effluxerunt. Agedum, inquit Hieronymus, uel unum quæſo errorem palàm profer. At ille attonitus quodammodo, Nunc non recordor (ait) cæterùm poſt paulò cõtra te producentur. Et continuò ſurgens tertius Heidelbergenſis, hoc modò ſuam accuſationem inſtituit: Cùm apud nos uiueres, uarias blaſphemias præſertim de ſancta Triade ſparſiſti, ubi & ſcutum pinxeras ſanctam Trinitatem aquæ, niui & glaciei comparãs. Ad hæc uerba ſic reſpondit Hieronymus, Quæcunq; ibi dixi, ſcripſi ſiue pinxi, eadem nunc etiam, ſi uultis, dicam, ſcribam & pingam: & ſi quæ deprehenſa fuerit falſitas, ſupplex retractabo, & meliori ſententiæ cedam. Interea ij qui circunſtabant, exclamauerunt: Exurite, exurite hominem. Quòd audiens Hieronymus, ſic eſt locutus:

Quòd

Quòd si meus interitus adeò insedit cordi & mea mors uobis placet: fiat uolũtas Dei. Archiepiscopus uerò Salisburgensis, Neutiquã, ait, Hieronyme. Scriptum enim est, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Tandem fine aliquo calumniarũ & tumultuũ facto aduersus Hieronymũ, traditur ipse lictoribus urbis: cæteri se domum suam quisq; contulerunt. lictores eum in certas quasdam ædes duxerunt: quò accurrens quidam de familia Hussij Petrus Notarius, per fenestram ei est locutus, Mi præceptor, inquiens, bono & firmo animo sis, nec dubites ueritatis causa mortem intrepidus subire: de qua multa liber olim sapiẽter disputasti. Cui Hieronymus, Mi frater, ait, gratias tibi ago, q; me inuiseris, meq; mortem non pertimescere scito, de qua cùm multis uerbis quondam disseruerim, nunc re ipsa experiri opus est quid possim. Hoc sermone ad fenestram cõuersi custodes Petrum cum minis abegerunt. Hieronymum uerò arreptũ in turrim quandã ad cœmiterium S. Pauli coniecerunt, manibus uinctis, & pedibus prælto carcere cõclusis, ut considere non posset, sed capite tantùm pendulus terram attingere: atq; ita complures dies excruciabatur, pane solo & aqua uitam trahens. Sed iam ex tantis cruciatib. graui quoq; morbo confectus, petebat sibi dari confessorẽ, sperans mitius secum actum iri, quia se ritibus ipsorũ accommodaret. Quæ spes aliquandiu illum lactauit: nam remissiore deinceps usus est custodia, in qua annum mansit exceptis diebus septem.

Petrus Notarius Hieronymũ hortatur.

Interea Ioannes Hussius à tyrannis illis iniustè condemnatus, comburitur octauo à feriis Petri & Pauli die: ac circiter festum natiuitatis Mariæ Virginis eodem anno, Hieronymum diuturnis uinculis confectum ad se euocari iusse runt, eiq; multis minis propositis persuadere conati sunt ut decederet à sententia, & condẽnationi Ioannis Hussij iure, ut aiebant, combusti subscriberet. Ibi ille per infirmitatem lapsus partim horrore supplicij, partim spe euadendi ex ipsorum crudelissimis manibus, formulam abiurationis sibi datam ex scripto publicè recitauit: addidit præterea in gratiam illorum, Hussium iure igni absumptũ. Quo quidem facto nõ euadebat, sed ad eandem turrim deductus, minus seuerè quam antea tractabatur.

Hieronymi infirmitas in ueritate confitenda.

Iam uerò sequenti anno M.CCCC.XVI. accesserunt noui hostes Carmelitæ ex Bohemia, qui nouas accusationes habebant aduersus Hieronymum. Horum aduentu gauisi, Michael de causis & magister Paletz apostatæ, pergunt urgere causam aduersus Hieronymum, quem ipsi certis indicijs collegerant non ex animo renuntiasse suæ doctrinæ, sed id tantùm formidine pœnæ fecisse, atq; spe liberationis: instant apud Cardinales, qui in eo cõcilio iudicijs præsidebant, ut reum ad crimina à prioribus diuersa respondere cogant. Verùm illi perspecta inimicorũ malitia, & iniuria, qua miserum hominẽ afficerent, sedulò de eo liberando egerunt. Hostes contrà summa ope contendebant, ne quo modo illi parceretur, clamantes indignum facinus patrocinari tam scelerato hæretico: atq; præ cæteris egregius Doctor, Naso dictus, Cardinales his ipsissimis uerbis compellauit:

Miramur de uobis patres reuerendissimi, quòd uestræ paternitates pro tali pessimo hæretico intercedunt, propter quem nos in Bohemia cum toto clero multa mala passi sumus, & uestræ paternitates patientẽr. Et timeo quòd forsitan ab illis hæreticis uel à Rege Bohemiæ munera accepistis. Cardinales autem, huius ac cæterorum furiosis clamoribus labefactati, causam Hieronymi deserunt, & se iudicandi officio abdicarunt: in quorum locum, impulsu maleuolorum, & ueritatis infestissimorum hostium, quos modò nominaui, instinctu, successerũt Patriarcha titulotenus Constantinopolitanus, & quidam doctor Teutonicus: qui iudices nuper pium uirum Ioannẽ Hus mortis damnauerant. At Hieronymus hos nouos iudices repudiabat, coram quibus in uin-

Oratio digna Nasone.

culis ne uerbum quidē priuatim eloqui uolebat: sed subinde cupiebat sibi fieri potestatem publicè in frequenti concione animi sui sententiam explicandi: in quo præsides & seniores concilij facilè ipsi assenserunt, rati Hieronymum palinodiam paulò ante factam iteraturum, atq; magis confirmaturum. Itaque anno eodem XXV. die Maij, qui erat dies Sabbathi ante Ascensionem, Hieronymus ad amplissimum templum ducitur palàm audiendus, ubi centum & septem accusationis capita lecta sunt, de quibus etiā testibus euictum clamabant, atq; adeo condemnatum. Attamen reo defendendi sese copia, quam petierat, facta est. Hic Hieronymus, mirum bone Deus, quanta animi solertia & alacritate, ac si nullos cruciatus diuturnæ custodiæ sensisset, à diluculo usq; ad meridiem, plus minus quadraginta articulos refellebat: quorum autem sibi non erat conscius, quæcq; à falsis testibus ementita agnouit crimina, simplici negatione sese purgans præterijt. Cæterùm quoniam eo die non posset absoluere suam causam propter horam meridianā, reiectus est in diem Martis, quo quidem die summo mane ad eundem locum ductus, ad reliqua accusationis capita non minori constantia & ingenij dexteritate respondit, & commodè supra modū criminationes in ipsos aduersarios retorsit, adeò ut oratione qua ipsorum testimonia eleuabat, pudefacti, turpissimè obmutuerint.

Hieronymi eloquentia.

In hoc quoq; confessu, mirùm quanta differendi solertia de uarijs Philosophorum disciplinis, & diuinis scriptis cum summa auditorum admiratione ad pomeridianum usq; tempus dixerit: demōstrabat enim quemadmodum omnibus seculis odiosa mundo fuisset ueritas, idq; probabat uirorum sapientum exemplis, nec non Prophetarum & Apostolorum & post eos martyrum, qui omnes ueritatis causa tanquam seditiosi & publicæ tranquillitatis perturbatores aut in Deum blasphemi, iniuria condemnati, uarijs supplicíorum generibus affecti fuêre. quæ quidē omnia fusius in prima parte Anglica de Martyribus fuêre explicata. Tum oratione ad suum negotium reflexa: nonnulla de uitæ suæ cursu dicere cœpit, perstringens obiter quæ in Germaniæ, Galliq; & Bohemiæ Academijs celeberrimis gesserat, casus etiam & labores enarrās quos in diuersis profectionibus passus erat, neq; id silentio præteribat, quo pacto regnante Vuenceslao, ipse cum reliquis suæ gentis magistris, in administrando Pragæ gymnasio, expulsis Germanis, qui Bohemis inuidebant, primas obtinuisset. Adhæc uenit ad laudes Ioannis Husij, quem sibi à paruulo cognitum aiebat, nec tamē in eo unquam uel libidinis, uel ebrietatis uitia perspexisse, sed summum semper honestatis & temperantiæ studium, ardentem ueritatis amorem, ut qui fideliter & piè synceram doctrinam, in qua diligenter uersatus erat, docuisset. Proindè huius & Ioannis Vuicleffi conciones, quibus illi insolentiam, malitiam, scortationes, & auaritiam sacerdotum (his enim hoc genus hominum scatebat) insectati fuerant, ualdè probare: nec latum quidem unguem (ut aiunt) ab his discessurum. Quod autem ad symbolum fidei attinet, ea omnia se credere affirmabat, & asserere cum sancta Ecclesia catholica, hæreses omnes detestari. Postremò hoc adiecit, ex omnibus peccatis, quibus hactenus maiestatem diuinam offenderat, nullo tantùm suam conscientiam premi & grauari, atq; eo, quod in execranda & pestifera cathedra admiserat, ubi infirmitate lapsus & horrore mortis retractare coactus, condemnationi Ioannis Husij subscripsit, multaq; in gratiam aduersariorum cōtra tam pij uiri doctrinam locutus est: quare se in eodem suggestu, dei beneficio constitutum, iam tanti sceleris pœnitere, & irritam habere suam subscriptionem, quoniam bonus ille uir summa iniuria raptus esset ad supplicium. Hactenus Hieronymus.

Priore huius orationis parte mirificè auditores commouit, ut hominem liberari omnes percuperent, tanta ille dicendi suauitate animos eorum cepit, atq;

atq; in ſuam ſententiam pertraxit. Sed epilogo, ubi multa de laudibus Ioannis Vuicleff, & Hus inſerebat exacerbati, dixerunt quòd iam ſeſe ipſe condemnauerit. Itaq; ſtatim in carcerem rapitur, ubi crudeliſsimè, manibus pedibusq; & media corporis ſui parte catenis cõſtrictus iacuit: donec die Sabbati poſt Aſcenſionem, magna armatorum militum cinctus caterua, ad idem templũ ducitur. Hic enim eo die frequens erat ſacerdotum & monachorum conſeſſus, ad ferendam aduerſus Hieronymum ſententiã: ac primò hortantur ut in priori illa reuocatione perſtet, Vuicleſi & Huſsij doctrinã apertè contemnat. Cõtrà ille, ſine metu fortiq; pectore multis in eum ordinem inuectus: Teſtor, inquit, Dominum Deum meum, & uos omnes, nihil me hæreticum ſentire. At qui omnes fidei articulos & credo & aſſero, quemadmodũ ſancta Eccleſia catholica facit. Cæterùm ſententiæ ueſtræ, qua ſanctos illos & Chriſtianos, ſpiritu uertiginis acti, damnaſtis, quod uitam ueſtram perditiſsimam & uerbis detexerant, & in ſuis libris aptis coloribus depinxerant, neutiquam accedo. Quamuis enim nullam ob rem aliam mihi à uobis certum ſupplicium decretum eſſe ſciam: nihil tamen cõtra conſcientiam aduerſus eos proferam, quos rectè, de flagitijs ueſtris & traditionibus prauis ſcripſiſſe & locutos eſſe, non ignoro. *Crudelitas aduerſariorũ erga Hieronymum.*

Hæc poſtquam intrepidè palàm confeſſus eſſet, tandem Epiſcopus Londenſis conſcendens ſuggeſtum, concionem, ad ferendam aduerſus Hieronymum mortis ſententiam, concitauit. Hoc autem themate ſuæ concionis ſumpto ex Marco: Corripuit Chriſtus infidelitatem eorum, & duritiam cordis. Quemadmodum, inquit, nuper ſacrum iſtud concilium, peſsimorum hæreticorum Vuicleſi & Huſsij ultum eſt infidelitatem, doctrinam eorum reijciens, ut errorum plenam, hæreſi infectam, ſanctæ Eccleſiæ pernicioſam: ita in Hieronymum eorum ſectatorem, hominem duræ ceruicis, arrogantem, & in ſua malitia pertinacem, animaduertat, ut cæteris exemplo ſit, ne tale quid unquã audeãt. Si uerò qui poſthac emerſerint eius ſectæ homines, tum omnibus promiſcuè datur authoritas contra eos dicendi teſtimonium, quauis infamia etiam notatis ganeonibus, latronibus, ſcortatoribus, meretricibus, denicq; peſsimi quicq; teſtes audientur, & ſi opus fuerit diris etiam tormentis ab ipſis confeſsio extorquebitur, & mox è medio tollentur, neq; ullus erit ueniæ locus, ni ſi cedant & palinodiam canant. Tui uerò Hieronyme, quis miſereatur? quandoquidem reuocationem quam antea euomuiſti, iam canis in morem reſorbere non es ueritus, neq; id feciſti ſine offendiculo & ſummo ſacri huius concilij dedecore. Quapropter quæcunq; condemnationis ſententia de te feretur ab hoc concilio, iuſta & te digna erit.

Abſoluta huius Epiſcopi concione, Hieronymus iterum non minus ſapienti quam forti & præſenti animo apertè oſtendere cœpit ſummam ſibi fieri iniuriam, nullius ſe criminis, quod errorem, hæreſimúe ſaperet, uel cum fide Chriſtiana pugnaret, reum eſſe: niſi fortè peccatum, inquit, ducatis maximũ, quia impios ſacerdotes, & perditæ uitæ ſacrificos reprehendi: malè ſanè me habuit, quòd ſuo munere abuterentur, nec uita ipſorum cum profeſsione & officio congrueret. Nunc ſi ſolis teſtibus innixi, me quoq; non audiatis: teſtor Deum & homines, uos iniquos eſſe iudices, qui in me ſolùm inuidentia ducti ſæuiatis. Hac oratione audita, quidam aduerſariorum ſubmonebant, ut iam iamq; iterùm retractaret, alioqui de ipſo actum eſſe. Is uerò mortem propinquam cernens, ſic contra eos liberè eſt locutus & uaticinatus: Vos ſtatuiſtis nunc me innocentẽ ad pœnam rapere: at ego poſt meum obitum ueſtris conſcientijs aculeos & ſcrupulos relinquo, atq; appello ad celſiſsimum ſimul & æquiſsimum iudicem Deum omnipotentem, ut coram eo, centum annis elapſis, reſpondeatis mihi. Illi autem hanc uocem riſu exceperunt, ac ſtatim iuſſe *Excuſat ſe Hieronymus.*

runt ſententiam contra eum multis uerbis perſcriptã, recitari: cuius hæc ſumma erat.

Hieronymus condemnatus.

Sacrum Conſtantienſe concilium, Hieronymum Pragenſem ob eius erro-
res, temerarios auſus, atq; pertinaciam: & maximè, quòd priorem retracta-
nem uiolauit cum magno ſacri concilij probro, iam hunc tanquam ramum pu
tridum & marcidum ab radice exſcindit, & damnat ut hæreticum execrandũ
& maledictum: traditq; eum magiſtratui politico, ut de eo dignum impietate
ipſius ſumat ſupplicium.

Lata itaq; in hanc fere rationem ſententia: Ecce Hieronymo corona char-
tacea affertur, depictis circumcirca cacodæmonibus decora: quam ſimulatq;
uidit abiecto ſuo pileo in turbam ſacerdotũ, capiti ſuo impoſuit, dicens, Do-
minus meus Ieſus Chriſtus, pro me miſero moriturus, ſpineam coronam in
capite ſuo geſtabat, longè quidem grauiorem: ego quoq; uicißim ipſius gra-
tiæ & amoris nomine cum hac libens in ignem accedam. His dictis mox à li-
ctoribus templo educitur & inter eundem, fidem catholicã, ut uulgò in tem-
plo cantari ſolet, defixis in cœlum oculis, magna uoce lætus canebat: & dein-
ceps alios hymnos donec extra portã uenit ad eum locum, in quo nuper Ioan
nes Hus trucidatus fuerat. Ibi ad ſtipitem ad quem exurendus erat, in genua
procidens, diu tacitè ſecum orabat: Se ipſum quoque ueſtimentis exuit qui-
buſdam. reliqua uero carnifices detraxerunt. Cum ſic iucunda fronte & alacri
uultu nec tormenti genus nec mortem expaueſceret primum madentibus fu
nibus, poſtea cathena nudus ad palàm conſtrictus fuit. ligna deinde circum-
poſita pectoretenus craſſa, paleis interiectis.

Hieronymus Germanicè alloquitur populum.

Interea Hieronymus alta uoce Hymnum paſcalem cecinit. Salue feſta dies
&c. Abſoluto hoc hymno, iterum fidem catholicam carmine profeſſus, cir-
cunſtãtem turbam, teutonico idiomate ſic allocutus eſt: Scitote chariſsimi ui-
ri, me non aliter credere quàm modò cecini, meq; de fidei noſtræ ſymbolo
ſentire ut Chriſtianum decet: nunc autem morti addictus ſum, quòd huic ſa-
cerdotum concilio in condemnando Huſsio non conſenſerim, qui (ut de ui-
tæ integritate, & morum ſuauitate quam in eo uiro ab incunabilis perſpexi,
nihil dicam) fidus diuinæ Legis & Euangelij Ieſu Chriſti concionator exti-
tit. Poſtquam uerò à calce uſque ad uerticem undique lignis ſepſerant, ueſte
ipſius in rogum iniecta, face ſtruem accendunt carnifices. Cum uero lictor
poſt tergum ignem accendere uellet ne ſcilicet uideret, magna animi conſtan
tia dixit: Accede huc & ignem in conſpectu accende. Si enim illum timuiſ-
ſem, nunquam ad hunc locum acceſsiſſem quem facile uitare poteram. Tum
ipſe altiſsimè hæc cecinit: In manus tuas Domine, commendo ſpiritum me-
um. Adhæc flamma præpeditus, ſic poſtremò Bohemicè uociferatus eſt: Do
mine Deus, pater omnipotens, miſerere mei, & remitte mihi peccata mea: tu
enim noſti me tuæ ueritatis amatorem fuiſſe. Tandem florida ætate & elo-
quẽtia inſignis iuuenis igne obrutus, uiſus eſt motis labijs apud ſe orare, dum
expiraret. Interea lectus cum reliqua ipſius ſupellectili ex carcere apportan-
tur, omnibusq; rebus igne cum eo penitus conſumptis, cineres in Rhenũ pro
iecti ſunt. Sic eruditus iuxta ac pius uir à Pontificia factione, propter nomen
Ieſu Chriſti, in puluerem eſt redactus.

Bohemorũ amor erga Huſ.

Poſteaquàm nuntium in Bohemiam allatum eſt, de crudelitate eorum, qui
Conſtantiæ Ioannem Hus & Hieronymum Pragenſem acerbiſsima morte
multauerant, ij qui eos duos uiros amauerant, eorumq; opera & diſciplina ali
quem uerbi Dei guſtum perceperant, à Vuenceslao Bohemiæ rege impetra-
runt, ut haberent certa templa, in quibus liberè & uerbum Dei annuntiari, &
ſacramenta adminiſtrari poſſent. Deinde ad deteſtandam eam rem, eo in con
cilio

cilio actam, contra omnem rationem, ius gentium, æquitatem, à barbaris etiam nationib. populisq; semper conseruatam, tumuerò ad memoriam singularis fidei ac uirtutis Ioannis Hus perpetuandã, monetam argẽteam uarauerunt conficiendam, quam nomine illius inscriptam, Hussiticam nominauerunt: cuius in ora undiq; hæc uerba incisa fuerunt, Post centum annos uos Deo & mihi respondebitis: quibus quidem uerbis usus Ioannes Hus, certissimum Dei iudicium ijs denuntiauit, à quibus iniusta morte afficeretur, unumquenque eorum ad certum definitumq; uitæ spatium reuocans: uel potius in spiritu prophetiæ prædicens eam rerum commutationem, quæ centum post eius mortem annis, in ecclesia est consecuta. Vir quidem beatissimæ memoriæ Martinus Lutherus, cuius opera Deus Euangelium ecclesiæ restituit, ea uerba Hus accommodat ad illud tempus, quo ipse impias Papæ indulgentias aggressus est, qui fuit annus M.D. XVII. centesimus propè ab eo, quo Ioan. Hus Constantiæ crematus est, qui fuit M.CCCC.XVI. *Vaticinium Hußij.*

Itaque idem Lutherus aliud eiusdem uaticinium commemorat de anser, id est, Hus, qui lingua Bohemorum anserem significat: quem illi quidem tum torrerent, sed non cygnum, qui uenturus post ipsum, ustulationem illorum effugeret. Quibus uerbis, quum genus mortis suæ, tum etiam exitum Lutheri quietum, atq; ab illorum sæuitia tutum, uidetur significasse. Postea uero Bohemi in doctrina semel percepta magna constantia perrexerunt, atq; Romanæ ecclesiæ insultus omniumq; finitimorum regum atque principum arma contempserunt, uarias de ipsis uictorias reportantes, zisca duce eorum existente, id quod Bohemorũ & aliarum gentium historiæ abũde satis ostendũt, donec tandem nostro hoc seculo, si quid ipsis deerat, pleniorem notitiam rerum diuinarum nacti sunt.

THOMAS RHEDONENSIS *Gallus Romæ exulatus Anno* 1436.

QVanquam & hic Thomas in priori parte inter Martyres numeretur tamen cùm extra Angliam martyrio affectus, nec etiam in Anglia natus sit, paucis eius historiam percurremus. Hic itaque erat monachus ex eorum instituto, qui Carmelitæ appellantur, natione Gallus, & in Italiã cum legatis Venetorum profectus est. qui quidem etsi ex illo impuro atque impio mendicantium esset ordine, tamen in ea uitæ professione, cognitionem ueritatis non mediocrem habebat. Quòd autem Galliam relinqueret, ut se conferret in Italiam, causa eum illa impulit, quòd sperabat se illic aliquos homines pios, Deumq; metuentes reperturum, quibuscum posset sanctè atq; honestè uiuere. Hanc uerò spem suam ea ratione confirmabat, quòd ubi homines profitebantur omnem sanctitatem, ibi etiam omnia uirtutũ genera uigere floreq; deberent.

Itaque ea religionis ac pietatis lumina ante oculos sibi proponens, Romam est profectus, cum ea optima spe, quòd multis sanctissimorum hominum exemplis, quibus eam urbem abundare arbitrabatur, rationem piè modestèq; uiuendi disceret. Sed res in contrariam uitæ rationem planè instituta, eius opinionem atque spem longè fefellit. Nam pro sanctitate, hypocrisin, id est, affictam pietatis speciem, sanctitatemq; fucosam ea in urbe offendit: pro gratijs spiritualibus ac cœlestibus, magnificos apparatus fastusq;: pro puro Dei timore, summum eius contemptum, in omni libidinis intemperantia impudentiaq; effusum: pro sana salutariq; doctrina, superstitiones, otium, abominationes: pro mansuetudine Apostolica, inhumanitatem & huiusmodi tyrannidem, *Romanæ urbis sanctitas.*

tyrannidem, quæ omnem Barbarorum immanitatem superaret: ita ut non modò id quod quis ignoraret, discere non liceret, sed ne id quidem docere quod sciret. Inprimis uerò & uehementer eum offendit ambitio superbiaq; in tolerabilis, quam perspiciebat in ijs, in quibus summa modestia relucere debebat. Itaq; his tot uitijs flagitijsq; offensus, eos publicè admonere in concionibus constituit, atque ad aliam uitæ magis Christianæ rationem reuocare: quanquam eos insanabiles & planè deploratos, qui nec libris Vuicleſi, nec recenti Ioannis Hussij, Hieronymiq; sanguine, eos quodammodo admonente, nec tot piorum hominum Deumq; timentium, non solùm emendassent mores suos, uerumetiam in omni malitia atq; impietate obfirmati, deteriores atque impudentiores effecissent. His tamen tot ac tantis uitijs, difficultatibus, periculis, Thomas non est impeditus neq; territus, quo minus, id quod proposuerat agere, personam præceptoris, monitoris, obiurgatorisq; susciperet, quoniam ex illorum disciplina & schola omnium uitiorum, errorum, flagitiorumq; plenissima, nihil discere poterat, quod cũ doctrina Dei & sua conscientia non pugnaret. Itaq; cùm ad sanam doctrinam, summam uitę integritatem, modestiam, sanctitatem adiunxisset, acriter uehementerq; in mores hominum uitiosos inuehi cœpit, nemini parcere, inprimis uerò Cardinalium scelera & flagitia, summa cum libertate insectari. Hac autem orationis ueritate atque acerbitate magnoperè offensi reuerendi homines, statim ad suam consuetudinem, ut ea confingerent hæresis crimina, quibus monitorem suum circumuenirent atq; opprimerent. Itaq; Thomam Romæ ijsdem artibus rationibusq; circunuenerũt, quibus antea Constantiæ Ioannem Hus, atq; Hieronymum Pragensem oppresserãt. Namq; eum comprehenderunt, suspicionibus criminibusq; obruerunt, importunis perturbarunt quæstionibus, articulos fidei ei proposuerunt. denicq; accusatum hæreseos, conuictum & condemnatum, de gradu sacerdotali ordineq; primum demouerunt: deinde summo usitatoq; ignis supplicio affecerunt. Sed articuli, quos conflarũt aduersus Thomam, & quorum nomine eum cremandum curauerunt, hi sunt:

Integritas uitæ huius martyris.

Ecclesia reformatione opus habet, eaq; affligetur ac reformabitur.

Quòd his nouissimis temporibus infideles ad Christum Iesum cõuertent.

Roma abominationibus referta est.

Excommunicatio Papæ, quæ non potest esse nisi iniqua, non est metuenda: & qui eam non obseruant, non peccant.

Ita Eugenius, qui tum erat pontifex, Thomam accersitum, in carcerem includendum curauit: ubi summas tormentorum acerbitates perpessus est. tota enim hæc causa Vuilhelmo Rothomago Cardinali Curiæ Romanæ tum Vicecancellario commissa fuerat. Post ea cruciamẽta, ad iudicem, ut mansuetissimus agnus in maximum luporum rapidissimorum ac sæuissimorum cœtũ, adductus est. Itaq; cùm homo non minus modestus quàm pius malitiæ bestiarum immanissimarum resistere non posset, primum ignominiam, uel potius summam gloriam commutati ordinis sacerdotalis, deinde acerbam ignis pœnam sustinuit, anno domini millesimo quadringẽtesimo, tricesimo sexto, cùm per quatuor annos Romæ fuisset. Ferũt aliqui Eugenium pontificem postea magna tristitia affectum, quod hominem pium hac ratione de medio sustulisset, ut qui à sceleratis & inuidis hominibus falsò delatus fuisset.

De quodam Candiensi, illustri nato genere, Euangelijq; nomine combusto. Anno M. CCCC. XC.

AB eo tẽpore hinc inde dñs multos eruditione, & pietate insignes uiros excitauit,

excitauit, qui errores pontificiorum ostendentes capti, condemnati, & exusti fuêre, quorum aliqui in Anglia martyrij coronam nacti sunt, ut in priori parte declaratum fuit. multi tamen, quibus aduersarij crimen aliquod aliud confinxerunt, à scriptoribus silentio sunt prætergressi. Sic etiam Fauentinus historicus est author, quendam uxoris ducis Candiæ propinquum nomine Euangelij, ea in insula accusatum fuisse, & à Petro Thomasio, qui in Candia Pontificis Romani legatus erat, hæreseos condemnatum, constanter pœnam ignis perpessum esse: cùm cæteri, qui in eadem fuissent causa, quod erãt professi, renuntiassent, anno M.CCCC.XC.

Idem scribit eundem legatũ ossa cuiusdam mortui, post mortem hæreseos accusati, effodienda atq; exhumananda curauisse.

HIERONYMVS SAVONAROLA, cùm alijs duobus Dominico scilicet & Syluestro, 23 Maij, Anno 1498 Florentiæ suspensus.

Hieronymus Nicolai Sauonarola Italus natus est Ferrariæ 21 septemb. anno 1452. honestis parentibus, eodem tempore nimirũ cùm Borsus Estensis à Friderico tertio Imperatore ibidem princeps constitutus esset. Hic itaq; Ferrariæ doctissimis præceptoribus omni genere literarum institutus, statim in adolescentia libellum de diuisione scientiarum conscripsit, mira eruditione & pietate refertum. Postquam uerò adultior factus totum sese Theologico studio tradidit: id ut certius assequeretur sophistarum & Canonistarum contentiones reliquit, atq; patrum lucubrationes magna diligẽtia & labore euoluit. sentiebat enim ueritatis studium maiori ex parte huiusmodi rixis amissum fuisse. Cùm autem in patria minus id ob amicorum frequentiam expedire posset, Florentiam profectus est, atq; ordini Dominicanorum sese mancipauit. In eo uitæ genere Ecclesiæ historiã & antiquorum monumenta diligenter euoluit, atq; cum sacris literis contulit, ut Christi saluatoris ueram doctrinam è latebris erueret. senserat enim illico Ecclesiam humanis traditionibus misere quasi submersam esse, uitamq; Episcoporum antiquis esse dissimilimã. Interim ob multifariam eruditionem à fratribus officium concionandi committitur. quod quidem gnauiter suscepit & peregit. Quanquam uero initio mitior quibusdam uideretur, tamen anno 1483 magna seueritate Ecclesiasticis hominibus errores, libidines, & uarias superstitiones in templo Geminiano exprobrauit, declarando Romanam Ecclesiam breui interituram, nisi reformatio fieret publica. Hac autẽ ratione plures hostes comparauit, adeo ut Florentia cederet, atq; alijs in locis præsertim Brixiæ Christum magna constantia prædicaret. Septimo tandem anno Florentiam redijt, atq; anno 1490. 1 Augusti Apocalypsim Ioannis enarrare cœpit, cũcta ad Romanam Ecclesiam referendo. Sequenti quadragesima in Templo Liberati concionatus est, atq; ea quæ prius cœperat de ira dei ob uarios errores annũtiare, strenuè repetijt. Cõfluebat undiq; populus & attentẽ Christi gratiam proponentẽ audiebat. quo factum ut quidam obijcerent, hominem ipsum esse seditiosum, qui populum ad suas partes trahẽdo aliquid noui moliretur, magisq; sua quam Christi quæreret, quæ tamen omnia ficta & falsa spargebantur. Nihil uerò ipse aduersariorum calumnijs deterrebatur, uerum orando, meditando, scribendo, profitendo, & concionãdo omnes horas utiliter consumebat, idq; ex quibusdam operibus eius præsertim psalmorum enarrationibus facile cognoscere licet.

Hieronymi educatio.

Eodẽ hoc tẽpore magnus tumultus Florẽtiæ à Petro Medices excitatus erat, cuius falso insimulabatur Hieronymus. Erat em̃ hic apud multos senatores, & prudentes

Florẽtinorum tumultus.

prudentes uiros ob uitę innocentiam, ſpiritū propheticū, & puriorem doctri
nā in magna authoritate, quos etiā publicè & priuatim admonebat ut Politiā
recte ordinarēt, pios promouerēt, & ſceleratos corriperēt. Nā cū Galliæ rex Ca
rolus octauus magno apparatu in Italiam ueniſſet, Romam & Neapolitanū
regnum occupaturus, Petrus munitas quaſdam arces & oppida regi, inſcio ſe
natu Florentino, ut eius gratiam impetraret, tradiderat, atq; eius rei cauſa ma
gnum odium ſibi apud ciues conflaret: unde fuga ſibi conſulens Petrus ædes
atq; bona ſua ipſis diripienda reliquit. Cùm uerò Hieronymus non ignoraret
haſce calumnias ſathanam frequenter contra fideles Chriſti ſeruos ſuſcitare,
ut officio ſuo ſtrenuè pergebat admonendo, conſolando, & ueritatem docen
do. præcipuè autem inculcabat Romanam urbem ſentinam malorum omni-
bus piis cauendam eſſe. Propterea Alexander pontifex eundem Romam ci-
tarat. cùm uerò ei non tutum erat eò proficiſci, literis pontificijs excommuni-
catur, atq; prædicādi munus interdicitur. Huic mandato cùm ad tempus pa-
ruiſſet, atq; interim ab amicis & cordatis uiris ſæpius admoneretur ut ad offi-
cium ſuum rediret, nec eos pabulo uerbo Dei priuaret, 1. Februarij, anno 1496
ad conciones rediit, atq; eius rei gratia ſeſe apud pontificem excuſauit. Miſſæ
etiam ad Imperatorem & reges Europæ præcipuos literæ, quibus hortabatur
eos ut Concilium congregarent, quo corrupti mores corrigerentur, atq; do-
ctrina Chriſti conſpurcata traditionibus humanis repurgaretur. Hac re pon-
tifex Romanus cū ſuis purpuratis & ſectatoribus multò magis offenſus, tan-
dem apud ſuos Florentiæ effecit ut Hieronymus cum duobus ſocijs Domini
co & Syluestro in templo S. Marci caperetur. cùm etiā ciues aliqui armati ob
inſidiatorum catheruam Doctorē ſuum ad cathedrā aliquandiu comitati eſ-
ſent, parum abfuiſſet, quin inter diſsidētes partes prælium intra urbem fuiſſet
commiſſum, ni Hieronymus ſuos admonuiſſet ut quieti & pacifici agerent,
nam per ignem ac crucem fidelium patientiam probandam eſſe. Tum demū
aduerſarij Hieronymum incarcerarunt atq; indignis tormentis & cruciati-
bus torquere ceperunt, ut conſilij ſui cauſas cognoſcerent. nihil tamen unquā
audiuere, quàm omnibus ſuis concionibus Chriſti ſaluatoris gloriam & Ec-
cleſiæ reformationem quæſitum fuiſſe. Pōtifex cùm hæc audiuiſſet, ſtatim eò
Ioachimum Turranum Venetum Generalem ordinis prædicatorum Vica-
rium, & Franciſcum Ramalitzium Hiſpanum utriuſq; iuris Doctorem, trāſ-
miſit, ut pius ille præco Chriſti è uiuis tolleretur. Præcipua uerò capita quæ ei
in iudicio obijciebantur erant ſex.

Capita accuſationum.

1. Confeſsionem auricularem ab eodem fuiſſe reprehenſam.
2. Plebem ab eo ad ſeditionem noua quadam doctrina eſſe excitatam.
3. Pontificis excommunicationem ab eo fuiſſe contemptam.
4. Pontificem Romanum aliquoties ab eodem fuiſſe notatum.
5. Chriſtum in teſtimonium ab eodem ſuæ doctrinæ fuiſſe citatum, tanquā
   is ſit eius uerus author.
6. Quod ſeſe prophetam conſtituiſſet, atq; Eccleſiæ Romanæ ruinam præ-
   dixiſſet.

Vltimo uerò legati pontificis conati ſunt Hieronymum eò perducere ut
doctrinam ſuam publicè reuocaret, atq; gratiam à pōtifice peteret. quod cùm
recuſaret, atq; ſalutis ſuæ ſeſe eſſe certò conſcium affirmaret, ab Epiſcopo Va-
dionenſi cum alijs duobus, more pontificiorum ſolenni fuēre degradati, atq;
ſeculari magiſtratui traditi ut hæreticos illos à pontifice excommunicatos de
medio tolleret. Itaq; 23 Maij, Anno *M. CCCC. LXCVIII.* Florentiæ in foro ſu
ſpenſi, & poſtea cadauera combuſta atq; cineres eorum in profluentem Ar-
num proiecti fuerunt. ſicq; pij Chriſti martyres ſuam doctrinam (quam M. Ci
riacus Spangenbergius ex eorum ſcriptis ſanam & ueram fuiſſe probat) ſan-
guinis

guinis testimonio confirmârunt. Quamuis postea aduersarij (ut solent) multas alias causas, cur è medio sint sublati, in uulgus spargere conati sint. Pari sæuitia quoq; eius amicos postea aduersarij persecuti sunt: alios enim carcere, alios exilio, alios uita mulctarunt. intra quos etiam Dominus Franciscus Vallerius nobilis Florentinus fuit, qui unà cum coniuge crudeliter interfectus est. Sic quòd eodem tempore lux Euangelij ijs in locis misere pontificis arte & potentia oppressa fuit.

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERUNT, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER SECVNDVS.

QVANQVAM pontifices putarant sese hac sua tyrannide doctrinam Euãgelij sustulisse, atq; inueteratas superstitiones egregie stabiliuisse, contigit tamen posterioribus annis quod uerbum Dei maximum accepit incrementum, fructusq; admirabiles protulit. Nam Spiritus sanctus animos tum eorum qui doctrinã Euangelij annunciabant, tum etiam eorum qui audiebãt, ita feliciter tetigit, ut numerus fidelium ac piorum in dies singulos uehementer augeretur. Huiusmodi autem uirtus constãtiaq; diuinitus eis dabatur, ut quidã ex illis molestias & ærumnas carcerũ, summa cum uoluntate susciperent ac subirent: alij amissionẽ bonorum æquo ferrent animo: multi uerò ne mortem quidem, eamq; acerbã, pertimescerent. Ex quo facilè intelligi potest, ac uerè dici, persecutiones ecclesiæ Christianæ per Apostolos natæ, repetitas renouatasq; fuisse, Christũq; dñm eam operũ admirabilẽ uirtutẽ, quã primis illis tẽporib. exhibuit, his nostris quoq; nouissimis exhibuisse ac declarasse, cùm tantã gratiã in mundũ protulit atq; effudit, tandiu summa ingratitudine hominũ obscuratã & prope deletã. Eius rei gratia excitauit Deus anno 1517. Martinum Lutherum diuino ingenio hominem, qui pontificiorũ indulgentias primò confutans, postea uero calumnias quorundam irritatus multa maiora aggressus est. Is enim magna παῤῥησια Romanæ Ecclesiæ Idololatriã & uarias superstitiones publicè manifestabat, atq; gratiam Christi afflictis conscientijs prædicabat, admonendo, consolando, & Euangelizãdo. Id qd à Ludouico Rabo tom. 4. martyrũ, in uita M. Lutheri copiosè est expositum. Proptерea doctrina Apostolorum passim diuulgata & renouata fuit, multiq; passim inuenti, qui eandem etiam morte sua confirmare uolebãt, quorum aliqui ordine subijcientur.

HENRICVS SVDPHEN, *In Diethmaria martyrio coronatus 10 Decemb. anno 1524.*

INter cæteros fuit Henricus Sudphenus, uir præstanti uirtute, qui pro confitenda & tuenda Euangelij ueritate grauissimo supplicio affectus, necq; ulla aduersariorũ crudelitate ac doloris acerbitate passus est sibi eripi eam fidei confessionem, *Heinrici Constantia.*

confessionem, quam Christus dominus ab eo postulabat. Is itaque anno 1522 Antuerpia ob puriorem doctrinam expulsus, in Bremensi urbe per biennii magna constantia Christum prædicabat. Id enim Senatus eius loci (inuito etiam Episcopo) ab eo impetrarat. Interim uero cum Ecclesiam ibi constituisset, uocat à Nicolao Boye pastore & alijs cordatis uiris in Diethmar ut Meldorfensem populum instrueret, purum Dei uerbum annunciaret, eosq; liberaret grauissima seruitute, qua oppressi tenebantur.

Eò autem uenit Sudphenus ad aduentum Domini, ut uocat: quem Curio ipse, alijq; fideles magna cum lætitia exceperunt. Is concionabatur bis diebus singulis, cum maximo fidei fructu, & piorum consolatione. Itaq; cum is ita integrè ac diligẽter in eo munere uersaretur, Dominicani grauiter offensi, & maximo in eum odio affecti fuerunt, multaq; & grauia aduersus eum machinati, tandem cum quadraginta & octo regionis Diethmarensis gubernatoribus consilium cœperunt, ut uirum pium & fidelem Christi ministrũ comprehenderent & sine ulla mora cremarent, antequam incolæ ipsius regionis intellige re aliquid possent. Inprimis autem Franciscanis hoc consilium gratum, & magnoperè iucundum accidit. Interea dum hæc malitioſè ab illis parantur, quingenti rustici, coacti ad dimidium miliare ab urbe Meldorffi, conuenerunt, atque omnes uiarum aditus occuparunt, ne quis ad urbẽ nunciũ consilij ipsorũ adferre posset. Populus id quidem tum inuitus agebat. quia tamen duces, ac totius eius negotij gubernatores, graue tum fortunarum omnium, tum etiã uitæ periculum comminantes, id iubebant, eorum imperium recusare ac detrectare non audebant. Atq; ut animum eis maiorem adderent, curauerunt, ut ante suum in urbem aduentum, tria dolia ceruisiæ Hamburgensis biberẽt. Ita postremò Meldorffum cum copijs armatis circiter mediam noctem peruenerunt, quibus Dominicani, ut in tenebris noctis eis prælucerent, tædas aeque faces antea paratas atq; adornatas, illis attulerunt. Cùm igitur uenissent in urbem, ilico cum magno impetu ac ui in domum Curionis irruerũt: & ut est cõsuetudo istorum latronum ac prædonum, cùm huiusmodi furore agitantur, totam domum compilarunt ac diripuerũt, uasa, lectos, lintea, utensilia omnia domestica, uestes etiam, quibus quotidie induebatur, aurum, argẽtumq; eius abstulerũt. Neq; uerò prædonibus his satis fuit, latrocinium huiusmodi in bonis fortunisq; illius exercere: sed ab ea præda & rapina, ad uim corpori eius cum omni petulantia & sæuitia inferendam, se conuerterunt. Alius petulanter illum cædebat, alius sica pũgebat & gladio: omnes uerò ut occideretur, maximis clamoribus iubebant. Quidam etiam ex illis, hominem pium ex lecto nudum comprehenderunt, eumq; ita in plateas urbis protraxerunt, ut per lutum incederet. Alij uerò idem egerunt in Henricũ, quem nudum ex lecto arripuerunt, eum cædẽtes atq; impellentes, manibus illius ad dorsum arctissimè colligatis, pedibus nudis super glaciem ita inambulare cogebãt, ut pedes eius rigore frigoris læsi, sanguinẽ emitterent. Ita eum inhumaniter tractantes, usq; ad domum cuiusdã sacerdotis pertraxerunt, atq; ei in ima cauea posito, asservandum tradiderunt. Postridiè manè illi carnifices in forum conuenerunt, ut quid de Henrico agendum esset, ipsi inter se statuerent. Neq; interea desinebant, maxima uociferatione eum ad supplicium ignis uocare. Ne longior sit oratio, uir pius atq; innocens Sudphenus, causa indicta & inaudita fuit condemnatus, ut igni cremaretur, ab ijs qui eius & iudices & tortores constituti erant. Qua ex re monachi in primis maximam uoluptatem acceperũt: eosq; iudices ac gubernatores reipublicæ maximoperè laudauerunt, quòd iustitiã tum colerent, tuerentur & conseruarent. Tum uerò eum comprehensum, & manibus, collo, pedibusq; uinctum & constrictũ, eum in locum adduxerunt, ubi erat supplicio afficiendus. Ibi sententia fuit pronuntiata à quodam præ-ſo, id

Mira crudelitas erga pios.

cto, id est, eo qui maleficijs in regione aliqua, aut prohibendis, aut cùm sunt commissa, puniendis, præpositus est: à quo hæc sententia nummis numeratis empta fuit. Ea aũt continebat, impium hominum Henricum, contra fidem Christianam matremq; Dei concionatum fuisse: & ob eam causam se ex authoritate reuerendissimi episcopi Bremensis, domini sui obseruandissimi, illum condemnare, ut uiuus comburetur. Sententia pronũtiata, improbi homines eum in plateam protraxerũt, in qua magna strues lignorum facta erat, ut in ea uiuus cremaretur, pedibus eum appetentes, uexantesq;, neque ullum iniuriarum & contumeliarum genus prætermittentes, quod ab illis excogitari aut adhiberi poterat. Quidam ex illis sica in summa capitis parte eum percussit: alius hallebarda eandem corporis partem uiolauit. Denicq; unusquisq; certatim propius ad illum accedebat, ut eum cęderet. Atq; in hac quidem tanta sæuitia & crudelitate, ad populum magnis clamoribus uociferabãtur: Deũ à se ea in re stare, insolenter affirmantes. Sed quum omnem darent operam, ut ignem accenderent, non tamen id poterant: atq; ita incerti quid agerent, fustibus & hallebardis eum cædere nõ desistebant, omniaq; & tormenta & opprobria adhibere, quæ ab illorum petulantia proficisci poterant. Atq; huiusmodi quasi quædam prolusio ante supplicium, duas propè horas facta fuit. Interea uir pius sola interiori linea indutus erat constitutus coram hominibus tumultuantis, furiosè in eum debacchantibus, suosq; in Deum oculos habens conuersos & intentos, eius opem implorabat. Post ea eum in ualida quadam scala ligauerunt, in qua cùm uerus Iesu Christi seruus confessionem fidei suæ edere cœpit, quidam ex rusticis eum in os percussit, cum huiusmodi uerborũ petulantia, qua illum prius ustulandum esse dicebat, deinde quantũ uellet murmuraturum. Alius etiam pectus eius pede pressit, collumq; eius in uno scalæ gradu alligauit cum ui tanta, ut sanguis per os & nares efflueret: quem uidebant nullis adhibitis tormentis doloribusq; mori posse, eum suffocare conabatur. Postremò ita alligatum in scala, eum hallebardis elatum ad paratã struem lignorum detulerunt. Nam tum quidẽ in ea regione nullus erat, qui in eo supplicij genero exequẽdo expertus esset. Vna ex hallebardis, quibus scala cum eo nixa ferebatur, delapsa, ita in hominem incidit, ut eum medium perfoderit. Ita, in paratam lignorum congeriem iniectus fuit. Sed quum scala in latus eius inclinasset, Ioannes Holm celeriter accurrens, securi militari tot ictus pectori eius inflixit, ut confectus expirarit. Mortui corpus ardentibus carbonibus ustulauerunt, propterea quòd nulla ratione efficere unquam potuerunt, ut ignis in parata lignorum strue accenderetur. Atq; hic quidem illius uiri ac serui Christi exitus fuit, opinione mundi calamitosus atq; horrendus, sed Spiritus iudicio gloriosus ac perbeatus die 19 decemb. anno Christi 1524. Eodem autem tempore multi homines pij Deumq; metuẽtes, propter testimonium Euangelij coniecti fuerũt in profluentem Rheni, aliorumq; fluminum, in quibus corpora eorum submersa, postea inuenta fuerunt.

Sententia iudicis.

Ignis accendi nequit.

Multi submersi hinc inde ob Euangelij doctr. n. m.

Fuit præterea alius, Ioannes nominatus, qui eadem in urbe Diethmar, pro Christi nomine, non solùm maxima opprobria, uerumetiam mortem constanter pertulit. Ita hi duo boni ac pij homines, uerique testes, qui ad cognoscendã ueritatem, quasi duo accensa lumina diuinitus adhibebantur, in suauem Deo odorem, sacrificium confessionis, sanguine suo commendatum, obtulerunt. Hoc etiam anno 1524. die 22. Octob. oppidum Miltenberg Moguntinensis ditionis ui captũ, multiq; homines partim interfecti partim incarcerati fuerunt. Magistratus enim Iohannem Carolstadium admiserat ut Euangelij doctrinã anuntiaret, & Ecclesiam Christi ibidem constitueret. Sicq; ciues ad priorem religionem ab Archiepiscopo reducti, atq; Ecclesia dissipata fuit. Vuiennæ etiam Georgius quidam librarius, acerbissimam editæ confessionis pœnam

Miltenberg oppidũ ui captũ.

igne sustinuit. Præterea Pragę in Bohemia, alius fuit combustus, quòd genus uitæ monasticæ impium, infamemq; cœlibatum reliquisset, atq; ad honestam & Deo probatam coniugij societatem se contulisset. Certum autem est, eos quos memorauimus, & alios, qui pro Christi nomine moriũtur, aliam ob causam hæc tormenta perpeti, quàm fures, sicarios, latrones, aliosq; facinorosos homines, qui iustas maleficiorum suorum pœnas luunt. Iustitia, æquitas, & ueritas, fideles Christianosq; homines, ad hæc ferenda, pro gloria Dei salute q; hominum adducit. sed mundus, qua est ingratitudine atq; impietate, claudit oculos, ne hanc Dei tam excellentem uocationem, ac fidei in Martyribus cõfessionem intueatur: &, quod est grauius, arbitratur se sacrificium præstare Deo, si in fideles Christi seruos tantam crudelitatem exerceat. Hæc tamen hominum infidelitas, ueritatem Dei nunquam abolere poterit, neq; pios homines priuare ea iustitiæ corona, quę in cœlo parata est ijs omnibus, qui causam ueritatis, & gloriam Christi fortiter tutati fuerint: qui quidem exemplo Mosis, cum populo Dei malunt affligi, atq; in omni paupertate ignominiaq; uersari, quàm frui ijs commodis, honoribus & gaudijs, quæ cum impijs ac superbis hominibus in hac uita consequi possent.

HENRIC. VOES ET IOAN. ESCH Augustiniani, 1. die Iulij Anno 1523. Bruxellis exusti.

Martyres primò degradati.

ANno *M.D.XXIII.* Bruxellis in Brabantia, duo iuuenes cremati fuerunt, quorum alter Henricus Voesus, uiginti & quatuor natus annos, alter Ioannes Eschus uocabatur, uterq; monachus ordinis Augustiani. Hi calend. Iulij ineunte post editam Euangelij Christi confessionem, primum de gradu ordineq; sacerdotij expuncti fuerunt, monasticisq; uestimentis in foro publico spoliati, idq; instigatione inquisitoris fidei Egmondani eos persequentis, atque authoritate theologorum Louanienſium: quòd illos ab opinione & sententia nunquam reuocare potuissent. Quæstionem habuit Hochstratus Dominicanus cũ alijs. Rogati sunt primum, ecquid crederentur. Illi, ueteris & noui testamenti libris, & Apostolorum symbolo, quod fidei capita continet, credere se dicunt. Num decretis conciliorum atq; patrum credant? dicunt, ijs quæ cum sacra scriptura consentiũt. Putent ne peccatum esse mortale, si quis patrum & pontificis Romani decreta uiolet? Respondent: solis præceptis diuinis hoc esse tribuendum, ut absoluãt aut condemnent. Quum in eo persisterent, damnati sunt ad ignem. Tum lętãtes, gratias Deo patri cœlesti agere cœperunt, quòd se illo falso & abominãdo sacerdotij genere atq; ordine solutos & liberatos, in alium meliorem cooptaret sacerdotum ordinem, in quo etiã seipsos in sacrificium odoris suauissimi offerrẽt. Scriptum eis est datum, quod recitarent, ac palàm omni populo declararent, quid de religione sentirent ac crederent. Summum erroris crimen, quod eis obiectum est, hoc erat: quòd in unum Deum credendum esset, quoniam homo uanus & mendax in omnib. suis uerbis atq; operibus, & ipse falleretur & alios falleret: eam ob causam nõ esse fiduciam in ullo homine ponendam. Cùm autem ducerentur ad supplicium, læti hilaresq; accedebant, cum huiusmodi testificatione perpetua, quòd pro gloria Christi, & doctrina Euangelij Apostolorumq;, ut Christiani morerentur, non ut hæretici gentilesq; increduli, & quòd ecclesiam Filij Dei sanctam crederent, affirmantes illum diem, quo ita morerentur, eum esse diem, quem tantoperè optassent. Cùm autem 1. die Iulij uenissent ad locum, in quo ustulandi erant, denudati, satis diu ibi cum induſio steterunt, palum ad quem exurendi erant, animo magno amplectentes, nec solùm patienter, sed etiã lubenter atq; hilariter ferentes omnes molestias & contumelias, quæ ab aduersarijs in ipsos proficiscebantur; Psalmis & canticis Dei gloriã celebrabant, formulamq;

Constantia Martyrum.

mulamq; ſymboli ab Apoſtolis relicti, teſtem fidei ſuæ ac confeſsionis pronũ tiabant, alternis etiam uicibus canebant: Te Deum laudamus, &c. Quidã ex doctoribus, qui ibi aderant, uidẽs animi lætitiam & hilaritatem Henrici, eum monuit, ne ita inepte ac ſtulte gloriaretur. Abſit, inquit ille, mihi gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti. Alius, cùm eum quoq; monuiſſet, ut Deũ ante oculos haberet: Ego uerò, inqt ille, in meo animo uere habeo ac fero. Alter uerò eorum, cùm ignis pedibus eius ſubij ceretur, flãmas huiuſmodi, quaſi roſas ſuaues ſpargi ſibi uideri dixit. Poſtremò fumus & flamma, cùm iam altius uultum inuaſiſſet, eos ſuffocauit. Dixerat inter alia Henricus, contra ius Diuinũ eſſe, quòd cleri ac ſacerdotes, poteſtate magiſtratus ciuilis, eius q; iuriſdictione à Deo conſtituta ſoluti eſſent. nam Epiſcopos quidem nullam poteſtatem habere aliam, quàm uerbi Dei fideliter integre q; annuntiandi, ac paſcendi ea doctrina oues Chriſti in Eccleſia. Aduerſarij tamẽ ſparſerunt poſtea hos ultimo agone ſuam ſententiam reuocaſſe, quòd alij qui proximè aſtiterũt conſtanter negarunt. Hanc autem Hiſtoriam deſcribit copioſe M. Lutherus Tomo 6. fol. 397. ſuorum librorum.

CASPAR THAVBER Vuiennæ decollatus, Anno 1524.

ANno 1524. conſtãs Chriſti martyr Caſpar Thauberus Vuiennę Auſtrię ciuis, ibidem martyrij coronam nanciſcitur. Poſtquam enim is Euangelij doctrinam ex quibuſdam libellis editis hauſiſſet, atq; ſeruitutem Chriſtianorum ſub pontificis Romani Tyrannide intellexiſſet, Chriſtianam libertatẽ apud aliquot cõciues ſuos ꝓpagare & defendere cœpit. hac de cauſa captus atq; fœtentem in carcerem retruſus fuit. Epiſcopus interim Ioãnes nihil intentatum reliquit ut Caſparum ad obedientiã reduceret. Propterea ſæpius Theologos ad eundem miſit, ut ſententiam reuocaret, & ad Eccleſiam Romanã rediret. Cùm etiam ſpes quædam his reuocandi facta eſſet, iudicium quoddam de eo tulerunt, cuius potiſsimum erant tria capita. Primò, ut ſuum errorem in omnibus articulis Lutheraniſmi tribus diebus feſtis finita cõcione in templo S. Steffani pro ſuggeſtu alta uoce reuocaret, atq; libros ſuſpectos cõbureret. Secũdò, ut ſequentib. tribus dominicis diebus pedibus & capite nudis, ueſte lugubri, & laqueum colle ferẽs ſtet ante oſtium S. Steffani dum res diuina fieret, atq; in ſignum pœnitentię facem ardentem haberet in manibus. præcedẽtes uerò dies Veneris (quos uocant) in aqua & pane ieiunaret, & tres pauperes cibaret. Tertiò uerò per totum annum in carcere agat pœnitentiam, bona quædã temporalia in uſum belli Turcici conferat, expenſas iudicij ſoluat, atq; per omnem uitam ſignum crucis ferat, ut ſemper ab alijs dignoſceretur. Hæc quidem cùm facturus uideretẽ, feſto uiſitationis Mariæ in Templũ ducitur, ut ex ſchedula oẽs articulos ordine reuocaret. Ibi uerò finita cõcione magna ſeueritate publicè confeſſus eſt, ſe nullius erroris ſibi eſſe conſcium, uerũ tantum ea credere & docere quæ in ſacris literis apertè ſint tradita. Cùm itaq; preſidentes nihil neq; minis neq; blanditijs efficerẽt, denuo incarceratur atq; miris modis tormẽtis cruciatẽ. Tandẽ è carcere ad Auguſtinianos abductus, ibidem inauditus ab Eccleſiaſtico ordine hæreticus damnatẽ, atq; magiſtratui ut ſupremo ſupplicio afficereẽ traditur, qui etiam ſtatim manus eius ferro cõſtrinxit. Conquerebatur quidem Caſparus, inhumanũ eſſe nulla excuſatione admiſſa reum damnari. ſed nihil efficere potuit, adeo ut multi circumſtantes magna commiſeratione de eo iudicij proceſſu plurimum admirabãtur. Sic demum 17 ſeptembris huius anni, ſummo mane, hora ſexta bigæ impoſitus, atq; ad locũ ſupplicij magna feſtinatione extra urbem abductus fuit. uix enim centum homines ſpectatores huius actus eſſe poterãt. Poſtquã deſcendiſſet orabat intentè, atq; ſacrifico admonenti ut peccata confiteretur atq; animam cu-

raret,respondit,anima mea optime in domino meo Christo curata est: deinde astantes admonebat, ne quis ijs qui sententiã iudicum exequerẽtur in posterum esset iniquior. Vltimo ter dixit, Domine in manus tuas commendo spiritum meũ, hoc dicto carnifex caput eius amputauit. Postea corpus eius igne crematum est, atq; uerus Christi martyr in cineres redactus. Tum q; tandem odium aduersariorum erga eum quieuit.

IOANNES CASTELLANVS, Theologiæ Doctor in Lotharingia exustus 12 Ianuarii. Anno 1524.

Doctor Theologus prædicat Euangelium.

ANno *M.D. XXIIII.* M. Ioannes Castellanus Tornacensis, doctor q; Theologus, professus est institutum eorũ, qui Eremitæ diui Augustini appellantur: postea uocatus ad cognitionem Dei, uerus doctor ac præco Euangelij eius extitit. Is cùm in Gallia Euangelium annuntiasset, eo in loco qui Barle Duc dicitur, apud Vitriacũ oppidum in Partensi regione, Cabilloni in Campania, atq; in Lotharingia in urbe Vicensi, sede episcopi Metensis: postquàm etiam in ipsa urbe Meti, aliqua doctrinæ Euangelicæ fundamenta posuisset, atq; metu ciuium nemo ei manus iniicere ausus esset, tandem proditione quadam extra urbem pellectus, ubi etiam in Abbatia Gorsæ nõ procul à Metensium urbe, à ministris Cardinalis Lotharingi captus fuit. quo ex oppido deinde ad castellum Nommenium per eosdem Cardinalis administros traductus fuit. Hoc autem ita factum est, nõ sine magna offensione perturbationeq; Metensium, qui grauiter indigneq; ferentes, ministrum suum ac uirum pium, ita captum in ea arce detineri: quosdam certos homines Cardinali subditos comprehenderũt, eosq; diu apud se captiuos in custodia habuerunt. Itaq; Abbas sancti Antonij Viennẽsis, Theodorus Caumontius nominatus, uicarius Cardinalis, in omnibus tum spiritualibus, tum corporalibus, in episcopatu Metẽsi, Tullensi, ac Verdunensi, cum literis ac mandato Pontificis Romani Metim uenit, cõsules q; urbis & magistratus senatores q; monitos atq; placatos, in eã sententiam uoluntatem q; adduxit, ut captiuos Cardinali subditos dimiserint. Ioannes autem Castellanus fuit in custodia habitus, & crudeliter tractatus in arce Nommenensi, à quarto die Maij, usq; ad *XII.* Ianuarij, anno suprà notato *M.D. XXIIII.* in omnibus quæ ab eo quæsita fuerunt, causam doctrinam q; filij Dei Iesu Christi, constantissimè tutatus est. Quæ fuit causa, ut à castello Nommenio, in urbem arcem q; Vicensem deductus fuerit, summa cum constantia in confessione propositæ doctrinæ perseuerans, ita ut aduersarij ad eam sententiæ formam sint progressi, qua illum à gradu ordineq; sacerdotali, pristinã eius unctionem more prius commemorato eradentes, demouerunt, ut eum sacra solutum professione, in manum secularem ac potestatẽ traderent. Conuenerunt ergo ex tota prouincia omnes Abbates & prælati cum magna hominum frequentia, ut consilium suum tandem exequerentur, & publicè condemnarent. Cùm autem forma sententiæ pronuntiatæ, ratioq; tota degradationis, ut uocant, notabilis sit, non indigna uisa est, quam huic loco intexeremus ad demonstrandas horribiles blasphemias, cum stolida & planè belluina subtilitate coniunctas maximorum mysteriorum, quæ continentur in ea formula degradationis, qua inimici ueritatis, aduersus sanctos homines & filios Dei uti solent: ex qua omnes, etiam ij qui omnium maximè ignari sunt & imperiti, quasi manibus palpare poterunt horrendam cæcitatem, qua huiusmodi cornutæ bestiæ percussæ fuerunt.

Degradationis formula.

Cognita causa tua cum inquisitione informata & instructa accusatoria ratione, contra te, Ioannes Castellane, sacerdotem ac religiosum ex fratrib. eremitis S. Augustini: intellecta pariter confessione tua, quam tua sponte ac uoluntate falsam erroneam q; doctrinam defendens edidisti: perspectis etiã pijs admonitionibus, atq; amantissimis exhortationibus, quib. ad te in urbe Metensi

tenſi uſi ſumus, quibus tu inſtar aſpidis ſerpẽtis, aures omni ſurditate affectas, atq; ad omnem audiendam ueritatem clauſas, nunquam adhibere uoluiſti: cognitis reſponſis tuis, quę tu iuratus ad interrogata noſtra, nõ ſemel ſed ſæpius repetijſti, in quibus quidem arte diabolica inductus, non ſolum reticuiſti atq; occultaſti ueritatem, uerùm exemplo Cain confeſsionem tuorum peccatorũ & maleficiorum ſuppreſsiſti: auditis poſtremò teſtimonijs eorũ, qui maximo numero contra te ea dixerunt: quorũ genera, perſonæ, crimina contra te delata, cæteraq; omnia non indigna iuris cognitione ac diſceptatione, diligenter collata & conſiderata fuerũt: poſt, inquam, hæc omnia cognita & perſpecta, uenerabilis magiſter Nicolaus Sauinus, in theologia doctor ac fidei exquiſitor nobis adſiſtẽs, cauſam iam tuam inſtituit, ac plenè perfecteq; informauit. Accedit hic confeſſus communicato cõſilio cum multis hominibus literatis, magiſtris, doctoribus, in ſcientia utriuſq; iuris, tum Diuini, tũ humani præſtantiſsimis, imprimisq; cum ijs, qui in cauſa nomen ſuum ſubſcripſerunt ac ſubſignarunt. Nam ex ijs quæ in cauſa continentur, nobis euidenter apparuit, & nunc etiam apparet, te, Ioannes Caſtellane, ſæpius diuerſisq; in locis diuulgaſſe, & quaſi dogmata quædam tradidiſſe, ac prædicaſſe multas propoſitiones erroneas & falſas, hæreſisq; Lutheranæ pleniſsimas, planè fidei catholicæ & ueritati Euangelicæ, ſediq; Apoſtolicæ derogantes ac repugnãtes. Itaq; cùm ita miſerè, & apoſtata defeceris, à tergoq; reſpexeris, ſatis conuictus es, te nõ eam fidem præſtitiſſe Deo, quam debebas, ſed ei mentitum fuiſſe. Etiam per ſacras iuris canonici regulas eſt conſtitutum, æquum eſſe, ut qui mortiferis linguæ uenenatæ telis Diuinas ſcripturas peruertunt, atq; animos moresq; fidelium inficiunt, atq; corrũpunt, grauiſsimis ſupplicijs afficiantur, ut cæteri metu pœnarum in officio contineantur, omnes Chriſtiana lætentur concordia, exemplaq; huiuſmodi tum ſeueritatis, tum bonitatis, propoſita intueantur. His de cauſis & alijs, quæ ex ipſa cauſa colliguntur, de authoritate Apoſtolica, ac reuerẽdi Cardinalis domini, qua hac in parte utimur, hac noſtra ſententia, quã pro tribunali ſedentes decernimus, atq; in his ſcriptis pronunciamus, Deum ante oculos ſolùm habentes, atq; illud rectè conſiderantes, quòd qua menſura alijs menſi fuerimus, eadem remetietur nobis: nos igitur dicimus, pronũciamus, declaramus, atq; etiam ſententialiter ac definitiuè iudicamus, te Ioannẽ Caſtellanum propter merita tua fuiſſe excommunicatum, & eſſe nunc maxima excommunicatione, ſimulq; etiam reum læſæ maieſtatis diuinæ, criminoſum atq; aduerſarium fidei catholicæ, Euangelicæq; ueritatis, præterea hæreticum manifeſtum, ſectatorem ac participem impiæ crudelitatis Martini Lutheri, hominis turbulenti, à quo ueteres hæreſes, & iam antea condemnatæ ſuſcitantur. Quam ob rem te omni honore ſacerdotali, omnibus ordinibus, etiã tonſura, ueſtitu q; religioſo, atq; etiam eccleſiaſtico beneficio tuo, ſi ullum habes, omniq; priuilegio clericali iudicamus deiectum priuatumq; fuiſſe: quem admodum etiam nunc deijcimus ac priuamus, & ut membrum putridum, à communione fidelium ſegregamus: atque ita priuatum ac ſegregatum, iudicamus actualiter degradandum eſſe, ut ita deformatum ſpoliatumq;, curiæ ſeculari relinquamus: cõmittentes hanc degradationẽ actualemq; ſententię noſtræ executionem, huic reuerendo Domino & epiſcopo præſenti, propter authoritates mandataq; ſuprà memorata.

Myſteria degradationis.

Hac ſententia ita pronunciata, perfectaq; concione, quæ de fide catholica eorum haberi ſolet, epiſcopus Nicopolenſis, cuius paulo antè mentio facta eſt, ciuitatis Metẽſis ſuffraganeus pro tribunali ſedens, cum authoritate ac poteſtate pontificia, cum clero, nobilibus, ac populo, degradationẽ Ioannis Caſtellani ita cœpit peragere. Primùm enim Caſtellanus iam degradandus, per officiarios eius epiſcopi omnibus ſacerdotalibus ueſtimentis indutus fuit: de

inde ex sacello per sacerdotes ad eam rem constitutos, cum omni sacerdotali apparatu ornatuq; deductus, manibus iunctis flexisq; genibus corã Episcopo est collocatus. Illicò officiarij calicem cum uino & aqua, præterea patenam hostiamq; ei in manũ tradiderunt. Quæ omnia Episcopus degradator, de manibus eius cum huiusmodi uerbis abstulit, Nos auferimus, aut iubemus auferri tibi potestatem sacrificij Deo offerẽdi, Missæq; tam pro mortuis quàm pro uiuis celebrandæ. Deinde Episcopus sacros utriusq; manus digitos lamina uitrea erasit, dicens: Nos hac rasura potestatem sacrificandi, consecrandi benedicendiq́ue tibi auferimus, quam tu ex unctione manuum, pollicisq́ue accepisti.

Deinde summo illo indumento atq; ornamento, quod casulam appellant, à tergo cum caputio detracto, eum exuit, his utens uerbis, Nos iure optimo exuimus te uestę sacerdotali, quæ charitatem significat. nam tu eam quidem atque omnem innocentiam exuisti. Postea stolam ei detrahens, dixit, Tu turpiter abiecisti & post tergum reiecisti signum Domini nostri, qui hac stola repræsentatur. Quamobrem nos eam tibi auferimus inhabilemq; reddimus, ad ullum officium sacerdotale exercendum, aut aliam rem, quæ ad sacerdotium pertineat. Sed reliqua eius generis nugamẽta cognosci possunt ex libro pontificali in quo ineptissima tota hæc disciplina continetur. Eorũ quidem nunc gustum nos hic dare uoluimus, ut omnes homines intelligant, quàm impunè uerbis sacræ Scripturæ abutantur.

Perfecta degradatione, procurator fiscalis curiæ ciuitatisq; Metensis, ab Actuario seu notario causæ postulauit, ut ad perpetuam rei memoriam, unũ aut etiam plura instrumenta peractæ degradationis conscriberentur. Tum ministri Episcopi Ioannem Castellanum uestitu habituq; clericali exuerunt, eumq; amictu seculari induerunt. hoc autem propterea ita fit, quoniam is qui loco graduq́ue sacerdotali est demotus, potestati magistratus ciuilis est tradendus, secundum constitutiones Papæ Innocentij tertij, qui ea in re sacram unctionem, sanctissimiq́ue sacerdotij religionem uiolari noluit. Iuxta illud: Nolite tangere Christos meos. Episcopus igitur degradator non ulterius progressus, hoc modo locutus est, Nos pronuntiamus ut curia secularis, te ita degradatum spoliatumq́ue omni ordine ac priuilegio clericali, in suam curam suscipiat. Id autem cùm factum esset, idem Episcopus usitato more, specie quadam officij simulationeq́ue humanitatis, se pro eo deprecatorem apud iudicem præbens, Domine iudex (inquit) nos te omni quo possumus studio rogamus, cùm propter Deum, tum etiam propter dona pietatis ac misericordiæ nostrasq́ue preces, ne in hunc miserum atq; infelicem hominem aliquid mali constituas, quod ad mortem, aut mutilationẽ corporis eius pertineat. His ita actis, magistratus secularis urbis Vicensis, confirmans sententiam antè pronuntiatam, condemnauit Ioannem Castellanum, ut uiuus cremaretur. Is itaq; anno ætatis 50. magna animi delectatione ad locum supplicij processit, atq; ibidem in genua procidẽs ardenter orauit. Postea sese in manus carnificis sponte obtulit ut ad palum ligaretur. Igne mox accenso, gra uem illam pœnam tanta constantia atq; animi magnitudine sustinuit, ut non solùm ignari homines maximo numero ad cognitionem ueritatis conuersi fuerint, uerumetiam cæteri, qui non pauci aliquem pietatis gustum sensumq́ue habebant, hoc genere mortis tam prætiosæ, in oblata gratia Dei confirmati maximam utilitatem perceperint.

IOAN-

IOANNES CLERICVS. Metis Martyrizatus 22. Iulij, Anno 1524.

IOannes Clericus Meldensis, frater fuit natu maior Petri Clerici, eius qui cũ quatuordecim postea supplicio affectus est. Is Ioannes in urbe Meldensi captus est, anno M.D.XXIII. quòd schedulam affixerat ualuis summi templi eius urbis, contra indulgentias à Papa missas, in qua scripserat eum esse Antichristum. Quamobrem eo quidem tempore fuit condemnatus, ut tribus diebus certo spatio intermissis, uerberibus cæderetur, atque impressa in fronte nota ignominiosè afficeretur. Eius autẽ mater, mulier uerè Christiana, tametsi mari tum haberet aduersarium, quum uideret filium uirgis uerberari, atq; ea nota compungi ac deformari, animum ei addidit, & in hanc uocem exclamauit, Viuat Christus, eiusq; insignia. Postea Ioannes ea pœna ignominiaq; affectus, Rosoium in Briam profectus est, inde Metim in Lotharingiã: quo in loco aliquandiu est commoratus, artificio utens lanæ carminãdæ ac pectendæ. Is prima die eius diei, quo cultus quorundam idolorum exiguo in sacello extra urbem celebrandus erat, permotus eo Dei studio quod exitus postea rectissimũ sanctissimumq; esse declarauit, urbe egressus, uenit eum in locũ, eaq; simulachra fregit, quæ postero die homines superstitiosi adoraturi erant. Itaq; canonici, sacerdotes, ac monachi, cùm eò omnem populum solenni processionis pompa conduxissent, omniaq; simulachra fracta aut mutilata offendissent, totam ciuitatem concitarunt ad authorem eius facinoris quærendum: qui non multò pòst repertus est. Nam præter sinistram opinionem, quam de eo iam susceptam habebant, uisus fuerat à quibusdam ab eodem loco reuertens in urbem in ipso diei crepusculo. Itaq; Anno 1524. comprehensus factum statim confessus, coram populo rationem cur id fecisset, reddidit, cum tanta populi offensione ac furore, ut ad grauissimum mortis supplicium mox poscceretur. Causa eius informata postquàm puram filij Dei Iesu Christi doctrinam, tum perpaucis in ea urbe cognitam, constanter asseruit, 22. Iulij ad locum extremo supplicio constitutum ductus est, in eoq; atrox atq; horribile genus mortis perpessus: statuebant enim Metenses mutilationem Idolorum corporis humani dilaniatione compensare. Cùm ad locũ supplicij uenisset exclamauit: Miseret me turbæ huius quę ob idolum mutilatum me ingens flagitium cõmisisse arbitratur. Postea à quodam interpellatus ut à multitudine peteret quo quisq; precationem Dominicam & salutationem angelicã eius nomine proferret: respondit, Omnes uos oro ut mecum oretis Paternoster. Tum alij inferebant, Cur non & Aue Maria? Dixit: Qui uelit, proferat. non enim id peto, ut benedicta uirgo negligatur, uerum quia Iesum Christum crucifixum unicum saluatorẽ & mediatorem agnosco ut 1. Tim. 2. & 1. Ioan. 2. scriptum est. Hoc dicto carnifex opus crudelissimum aggressus est. nam primùm manus dextra ei amputata fuit, deinde nasus forcipibus tenacissimis auulsus, duoq; eius brachia cum mamma utraq; eodem instrumento dilaniata fuerunt. Nemo sanè erat in eo tam atroci spectaculo, qui non commoueretur attonitus: præsertim cùm uideret eximiam uirtutem, inuictamq; constantiam, qua Deus hunc Martyrẽ muniuerat & roborauerat. qui quidem in maximis atq; acerbissimis tormentis, pronuntiauit illos uersus Psalmi 115, Simulachra eorum sunt argentum & aurum, opus manuum hominum. Reliquum autem uitæ, quod in eius corpore tam crudeliter affecto supererat, paulò post igni consumptum fuit.

Clericus Meldis ob Euangelium uirgis cæsus.

Egregia matris constãtia.

IOANNES PISTORIVS *in Holandia ob ueritatis confessionem combustus, Anno 1524.*

IOannes Pistorius de Vuerden Batauus, honestis sed tenuis fortunæ parentibus natus, anno duodecimo ætatis Traiecti Choralis cantor erat per triennium, ibiq; ob diligentiam & sonorã uocem omnibus gratus. Postea uero ad intermissa studia reuersus præceptorem habuit Ioannem Rhodium Collegij Hieronymitani præpositum, à quo diligenter in religionis fundamento institutus, ut uterq; de Lutheranismo (qui tum incipiebat) suspectus haberet. Postea uero Louanium profectus, atq; à patre suo Erasmo Roterodamo, cui cognatione quadam coniunctus erat, commendatus. Patris tandem suasu Traiectum rediit atq; ordinem sacerdotalem suscepit, quòd ideo fecerat ut commodius docere atq; Catechismum propagare posset. Cum uero doctrina eius pura & simplex esset, quę magis Christi præceptis quã humanis traditionib. niteretur, citatus est à Collegio Traiectensi ut sese purgaret. demũ, cũ nõ corã aduersarijs cõpareret, in arce Vuerdensi à præfecto incarceratur. Ibi uero sponte patriã relinquens Vuitenbergã proficiscit, ut doctrinã Euangelij rectius cognosceret. mense tertio peracto redijt, & denuo Christum prædicare cœpit. Vnde accusatus & per triennium in exilium missus, ut interim Romam proficisceretur & pœnitentiam ageret. Hoc uero Traiectensis Collegij decretum Ioannes contemnens, hinc inde per Holandiæ fines incedens, Euangeliũ prædicabat atq; fratres uisitabat. Vt etiam doctrinam suam opere declararet, uxorem duxit, Missæ ualedixit, & manibus laborando uictum quęrere cœpit. nihilominus tñ in ædibus piorum concionabatur. Interim Indulgentiæ pontificis superuenêre, quæ gratis omnibus ijs proponebant, qui Missas certis locis & temporib. audire dignarent. Idem cum in oppido Vuerden fieret, Ioannes hic fraudes pontificiorũ detexit, atq; ueræ religionis capita proposuit. Pastor itaq; loci eius suũ priuatũ damnũ sentiens, denuo Ioannẽ accusat, atque tẽplo excludere statuebat. In iudiciũ ergo uocatus protulit sententiã: frustra me colunt humanis traditionib. & exposuit eam. Cũ uero paulo pòst apud Margarethã Maximiliani filiã, quæ tum eas regiones administrabat, traduceret, eum comprehendi curauit. Quatuor itaq; robustis uiris negotium cõmissum, qui eum in urbẽ Hagen abduxerunt, & in captiuitatẽ collocarunt. potuisset quidem in itinere aufugere, sed noluit. Erat enim proceræ staturæ, robusto corpore, atq; 27. annos natus. Docendo erat syncerus & simplex, disputando uehemens & acer, uitæ uero innocentia & hilaritate uultus omnibus gratus. Anno itaq; 25. die 14 Iulij Louanienses Doctores Montanus, Rosemũdus, & Enchusianus cum aliquot alijs inquisitionẽ de eo habuêre, præsertim de sacerdotũ matrimonio. Ibi constanter respondebat, obiecta diluebat, atq; sacrarũ literarũ testimonio confirmabat quicquid in sua doctrina reprehendi poterat. Actiones tres cõtra eum institutæ, in quib. tñ adeo doctè & sapienter respondebat, ut aduersarij quid agerent nihil haberent. Aderat forte in eadẽ captiuitate Vilhelmus Gnapheus, qa Monachismũ certis de causis notasset, is postea totã illã disputationẽ edidit, q̃ D. Ludouicus Rabus suo opi de Martyrib. inseruit. In eodẽ carcere impurissimo erãt & decẽ alij homines, q̃ ob scelera quæ dã notoria capti fuerãt. hos uero Ioannes instruebat, cõsolabat, & Christũ annũtiabat. cum etiã unus illorũ nudus quasi existẽs frigora uix ferret, exteriorẽ suã uestẽ ei dono dedit. Dũ ita periclitaret pius Christi martyr, eò uenit Dña Margaretha magna, pcerũ stipata catherua. Hęc ergo ex tota Holãdia oẽs de religione suspectos Hagẽ adduci iussit, atq; M. Iodocũ Louering Vicarium Mechliniẽsem, suppremũ ordinauit Inqsitorẽ. Productus ergo denuo Ioãnes ut cãm suã ageret. Ibi demũ Iudices nũc blãditijs nũc minis omnia tentarũt, ut ille sententiã suã reuocaret, atq; ad Ecclesiã Romanã rediret. Verũ omnia frustra:

stra: nã mortis minas fortiter contẽnebat. Veniebat & pater eius in carcerẽ ut alloquereꝛ filiũ, quẽ cũ constantẽ in fide deprehendisset, tantũ abest ut ad defectionẽ pelliceret, ut etiã ad perseuerentiã hortareꝛ. Postquãitaq; carcer mutareꝛ, atq; hora mortis indicaretur, læto pectore nuntiũ suscepit, dño agens gratias quòd pro nomine suo dignus esset martyrij coronam nanciſci. Itaq; ante pallatium principis adductus morti adiudicaꝛ, nec ulla eius excusatio admissa. Mox etiam suffraganeus Iacobus Ridderus ordinem sacerdotis ei abstulit, atq; solenni more degradauit. deinde aliam uestem flauam, atq; auritum pileũ (stultorum instar) induxerunt. quæ quidem omnia magna patientia contempsit. Cùm ad supplicium duceretur atq; carcerem præteriret, hortabatur concaptiuos in Christo fratres suo exemplo ad constantiã. Illi ergo unanimiter canebant: Te Deum laudamus, & ô beata sanctorũ martyrum solennia &c. donec omnia cum Ioanne essent peracta. Ille interim ad rogum productus truncum ascẽdit, caput palo adhibuit, atq; laqueum ipsemet collo applicauit, quò strangulandus esset antequã cremaretur. Tum uero clamabat: Mors ubi nunc uictoria tua? paulo post: Domine Iesu ignosce eis, nam nesciunt quid faciunt. Iesu filij Dei miserere mei. In ipso martyrio nec oculos nec faciem mutauit, uerum dormientis instar uitam hanc fœliciter finiuit.

M. NICOLAVS ANTVERPIANVS. Antuerpiæ sub-mersus Anno 1524.

CIrciter annum *M. D. XXIIII.* Antuerpiæ (quod est celeberrimũ emporiũ in ducatu Brabantino) atq; in locis finitimis, magnus erat numerus hominum omnis generis, qui tum primùm aliquem uerbi Dei gustũ capiebant. Eo tempore quidam Parochus fuit Melzæ, qui locus ab Antuerpia duo propè milliaria abest. is ad suas cõciones tantam hominum multitudinem undiq; attrahebat, ut sæpius in patentibus locis campisq; cõcionari cogeretur. Cùm autem liberè annuntiabat uerbum Dei, tum nõ obscurè ac timidè falsas & impias hominũ doctrinas arguebat. In quadam uerò nouissima concione sua audiente populo iucundè ac grauiter & seipsum & alios sacrificulos accusauit, acloquens de Missa, dixit. Nos quidem luda proditore sumus deteriores, atq; improbiores. is enim Christum dominum uendidit & tradidit: nos uerò eum uobis uendimus, nec tamẽ tradimus. Non multo pòst tempore, sacerdotes ac monachi, hoc felici Euangelij successu offensi, metuentes ne præda de manib. ac faucibus extorqueretur, mandatum ab aula Brabantica contra hunc Pastorem & quendam Augustinensem, qui tum etiam Antuerpiæ magno populi concursu concionabatur, impetrarunt. Illud uerò mandatum potestatem dabat ui auferendi summum corporis indumentum (ut uestem aut pallium) ijs qui in huiusmodi eorũ conuentibus atq; concionibus deprehensi essent. Qui uerò eos concionatores comprehendissent, ijs præmium triginta Caroleorũ aureorum eodem edicto propositum fuit & constitutum. Hoc tamen edictũ Imperatoris Caroli V. nomine promulgatum, impedire non potuit quò minus postea populus quadam die Dominica ad audiendum Dei uerbum conueniret eum in locum, ubi scaphæ atq; naues subducuntur ac conficiuntur. In eo conuentu ac cœtu aderat quidam iuuenis, Nicolaus nominatus, in doctrina uerbi Dei apprimè institutus. qui cùm uideret Augustinensem illum, cuius concio tam auidè expectabatur, non uenire: dixit minimè æquum esse eam multitudinem ita congregatam, famelicam sine ullo pastu uerbi Dei discedere. Itaq; nauem quæ litori erat proxima, unde melius audiri posset, ascendit, & multo plura ex syncera pietatis doctrina eis annuntiauit ac declarauit, quàm unquam antea audierant. Exposuit ea concione illam ab omnibus Euãgelistis descriptã de quinq; panibus & duobus piscibus parabolam: ostenditq; Dominũ nõ aliquot hominũ millia diuina sua doctrina nũc pascere:

Seipsum accusat pius primò.

re:uerum etiam per totum mundum ſpargendam doctrinam hanc, exq́ue ea infinitam hominum turbam alendam eſſe. Poſt concionem, duo ſerui cuiuſdã laniį ſpe præmij, eum detulerunt atq; in poteſtatem magiſtratus tradiderunt. Is uerò Nicolaus poſteaq; puram Euangelij doctrinam conſtanter defendiſſet, poſtero die, qui fuit dies Lunæ, ſacco inſutus, propter metum populi, ſubitò in profluentem cõiectus eſt, iuxta cranam uulgò portus Antuerpienſis, eo ipſo anno M.D.XXIIII.

Sequentes tres memorabiles hiſtoriæ de IESV CHRISTI in Germania martyribus, à IOANNE OECOLAMPADIO ſcriptæ feruntur. De ſacerdotis, cuius nomen ob Nobilem quendam, qui adhuc uiuit, ſilebo, morte indigna, Anno 1525.

Principes facile irritantur.

SAcerdos uerè epiſcopalis homo, & ipſa humanitas liberalitasq́ue, in ruſtica ſeditione, neſcio quid deſignarit, leuiculã rem dicũt eſſe, qui eum nouerant, quia principis animũ, apud quem magna dignitate & authoritate degebat, exacerbarat, non facto aliquo digno morte, ſed dicto acerbiuſculo, adlaqueum condemnatus. Sententia itaq; lata, mittitur ad eum nobilis quidã ſatis crudelis, ſatis immanis, cũ ſeruis aliquot, ut nulla accepta ſatisfactione, eũ ſuſpenderet. Intrarunt miſsi in ædes ſacerdotis, ſalutarũt hominẽ familiariter ridenti ore, tanquã hoſpites optimi ac grati. Nã illius domus hoſpitijs florens hominũ nobiliſsimorum & totius uicinitatis. Iuſſus aliquid edulij adornare, ſe mox prandio peracto abituros, grato animo ſe id facere dixit. Et parauit illico conuiuium ualde opiparum. Comederũt, & hilaritate multa prandium illud honeſtarũt. Abſumpto cibo, Nobilis dixit ad ſeruos, ſacerdote menſæ adhuc accũbente, & nihil mali ſuſpicante: Suſpendite ſacerdotẽ illũ, hoſpitẽ noſtrũ, idq́ue mox perficite, dignus enim laqueo ob ſcelus contra principẽ ſuũ perpetratũ. Abhorruerũt ſerui ab iſto facinore. Hoc abſit procul à nobis, inquiũt, ut illũ, qui nos ita ſplẽdidè tractauit, laqueo perdamus, illius enim cibũ adhuc in ſtomacho gerimus indigeſtũ. Impiũ profecto eſſet factũ Nobili uiro, pro beneficio reddere maleficiũ, imò uitã abrũpere innocẽti. Pecunia fortunisq́ue illius cõtenti ſimus, ſanguinẽ & uitã ne petamus. Indigniſsima enim res homini incommodare, qui omnibus nobis huc uſque benefecit, pauit lautè, & hoſpitio accepit perliberaliter die noctuq́ue. Potius fugæ locũ illi dabimus, ne omniũ horarũ hominẽ interficiamus. Aut cur nõ ante cibi ſumptionẽ hanc de eo ſententiã crudelẽ protuliſti, & ne micã panis ſumpſiſſemus? Hoc eſt amicitiæ ius & hoſpitij ſanctitatẽ uiolare. Cũ aũt hæc agerent inter ſeruos & Nobilem, Sacerdos timore plenus inquit, O uiri optimi, ne tale exemplũ de me ſtatuatis, ne tale quid deſignetis, captiuũ abducite, & me ipſum apud clementiſſimũ principẽ purgabo. Delatus ſum falſo, & irã illius quã de me concepit iracundia cõmotus, delinibo. Sitis hoſpitij memores, & beneficiorũ acceptorũ, leones crudeliſsima animalia, hoc Romę in theatro publico cũ ſeruo captiuo fecerũt. Nã noſtis me oẽm Nobiliũ familiã placido animo, cũ diſpẽdio bonorũ meorũ hoſpitio accepiſſe, fouiſſe, humaniter tractaſſe. Quæ cauſa tã ſeueri iudicij erga me miſerũ? improbè facitis & ſceleratè, ſi pgetis in ueſtro inſtituto. Scio mox principẽ huius facti pœnitentiã acturũ. Aliquanto æquiorẽ, ſi etiã aliquid mali deſignaſſem, ſententiã expectaſſem me ſubiturũ, qui uos paui Perſico apparatu in oẽs horas. A nemine quicq; accepi unquã. Scitis nullũ uos unquã dediſſe ſymbolũ, quod iã laqueo, ô iniquiſsimũ factũ, daturi eſtis, idq́ue in domo mea, inter meos amicos, & conſanguineos, indicta cauſa. Rectè maiores eum, qui ſocium fefelliſſet, in uirorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At uerò hoſpitem, uirum innocentem non modo fallere, ſed fraude & perfidia detruncare, quale peccatum putatis? Si pergetis in

Hoſpitij iura uiolata.

tis in scelere concepto, contra religionem Dei agetis, ex qua re, si qua macula concepta est, arrigite aures, & præcipue tu Nobilis, non modo elui nõ potest, uerum usq; eo permanat ad animum, ut summus furor, conscientia inflammata à satana, atq; amentia nunquam deponenda consequatur. Nolite enim putare, quemadmodũ in fabulis sæpenumero uidetis, eos qui aliquid impie sceleratéq; commiserunt, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemq; fraus, & suus terror maxime uexat, suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæq; terrent. Hæ sunt impijs assiduæ domesticéq; furiæ, id & uobis continget, nisi ab incepto desistatis. Paruã rem putatis, obsecro uos per Christũ, animo id uoluite, si doctorẽ animarũ uestrarum interfecturi sitis, sine causa, sine iudicio, sine accusatione, sine defensione? Quid mali egi, dicite quæso? Nihil habetis, Deo sit laus. Beneficia quantũ uideo, mea male collocaui, ob quæ iam neci trador. Mea hospitalitas mihi exitium adfert, quæ seruare debebat. Causam proferre ullius mali non potestis. Cur muti estis? Desistite, oro uos per Dei misericordiam à tam iniquo facto, à scelere tam impio. Quid dictura sit posteritas, si Deum timere non uultis, obsecro, cogitate. Pastor, quo non purior, pudentior, humanior, officiosior, liberalior unquam fuit, occisus est, ob inuidiam ab ouibus suis, hospitalis ab inhospitalibus, probus ab improbis, pudens ab impudẽtibus, castus à periuris, imperitus à callidis, ab auaris liberalis. Resilite ab hoc peccato. Ne polluatis animas uestras sanguine innocentis, Deo non illuditis. Accedite prius ad principem, meq; ligatis manibus & pedibus abducite, quo me defendam ab isto crimine in me conficto, quod impingitis. Saluus, scio, redibo. Placabo principis mei iratum animum, postquam meam audierit purgationem. Obtestor itaq; uos per Deum æquissimum, iustissimum, infallibilem, ut defensionem meam prius audiatis, quam iudicetis, & antequam capitis periculum subeam, purgationi sit locus. Spem falsam mihi ostendistis, uestra fide, ac potius perfidia deceptus, aliàs fuga mihi, si quid sinistri suspicatus essem, cõsuluissem. Officio simulato officere, non hominis, sed bestiæ ratione carentis indiciũ. Quẽ unquã ex uestro ordine læsi, cui maledixi, quem bonis suis spoliaui? Duas res sanctissimas uiolatis, amicitiã & fidem. Perditissimi igitur sitis homines necesse est, qui simul & amicitiã dissoluere, & fallere eum qui neminem læsit, conamini. Verùm quid opus uerbis, Domino iusto iudici omne negotium cõmitto, qui hoc homicidium, quod perpetrare uultis in me, impunitum non sinet. Sat crudeliter cum simplici populo egistis, & eos instar bestiarum mactastis, nullo habito publico iudicio, in Cæsareanas quẽ leges peccastis, imò eas contempsistis, & si mihi tale quid contingat, non mirum. Euangelij doctrinã pure à me hausistis, do cui uos fideliss ime, quæ salutẽ animæ attinent, iam rependere uultis præmiũ. Non absimiles estis Iudæ & omnibus impijs qui unquã fuêre. Dico uobis, ut paucis me absoluã, nõ sine scelere me potestis iugulare ô iniquissimi & perfidiosi uiri, occasionẽ quæritis me perdẽdi, noui unde illa sit: ex Euangelij prædicatione nascit mihi malũ. Hoc sæpius, qd' iã euenit, prædixi publico in nostro. Nã nõ semel quũ in uitia Nobiliũ, qb. inũdabãt, ecclesiastico more detonarẽ, quorũ officium erat, scelera quæ Ethnicis maximè displicẽt, sua à Deo tradita potestate, emẽdare, exẽplo à Deo cõmisso populo prœesse, nõ in malitia, nõ in peierationib. nõ in ebrietate, sed in religione, in fide, in abstinentia. Verũ illi nõ semel mihi in faciẽ restiterũt ac dixerũt, meũ officiũ nõ esse, ut illos, qui Domñi mei existerẽt, corpus occidere possent, si uelint, seuere corriperẽ, qcqd agerẽt, hoc laudãdũ esse, nec in ulla re cõtradicendũ, me cõcionib. istis aliqd moliri, qd' exitiũ habiturũ sit breui tristissimũ. Et nũc expior & sentio uenenũ latẽs in cordib. ipsorũ tandẽ erũpere. Atq; Christo id accidit & Apostolis, Cũ aũt pergeret bonus pastor exaggerare suũ instans malũ, Nobilis

uæsanus

Crudelitatis exemplum.

uæsanus instítit, ut serui, id quod mandasset, perficerent. Nam semel id esse decretum à príncipe, ut moriatur, & frustra ipsum uerba fundere de periculi euasione, se literas in sinu gerere, ut morte illum puniat. Priuaberis ô sacerdos, inquit, hoc die, hac hora, hocq; momento, uita: ob id ne indigneris, ne molesté feras, locus fugæ nõ patet. Satius tu pericliteris, & longa litera fias, quàm ego gratia & fauore príncipis mei, plus satis aliâs erga me exacerbati, careã. Tandem serui ingenti luctu, tremulis manibus ligarũt sacerdotem tàm hospitalẽ, tam humanum atq; liberalíssimum, quem ad postes suarum ædium, non sine indignatione, adstante Nobili suspenderunt. Sacerdos pius nihil aliud dicẽs: quàm Christe Iesu miserere mei, Iesu salua me. Nonne hoc est crudele exemplum, tyrannicum factum, quod ne Turca in hostem infensíssimum committeret. Quis hanc rem tantam, tamq; atrocem satis commode dícere, satis grauiter conqueri, satis liberé uociferari, & exaggerare potest? Pauli dictum uerum apparet in hoc crudeli facto, quod non multi sapientes secundum carnẽ, non multi potentes, non multi claro genere nati, à Deo sunt electi ad regni Dei communionem.

Martyrium M. PETRI SPENGLERI Pastoris in pago Schlat Brisgaudiæ, qui ob Euangelij confessionem in Ensisheim submersus est Anno 1525.

Petri integritas.

IN Brisgaudiæ pago quod Schlat dícitur, pastor erat uigilãs, ac homo in diuinis literis eruditus, sanctimonia uitæ clarus, humanitate & comitate insignis, sacerdotali dignitate in multos annos egregiè perfunctus, in synodis cõ presbyterorum doctrina excellebat, ac etiam Episcopo Constãtiensi gratus, autoritateq; ualens apud omnes, quibus cùm negocij aliquid habebat amãs pacis. Tragœdias inter fratres ortas mira prudentia sopiebat, ad mutuã charitatem inuitans, honestatem uitæ & morum emendationem in omnibus conuentibus, quibus præerat, summè extollebat: seipsum sæpe exẽpli gratia, quũ lites subnatæ erant, adducebat. Hic quum Euangelij Christi sermo purior in lucem diuulgaretur, adiectis ubiq; ex patribus scholijs, cœpit mira auiditate euãgelicos libros euoluere, deuorareq;, quos iam olim etiam legerat, sed nullo intellectu, nulla pensiculatione uerborum & sententiarum. Propterea etiã ad disputationes Basileam & Thermas Heluetiorum profectus ut certam ueritatis cognitionem assequeretur. Nacto iudicio, & intelligẽtia accedente ex continua lectione, homo senex, apud se ipsum cœpit cogitare, in quãtis tenebris, in quãtis erroribus totum sacerdotale genus inuolutum iam longo tempore fuisset. Deum immortalem, dicebat, quis unquã cogitasset, tam doctos tam sanctos uiros tot annis ita potuisse à scopo ueræ doctrinę aberrare, tot erroribus implicari, scripturã sacram situ & squalore humanæ saliuæ obductã, conspurcatamq; & à pauciss imis cognitam. Se enim id Euangelium, ordine quo scriptum est, nunquam credidisse ueritatem esse, quum multa de cruce, de persecutione, de turpissima morte in eo contineantur, & sacerdotibus omnia quàm felicíssimè succederent, nemoq; cõtra eos sine damno maximo cau sam iustam agere, publica uitia emendare ausus. Iam autem palam Euangeliũ uim suam exerere, crucem in foribus esse, aduersarios uerbi insanire, impios caput tollere, ac ad omnia facinora in pios designanda audacíssimos, Episcopos quorum erat uerbi potentiam asserere, crudeliores esse quàm ullos unq; tyrannos. Se igitur omnem dubitationem, cùm præsens seculum consideret, abiecisse, iam manibus tenere, oculis uidere, Christum uera prædixisse, quum tot Sanctorum corpora quotidie uirgis cædantur, in exilium proscribantur, lanientur non dicendis pœnis, igne tradantur comburenda, aquis suffocent, laqueo

laqueo ſuſpendantur. Quis enim enumeret pœnas, quas pij homines hoc anno, & apud Chriſtianos pertulerunt, ob Chriſti liberam confeſsionem? Quin etiam tumultus ruſticus, non dicendo furore erumperet, ſurſum deorſumque omnia ferrentur, pius paſtor (nam hoc temporis, nemo audebat contra Euangelij prædicationẽ mutire) ne ſcortationis peccato inficeretur perpetuò, duxit famulam, quam domi habebat, religioſam mulierculam, ex qua etiam liberos elegantes procrearat, in uxorem. Inſania ruſticorum augmentum quotidie & uires ſumebat. Cœnobia & ſacerdotum domos, tanquam inſtituta fuiſſet peregrinatio ad ſanctum quendam, diligentiſsime inuiſebant, quicquid edulij inuentum hoc mox deuorabant. Quod abſumere impoſsibile, hoc perdebant, aut ſecum auehebant. Cohors quædam agricolarum & in illius pij paſtoris ædes ſeſe ingeſſerat. Nam nullum diſcrimen habebant inter pium ſacerdotem & impium: & quæ inueniebant, aut abſumebant gaudio pleni, ſenem ad pocula inuitantes, aut furto auferebant. Et quod ualde inhoſpitale & crudele, caligas nouas, quibus indutus erat, ſubtrahebant cum omni moleſtia, licet repugnaret, blandoque ſermone eos ab incepto, ut deſiſterent, deterreret, furtum eſſe, dignamque rem ſuſpendio, nihilominus quod illis lubitum erat, inſtar beſtiarum inſanientium agebant. Abitum parantibus, non potuit ſe paſtor fidelis à lachrymis continere. Heus, inquit, boni uiri, futuram calamitatem, exitium ineuitabile uobis denuncio. Quid ſibi uolunt hi tumultus, hęc turba? nullam æquitatem, nullam iuſtitiã ſeruatis, nullus tam in hoſtes quàm in amicos reſpectus. Quid agitis, quem conſultorem habetis, ad quem finem reſpicitis? Rapitis quicquid ſeſe offert, more latronũ. An non in mentem uenit omnia tandem, quæ iam rapitis, deſtruitis, euertitis, reſtituenda eſſe ueſtro maximo malo? Quæ ſeditio unquam felicem habuit exitum? quæ etiam pios & honeſtos inuoluit uiros, ut fortunis omnibus & ipſa uita periclitentur. Euã gelium prætexitis, & nihil Euangelij habetis tam in ore quàm in corde. Neq; hunc furorem à me unquam, qui uobis uerum Dei uerbum propoſui, audiſtis, aut didiciſtis. Satanæ eſt Euangelium, quod omnia turbat, per fas & nefas proximo ſua rapit & deſtruit. Verum Chriſti Euangelium docet, bene omnibus facere, ſeditionem fugere, periuria uitare. Dico uobis, Deum iuſtum iudicem hoc ueſtro facto offenditis, ad iracundiam prouocatis, qui malum impunitum non ſinet. Videte & perſpicite, qua defenſione ſitis uſuri, intelligetis abſq; dubio, hoc qđ dixi de uobis fatendũ eſſe. Contra ſecundã Moſi tabulã ſtrenue pergitis, quæ proximi curã deſcribit, ad quam quiſq; Chriſtianus obligatur. Scriptũ in Euangelio, quod in ore ueſtro natat, Quod tibi nõ uis, alteri ne feceris. Offenditis inſuper mirum in modum totam Nobilitatẽ, Magiſtratum ueſtrum legitimum, cui iuramento obſtricti eſtis, quorumque ſerui. Clades imminet, perfidiam Deus punire ſolet. An non ſæpe audiſtis à me, fidem iuramenti eſſe ſoluendam? Vinculum enim eſt totius humanæ ſocietatis. Et legitima iuramenta uiolare ſemper fuit nefas apud omnes homines ſobrios, etiam apud ipſos Gentiles. Ioſue iuramentum præſtitum Gabaonitis ſeruauit, licet dolo hoc Iſraeliticæ gentis eſſet obtentum. Saul hoc fœdus iuramento ſancitum inter Iſraelem & Gabaonitas, poſtea rupit, diſſolutique fœderis & uiolati iuramenti pœnas dedit fame & filiorum ſuorum nece. Perpendite, obſecro per Chriſtum Ieſum, quid agatis, qualem inuidiam ſuper caput ueſtrum concletis. Non eſt parua res, ſed capitalis, ſeditionem mouere, excitare alios, turbare reipublicæ tranquillum ſtatum. Non quieſcent nobiles ueſtri, audaculi homines, quos turbare è poſſeſsionibus eorum conamini, plus æquo crudeles erga innocentes, cenſu ueſtro lacunã rei familiaris explebunt, & in tributis imperandis tantum oneris uobis imponent, ut etiam liberi ueſtri ſatis pecuniarum dare nõ poſſunt, ob delictum neſtrũ, quod facillimè in-

Paſtor prædicit ruſticis ſuũ calamitatem.

telligi rē ipſa poteſt. Poſtquam furor ſemel conceptus extinctus fuerit, alius alium prodet. Hæc ipſo loquente triſti uultu, ferè nudus coram illis ſtans, abierunt nebulones, uocantes ſenem delirum & ſtolidum. Vnus ex ijs, nequitia præſtantior dixit, Iam ſæpe à uobis per miſſarum mendicationes, per purgatorij terrorem, per exequias defunctorum decepti ſumus, ſpoliatiq; iam iterum repetimus profuſam pecuniam. Tace ſacrificule, ſat bonorum adhuc habes, Chriſtus pauper fuit, non habens quò caput ſuum reclinaret, adhuc multa habes, aut totam domum tuam euacuabimus, incendemusq;

Ruſticorum petulantia.

Sedato partim ruſtico tumultu, & agricolis, in gratiam, abiectis armis, aſſumptis, quum multi ex coryphæis ſeditionis caperentur paſsim in agris, ſine delectu, ſine miſericordia, etiam pius paſtor, nihil tale timens, ob Euangelij liberam prædicationē, quod multos peſsime habebat, noctu à militibus in hoc ordinatis, crudeliſsimis captus, qui eum ligatis in tergum manib. conſtrictisq; pedibus magno fune, equo, præſente uxore & liberis, intempeſta nocte Friburgū abducebant. Quē fletū, quē ploratū, quē eiulatū, ſi uidiſſes, hi oſtendiſſent, liquefactus fuiſſes: & ſi iſti homines ſaxo duriores, ſcōmata quædā in captiuū iacientes, nihilq; crudelitatis omittentes. Tales tyrannos habuit ſecularū noſtrū, tales miniſtros, quibus incenſus animus aduerſus electos Dei. Strepitu audito, nox enim pauorē addit, fit concurſus maximus, non uirorum, ſed mulierculārū, quid nam ſibi hic clamor & ploratus, & equorum multitudo uelit, ſummè expectabant omnes. Viri latitabant locis in tutis, ne deprærehenderentur. Permulti diffugerant, non ſolum agros, uineas, prata, uxorem & liberos, ſed etiam ſedes ſuas patrias iſtorum hominum iniurijs exagitati reliquerant. Abite, inquiunt, milites, & ſecure ſomnum capite, nihil periculi hic uobis imminet, cū ſacerdote nobis res eſt. Viros adducite ueſtros, ſi domi ſunt, & cum illis colloquium habituri ſumus, eorum intereſt noctu uigilare, pagū armis cuſtodire, ab incurſionibus latronum & prædonum defendere. Aliquāto poſt in Enſiſsheim abductus fuit. Verū poſt longū carceris tetri ſqualorē, poſt quæſtiones crudeles & nō dicēdas, tam in pudendis, q̄ in alijs locis, mortiſ eſt adiudicatus. Quid facinoris impegerunt? ſi audire cupis, dicā libere, qd res eſt. Vxorē duxerat, nō publice corā eccleſia, ſed domi ſuæ, paucis præſentibus, Dei iuſſum ſequens, ne à regno Dei propter ſcortationē excluderetur, iuxta dictū Pauli. Eam ob cauſam dicis, aqua bonus pater ſubmergēdus, ſuffocandusq;? Ob nullā aliā. Quia nihil ſeditionis, nihil ſceleris de illo dicere potuerunt, etſi q̄ diligentiſsimè illius conciones, uitā & mores per quoſdā male ſubdolos homines expiſcati ſunt. Cùm autē abduceretur per ſpiculatorem ad locum ſupplicij, placide omnibus, qui eum conſolandi gratia acceſſerant, reſpondebat. Verum cùm ſacrificuli & monachi eum cum morte luctantem, oratione interna deditum ſpiritui diuino, paradiſum cogitantem, obtunderent ſuis nænijs, quibus eum à ſano uerborum Chriſti intellectu, auocare ſtudebant, eos non ſemel rogabat, ut ſilerent, ſe Chriſto leſu Domino cœli & terræ ſua peccata quotidie confeſſum eſſe, abſolutionem accepiſſe, ſe hac in re dubitare minime. Chriſto ſaluatori meo, inquit dulci uoce, uictima hodie ero grata. Nihil deſignaui, quod Domino hac in re propter quam damnatus ſum, diſpliceat, quietam conſcientiam Dominus dedit, uideant hi qui innocentem ſanguinem ſitiunt & effundunt, quid incœptent, quem offendant, cuius eſt uere iudicare corda hominum: quia dicit, Mihi uindictam & ego ulciſcar. Pelem hanc oſsibus uix hærentem, breui aliàs abiecturus eram (macilento enim erat corpore.) Noui me mortalem, uermem, corruptibilem, & in hoc natum. Etiam olim diem extremū exoptaui, petijq; diſſolui & eſſe cum Chriſto. Cruce dignus ob uaria peccata, quę in Dominum commiſi, immaniſsima, & Chriſtus meus Saluator crucem ſuſtulit, in cruce mortuus eſt. Volo igitur & ego

Vxorem ducere ſacerdoti capitale.

gloriari

gloriari in cruce Domini nostri Iesu Christi. Hanc nebulones quidam cygnæam cantionẽ ferre nõ potuerũt. Carnifici itaq; annuerũt, ut senem deturbaret è loco, in quo sedebat constrictus, paratusq; ad lanienam. In aquis diu se mouit, adeo ut sanguinolentus fieret fluuiolus. Indicium certum, quod iusti sanguis hoc die effusus esset. Omnes qui aderãt, uiso hoc spectaculo, mœsti apud se, quidnam sibi sanguineus iste liquor uelit admirantur, stupidi adstant attractis crebris singultibus. Domum reuertuntur tacito corde, considerantes ea quæ acta essent, licet nemo quicquã diceret, ob metũ qui illis incussus erat, eò quod omnia tyrannorum more exercerẽtur cum rusticanis hominibus. Quid autem interea taciti apud se cogitarint, coniectura assequi non queo. O crudelia pectora, ô perfidum factum. Hæc ab illo hausi, qui suis oculis uidit hoc miserum spectaculum. Dominus nobis omnibus ignoscat, Amen. *Miraculum ingens.*

Hoc loco & tempore multi quoq; alij sacerdotes, ciues, & rustici (quorum nomina in cœlis scripta sunt) ad carcerẽ & supplicia rapti sunt religionis causa. Inter hos erat & Sigismundus nobilis Chirurgus & Litotomus qui Euangelij doctrinam, quam Basileæ didicerat, in summis cruciatibus ad mortem usq; constanter asserebat, magna circumstantium admiratione. *Sigismundus Litotomus.*

Historia de Rustico quodam pio occiso anno 1525.

RVsticum uidi capite plecti, meo iudicio, si quid perspicio, uirum probũ, iustitiæ amantem, exactionum nobilium acerrimum hostem, qui plus aggrauabant populum quàm par esset, quàm præstare possent, quàm etiam priuilegia data tum à regibus tum à principibus permitterent. Hic captus postquam sedatus esset rusticus tumultus, eo quod ad arma, quum equitum cohors hinc inde obequitaret, per sata, prata, agros, die noctuq; sedulo quærentes rusticanæ seditionis autores, clamasset, & si neminem sua inhortatione commouere, ut arma sumeret, potuisset. Adeo timor ob præsens periculum omnes inuaserat, & ob incensum pagum, cuius facti mentionem hic nolo inferere, dabitur alias locus hac de re commentandi, non solum trepidare, sed fugere, latitare etiam solebant, in syluis se abscondere. Horrenda enim passim exempla in simplices edebantur, quæ terrorem ingentem miseris incutiebant. Dolo capitur miser, lactatur promissionibus, assentit, in capitis discrimẽ se uenire nec unquam cogitauit. Intruditur in carcerem, diu in eo detinetur, egregie pascitur. Carceris custos omnem suspicionem de præsenti periculo adimit, emollitq;. Et quum diu carceris fœtorem perpessus esset, tandem ad quæstionem rapitur, uaria homini obijciuntur scelera, quæ nec fecerat, nec cogitarat etiam. Sex horis continuis, in aëre uolitauit suspensus, lapide magni ponderis appenso, quem cruciatum, horrorem, trepidationẽ in membris omnibus senserit, facile conijcere pius lector poterit. Sudor passim per totũ corpus guttatim emanabat ferè sanguineus, adeo ut & uestimenta, quibus erat indutus, conspergeret. In ijs itaq; angustijs constitutus, clamabat alta uoce ad raucedinem usq;, sed nihil proficiebat, frustra laborabat, neque tortores tam crudeles commouere ad misericordiam, flectere ad lenitatem torturę potuit. Quum autem ferè spiritum efflasset, indiciaq; de se daret appropinquantis mortis, demissus est summa crudelitate. Quas uoces tortores effutiuerint, quę periuria excuderint, non est dicendum. Nihil miser de se sciens, neq; membrũ ullum mouens, lacebat enim in terra tanquam truncus uilis, paululum spiritũ solummodo attrahebat, qui uitæ indicium dabat. Examinatores dubij quid nam cum homine isto, quem perdere omnibus modis studebant, agerẽt, quẽ in locum deponerent, ne moreretur. Attulit quidam, quum alij timore perculi essent, acetum & aquã rosaceã, qua illum parum recrearũt respirareq; fecerunt, *Nobilium proteruitas.* *Cruciatus ingens.*

runt. Sumpto itaq; cibo & potu, iterum in ſpeluncam, in qua nec ſolem, nec lunam uidere potuit, eum demiſerunt, crudelioribus pœnis examinandum, recuperatis corporis uiribus. Octodecim diebus exactis, iterũ quæſtioni admotus, articuli obiecti, quos conſtantiſsime negauit. Varia etiam tormentorum genera excogitarunt, ut ſaltem aliquid ſpeciem ſceleris habens, ex homine exculperent, morteq; dignum inuenirent. Coacti & hac uice re infecta diſcedere. Poſt dies autem uiginti tortorem quendam inſignem conduxerunt iſti tyranni, qui nihil crudelitatis omittebat, qui & ipſe falſa ſpe deluſus, coactus eſt ſæuitiem remittere, illumq; pronunciare eſſe innocentem, qui talem torturam ita conſtanti uultu ferre poſſet. Nunquam ſe tam conſtantem & immobilem hominem, imò ſaxeum uidiſſe, abſque dubio ſine crimine eſſe. Abeunt iam quarta uice. Concludũt tandem impij adductis falſis teſtibus, illum corpore eſſe plectendum, quod ad arma, datis inducijs, conclamaſſet, ſeditionemq; nouam commouere uoluiſſet. Damnationis dies conſtitutus, mox ſpiculator aduolat cum monacho, ingrediuntur in carcerem cum lictoribus. Interea neſcio quid captiuo animus præſagiebat, ob horrorem, quem noctu ſuſtinuerat. Vocãt illum, ut ex ſpelunca, in quam dimiſſus erat, aſcendere uelit, ſe aliquid habere in mandatis, quod cum eo loqui uellent, in rem ſuam eſſe, ne ita in carceris tenebris periret. Dimittebant illi funem cum baculo, ſed noluit inſidere. Hic mori uolo dicebat, torturas non amplius ſubibo ſæuiſsimas, ſat pœnarum pertuli, membra mea lacera, ut nullum officium amplius faciant. Si autẽ promittitis me torturæ non ſubijciendum, & uita non ſpoliandum neq; iudicio ſiſtendum, niſi æquis iudicibus, ad uos ueniam, & ſi conſtitueram apud me, ex iſto loco nunquam pedem elaturum. melius eſt ſemel mori, quàm quotidie ita cruciari. Poſt longam contentionem, promiſerunt quidam ex ordine ſenatorio illi, quicquid petierat ratum fore. Extractus itaque eſt ex ſpelunca. Mox uiſo monacho, exclamauit, falſus ſum, deceptus mendacij ore, miſerum, uideo inſtare mortis horam, ſomnium uerum habui hac nocte, tyranice omnino mecum agitur, non auditus condemnor. Vos ſubdoli homines, miniſtri diaboli cur mentiri audetis? Domino iuſto iudici hanc iniuriam hodie mihi factam conqueror, quod me innocentem necare contenditis. Monachus interrupit ſermonem miſeri, crucem ligneam ex manica cucullæ extrahens, quam condemnato digitis oſtendit, admonens ut quietò ſit animo, ſententiã eſſe latam, ut capite ſpolietur, fruſtra eum uerba ſerere. Clemẽtes habuiſti, ô homo, inquit, iudices in ictu oculi uolabis ad Deum. Ob id cõfitere peccata tua in meam aurem, & accepta abſolutione filius æterni regni hodie futurus es. Ruſticus, inquit, Abito profligatiſsime monache, iam olim peccata mea deploraui, quæ Chriſto Ieſu ſolum nota ſunt, qui & remiſit, quicquid unquam peccatorum feci, non opus habeo tua remiſsione, quam nec intelligis, nec credis, aliàs iam olim uitam tuam tam ſordidam, hypocriticam ſcortatione pollutam emendaſſes, uulpem tegis hypocritica ueſte, qua multos ſæpe decepiſti, bene noui te. Si in animo habes ullam conſolationem, ex Euangelio Chriſti eam profer, aut abi ſtatim, ſi tale quid non potes, uel conteram te pedibus. Monachus ſtupidus & triſtis ad tale reſponſum adſtabat, ignarus quid nam ageret, diceretq;. Spiculator prudentior Monacho, Domine, inquit, legito illi miſero aliquid de paſsione Chriſti, quæ lectio abſq; dubio illi arridebit. Miſer monachus nihil habebat conſolationis niſi ligneum crucifixum, quod perpetuò obijciebat huic condemnato. Ecce hic eſt Chriſtus tuus pro te crucifixus, aſpice illum, & cõfortaberis. Reſpondit miſer, Ille non eſt meus Chriſtus, abi procul cum iſto ligneo Deo, in cœlis habitat meus Saluator, in quem credo, quod me ab æterna morte redemerit. Monachus cruce ſe ſignauit & ingemuit, putans hominem illum eſſe deſperatũ. Abductus eſt in publi

Tyrannorum crudelitas.

Somnium uerũ martyris.

Monachi ſtupiditas.

cum

cum fori locum. Prælecta, ut moris est, alta uoce, præsente omni populo, eius est confessio, in qua nihil aliud erat, quàm hominem istum seditiosum fuisse, ad arma cùm inducíæ essent datæ, conclamasse, idq; noctu, dormientibus reliquis. Interrogatus, an ita esset, quemadmodum prælectum, respondit, seruonem ad protoscribam dirigens: Pinguiuscule nequam, aliud mihi, quum in carcere mecum eras, promisisti. Mendacia ô plebs pia, prælecta sunt. Circumstantias cur omisisti, quæ causam meam meliorem reddidissent? Ego dicam quæ omissa sunt ex industria, & ex mera inuidia. Quum equites passim raperent simplices, innocuos, tale nihil sperantes, ab agris cùm ararent, sulcos ducerent, frumenta sererent, uineas amputarent, noctu dormirent cum liberis, ego collegi quosdam ex amicis & cognatis in ædes meas, ut me & alios à rapina & ui defenderent, non ut seditionem excitarent, quam angue peius odi. Noui quorundam nobilium in me stomachum, ob liberam meam reprehensionem, qua erga eos usus sum. Hæc est causa, cur condemnor. Iussus tacere, Nequaquam, inquit, tacebo. Vos multa promisistis mihi & reliquo simplici populo, sed mendaci ore. Iudex aderit iustus contra omnes, qui talia mendacia populo persuaserunt credenda. In extremo iudicio rationem dabitis iusto iudici. Hoc non potuerunt ferre Iudices, ob id iussus abduci ne quid tumultus fieret. Vbi ad locum supplicij uentum, coronaq; militum, quos conduxerant importunissimi homines, cingeretur miser, & spiculator iuberet eum flectere genua, præuia oratione Dominica, noluit hoc facere. Habeo, dixit, aliud prius, quod dicam uobis omnibus, qui hic statis, neque reor mihi apud uos præcisam esse defensionem, quemadmodum apud uestros ministros iniquos iudices. Hic dies meus est, da igitur tu, in cuius manu uita mea est, mihi locum edisserendi paucula, quæ in corde meo concepi. Ligatus sum, euadendi nullus locus, neque in animum uenit ut aufugiam, breui in cœlum ad patrem meum uolaturus. Sat militum habes, qui me insequi poterunt, si uel conarer aliò declinare. Audite itaque me placido animo, ô Christiani, innocentiam meam uobis declarabo, meq; iniuste dico condemnatum. Nam omnibus neruis mihi contendendum, atque in hoc laborandum, ut omnes intelligant, quàm improbam, quàm manifestam, quàm confessam causam habeant aduersarij mei. Graue est crimen hoc & uehemens, quo condemnatus, sed me apud uos ita purgabo, ut nihil omnino criminis in me resideat, uobis testibus, qui huc confluxistis. Oportet etiam meæ existimatio ni & liberorum consulere. Ab ineunte ætate, qui me nouerunt, testes erunt, probè uixi, nullius unquam sceleris uel periurij, uel seditionis conuictus, incidi in hoc periculosissimum seculum, in quo omnia diuina & humana iura sunt euersa. Rustico tumultui adhæsi, (quemadmodum alij omnes, qui circumquaque habitant.) An non multi nobiles sequuti sunt Rusticorum exercitus, necnon ciuitates munitissimæ nomen dederunt Rusticanæ plebi? Neque autor ullius tumultus fui, quem tanquàm uenenatissimũ serpentem perpetuò odiui. Neque ullum consilium dedi, ut talem tragœdiam in toto ferè terrarum angulo excitarent. Consuluimus Nobilem nostrum, quum ingruerent cateruæ rusticorum, & quid nobis agendum esset in his turbis, perconta bamur, uerùm nihil responsi aut consolationis ab eo tum temporis accipieba mus. Nescíui autem ego (ut de me loquar, reliqui seipsos probè absq; dubio, si opus foret, defendent) articulos, quos diu ulgarunt edito libello. Neque ab ullo unquam audiui, cur articuli tales ab illis conscripti essent. Similiter ignorabam, cur se passim colligerent, ad arma quisque proximum suum uocaret. Cur igitur, tanquam latro captus, cur torturis uarijs tam miserè uexatus, cur tam diu ac toties distentus? Præcipua causa, quod rusticis adhæsi. Illos secu-

Causa mortis.

Excusat se reus.

tus sum, negare id non possum, quia res manifesta est. Adhæsi illis, prô dolor, sed nemini quicquam abstuli, nullas ædes incendi. cuius criminis igitur me accusant, præ cæteris, qui etiam seditiosi fuerunt? Armis indutus, egressus domo, uicinos & hos quos mecum habebam, è somno excitaui. Non nego, id fecisse palàm est. Oportet itaque & hanc suspicionem leuare, atq; à me remouere cupio. Tumultus nocturnus equitum me & alios excitauit, inscios qui nam essent. An non probi uiri est uigilare noctu, quum proximo periculum immineret, alios excitare, illi succurrere. Hoc non est seditionem mouere, contra magistratum arma sumere, omnia turbare, grauiter peccare. Improbè itaque mecum, & contra gentium leges, quibus uerus Deus ignotus, agitis. Accusatores mei estis acerrimi, obijcitis uaria scelera, præcipuè autem pompa quadam uerborum seditiosum me esse dicitis, quod nunquam probabitis. Quur igitur me uos, qui accusastis, damnatis? Accusatorum officium non est damnare, neq; testibus ullo unquam tempore tale quid permissum est. Aequos peto iudices, non iniquos, non suspectos, qui causam illam iusto iudicio perpendant, dein iuxta leges, nõ iuxta quorundam odium, quos ego mea innocentia exacerbaui, si iudicandus sum, illi qui ad hoc delecti sunt, pronuncient. Si quis pudor in uobis, atque adeò si quis metus Dei, sine supplicio me dimittere debuisletis. Eodem accedit, quod hoc quoque intelligere potestis, me innocentem condemnari. Perpendite anteactæ uitæ existimationem, bonorum uirorum testimonia. Piorum fidem, dignitatem, religionem imploro.

Miraculum de lingua mota.

Cum ita pergeret exaggerare capitale supplicium, spiculator eduxit gladium, idq; iussus à ludice, stantem & perorantem capite detruncat, ut interram strepitu quodam caderet truncus. Lingua in ore se diu uolutabat, ob uehementem sermonem quem instituerat. Sic finem sortitus est hic probus & pius uir, de quo falsi iudices nihil mali potuêre aut inuenire, aut certò dicere, quamuis testes diligenti inquisitione passim oberrando præmiserant, qui indagare debebãt illius uitam & mores. Dominus det spiritum fortitudinis omnibus, qui pro nomine illius aliquid pati debent, Amen. Hactenus Oecolampadius. Credendum tamen Ioannem Gastium hęc obseruasse, atq; Psalmis quibusdam ab Oecolampadio explicatis & editis adiecisse: id quod uel phrasis illa simplex atq; Germanica satis significare uidetur.

VVOLFGANGVS SCHVCH, in Lotharingia uiuus crematus 19 Aug. Anno 1525.

M. D. XXV.

INter eos, qui tunc temporis in Germania cognitionem Euangelij habuerant, in primis non immeritò numerandus est Vuolfgangus Scuchus Germanus, qui cùm uenisset in oppidũ Lotharingię, nomine S. Hippoliti appellatum, pastorq; ecclesiæ receptus fuisset, in primis ei curæ fuit, ut superstitiones, & idolomanias, quæ iam altè in animis populi radices egerant, funditus euelleret. Exigui itaq; temporis spatio & quadragesimæ obseruationẽ, imagines atq; idola, ipsam deniq; Missæ abominationem aboleuit. id quod non admodum fuit difficile: quoniã populum ibi reperit ad disciplinam Euangelij, obedientiamq; accommodatum & paratum, & qui statim singulari quadam opinione ac uoluntate in ipsum Vuolffgangum affectus est. Rumor autem defectionis à doctrina Papali factæ, aduersarijs ueritatis facilè dedit materiam falsæ & iniquæ criminationis apud Antonium Lotharingiæ ducem, quasi populus uellet omnem Principũ & superiorum authoritatem ac potestatem repudiare: ita ut iniustissima calumnia ad eam offensionem atque indignationem Principem impulerit, ut ipsam urbem flamma ac ferro se uastaturum esse minaretur. Quòd periculum, cùm optimus ac fidelissimus pastor intellexisset,

Antonius dux Lotharingiæ.

set, ad ducem Lotharingiæ scripsit epistolam, in qua sui officij rationem reddit, & falsis premi calumnijs populum demonstrat, quaq; is erga Principem esset uoluntate, & obedientia aperte declarat. Scripta autem fuit in hanc sententiam:

Illustrissimo Principi D. Domino Antonio Lotharingiæ Duci. &c.
Domino suo Clementissimo, Vuolgangus Scuch minister Christi felicitatem per Iesum Christum optat.

POsteaquam ad hanc tuam S. Hippoliti ciuitatem, clemẽtissime Princeps, Deo disponente, peruenj, reperi turbam, uelut oues errantes absque pastore, uagabundam, multis errorum superstitionumq; abominationibus miserabiliter perditam: cœpi mox iuxta ministerium à Domino mihi commissum in uiam reuocare errantes, hortari prioris uitæ pœnitentiam. nam esse in propinquo regnum Dei, comminari securim ad arboris radicem positam, haud longè abesse ut præscindatur, qua sterili inuenta in ignem conijci: tempus esse quo Dominus angelis suis, id est uerbi sui nuncijs missis, colligat omnia scandala è Regno suo, Matthei 13. Cœpi, inquam, mox ut boni agricolæ est, euellere quidquid spinarum atque errorum contra Dominum, eiusq; uerbum succreuerat, demoliri, dissipare ac destruere omnem altitudinem, machinam ac munitionem aduersus scientiam Dei erectam: plantare arbores, fructum suum in tempore suo reddere non tardantes: ædificare domicilium non transitorium & terrestre, sed æternum in cœlis, superædificatum fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis structura coagmentata, crescit in templum sanctum Domino, in quo nos omnes coædificari oportet in tabernaculum Dei in Spiritu sancto, & ut apertius loquar, Missus sum ad tuæ Clementiæ populum, prædicare Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. uirtus enim Dei est ad salutem omni credenti, in quo Dei iustitia reuelatur ex fide in fidem. sicut scriptum est, Iustus autem ex fide uiuit. iustitia Dei (qua coram Deo iusti reputamur) per fidem est Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Gratis nanque per gratiam ipsius iustificamur per fidem, in sanguine ipsius, sine operibus Legis. Iustificati per fidem, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Ipse enim factus nobis à Deo, sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, ut non glorietur sapiens in sapientia sua, fortis in fortitudine sua, diues in diuitijs suis, sed qui gloriat̃, in Dño glorieť. Hæc fides in Iesum Christũ pro nobis mortuũ, filios Dei nos facit: hæredes Dei, cohæredes Christi. Ob hanc in nobis instaurandã, uni genitus Dei filius, è sinu Patris ad nos emissus. sic enim Deus dilexit mũdum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum. Qui credit in eum non iudicatur, qui autem nõ credit, iam iudicatus est. Porrò quid aliud uspiã docuit Christus, quàm ut in eum credentes salui fiant? quærentibus enim turbis quid facientes operarentur opera Dei. Respondit, Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. hic clamat dicens, Si quis sitit ueniat ad me & bibat, qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Ad hanc fidem nemo uenit nisi cœlestis Patris tractu: ut ne quis se fallat, quasi proprijs hanc uiribus paraturus: gratia (ait Paulus) estis salua ti per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne

Matth. 9.
Matth. 3.
Hier. 1.
2. Cor. 10.
Psal. 1.
2. Cor. 5.
Ephes. 2.
Rom. 1.
Abac. 2.
Heb. 10.
Rom. 3.
Rom. 5.
1. Cor. 1.
Hier. 9.
Ioan. 1.
Rom. 8.
Ioan. 3.
Ioan. 6.
Ioan. 6.
Ephes. 2.
Ephes. 1.

quis glorietur. Nec alia aut minor uirtus est hanc in nobis creare, quàm qua Christus ex mortuis suscitatus & ad patris dextram in cœlestibus est collocatus. Hæc non otiosa quædam ac stertens in anima hominis qualitas est, ut fin-
Roman.5. xerunt quidam, sed spiritu Dei in cordibus nostris effuso, efficax & operosa quædam uirtus, plena operibus bonis, & ijs non à nobis aut nostra prudentia excogitatis, sed à Deo electis & mandatis. hæc sunt charitatis non fictæ ope-
Galat.5. ra: sic ait Apostolus, In Christo Iesu neque circuncisio aliquid ualet neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur: hæc sola ueros à falsis Chri-
Ioan.13. stianis discernunt. ait enim Saluator, In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, & quid aliud mandat tot dul-
Ioan.14. & 15. cissimis uerbis toto sermone ultima Cœna facto? De his solis in die nouissimo exiget rationem dicēs, Esuriui & dedistis mihi quo uescerer &c. splenden-
Matth.25. tem uerò operum quæ ipsi facimus laruā reijcit Dominus, cùm ait: Quis hæc petijt à uobis?

Prosequitur deinceps Schucus eadem epistola ad Principem Antonium pluribus hunc de uera fide, quam boni fructus sequuntur, sermonem: commendat & uerbi Dei authoritatem quod à Christo eiusq; Apostolis acceptum, se quoque sine fuco concionatum fatetur. Principi ante oculos ponit, idq; eleganti seruorum Dei, ac mercenariorum Papæ antithesi facta, se aduersariorum impudentissimis impostoris inductum fuisse ut contra eos loquerentur, atque in eos inueheretur qui nihil præter traditiones humanas prædicarent, & uentris causa, non quæ Christi, sed sua quærerent. Deinde refellit calumnias aduersariorum qui eum cum toto populo S. Hippoliti iugum obedientiæ, quæ magistratui debetur, excutere uelle obiectabant: idq; ualidis argumentis è Scriptura petitis facit. non esse cur tale quid de se aut suis Princeps cogitet, cùm illa moneat passim, omni potestati à Deo constitutæ parendum: Cæsari dandum quod sit Cæsaris. Postremò supplicat Duci, eumq; per Deum obtestatur, ut ipsum audiat, admonens eum (zelo, quo uir erat, ardenti atque prophetico spiritu) sui officij, quia in causa salutis, inquit, ἀπροσωπολήπτως cum quibus uis sit agendum. à Deo enim omnem principatum stabiliri: proinde illius, utpote supremi Regis, habendam præcipuè rationem, ne quid temere aut credat aut iudicet. Atq; ita humilem suam conditionem agnoscens, excusat se, quòd hanc epistolam humili quoq; stylo scriptam, de materia quæ per se satis est ornata, ipsius Maiestati obtulerit. Tandem summam & perpetuam optans Principi felicitatem finem epistolæ imponit. Actum in oppido S. Hippoliti Martyris 2. Ianuarij, Anno 1525.

Vuolffgangus falsò accusatus.

Quum uerò Vuolffgangus nihil hac epistola effecisset, uel quòd intercepta fuisset, uel potius quòd improbæ calumniæ, plus apud Principem ualerent (qui in ea sententia manebat de uastanda penitus urbe S. Hippoliti:) ipse met sua sponte se Nanceium metropolim Lotharingiæ, in qua Dux præcipuam habebat sedem, contulit, tum ut fidei confessionem ac doctrinæ rationem palàm ederet, tum etiam ut ciues S. Hippoliti tanto periculo liberaret, atque in se omne odium totumq; onus deriuaret. Eò cùm primùm peruenisset, protinus in carcerem durum ac graueolentem, pro more regionis, detrusus, inhumanissimorumq; hominum custodiæ traditus fuit, quorum ipse linguam non nouerat.

Id tamen uiri constantiā non fregit, sed in uinculis per annum mansit, neq; ullis interea minis aut precibus, aut uxoris, liberorumq; uos habebat sex uel septem, commiseratione à sententia deduci potuit. Ductus autem subinde ad Franciscanorum cœnobium, ut fidem suam profiteretur summa ingenij dexteritate, quotquot aduersus eū disputabant, confutauit. Tū tēporis quidā monachus,

monachus, nomine Bonauentura, Prouincialis, homo tam ipso uultu & uentre horridus atque deformis, quàm in summa ignorantia omnis etiam ciuilitatis atq; honestatis contemptor, magnæ erat authoritatis in aula Lotharinga, quæ sanè iam à multis annis & nouerca & hostis uirtutis extitit. Ille (inquam) homo perfrictæ frõtis, præcipuas Confessoris partes apud Ducem Antoniũ tum obtinebat, à quo etiam amabatur, quòd ei liberam omnis libidinis ac uoluptatis licentiam faceret. Trux autem ista bellua nihil magis persuadere Principi conabatur, quàm ut doctos omnes ab aula, suisq; regionibus eijceret, neque quenquam sineret qui plus consueto sapere uellet. Hęc enim erat summa doctrinæ quam habebat, Satis esse ad salutem scire, Pater noster, & Aue Maria: hancq; adeò inculcauerat Principis animo, ut ipse Dux Antonius, melioribus annis natus, non erubesceret eandem suis aulicis in familiaribus colloquijs commendare & sæpius repetere. Hoc igitur monstro hominis præside, interrogabatur de sua fide Scuchus: neq; quicquam in disputando aliud eructabat, præterquam, Tu hæretice, luda, Beelzubub. at bonus Scuchus ad iniurias nequicquam respondebat, sed potentia uerbi diuini quasi fulmine, ita luscioſos eorum oculos perstringebat, ut prorsus attoniti aut ringentes discederent. Tandem ægrè ferentes non sine arbitris & se auditos & conuictos, ne nihil feciſſe uiderentur, Biblia ipsius Scuchi, quæ marginalibus notationibus referta erant, ueluti mordicus arripientes in suo monasterio combusserunt. Quum uerò postrema haberetur disputatio, Antonius dux mutato nõnihil, ut minus agnosceretur, habitu, interfuisse dicitur: qui tametsi minimè intelligeret ipsius Vuolfgangi sermonem, qui Latinus erat, uidens tamen hominis intrepidam constantiam, discedens è disputatione, censuit exurendum esse, quandoquidem ecclesiam (sic illi uidebatur) & sacramentum Missæ negaret. Paulò itaq; pòst condemnatus fuit, ut uiuus ignis supplicio afficeretur: audita ille sententia, orsus est Psalmum CXXII. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. &c, Dum uerò ad supplicium duceretur, præteribat cœnobium Franciscanotum, qui pro foribus expectabant. Cyclops autem ille Bonauentura exclamans, dixit Scucho, Heus Heretice, exhibe honorem Deo, ipsiusq; matri, & sanctis eius, ostendens ei idola, quæ istiusmodi ferarum lustris in uestibulo præponi solent. Scuchus uerò illi respondit, Hypocrita, paries dealbate, perdet te Dominus, teq; tuasque fallacias & impostoras palàm faciet. Cùm iam ad locũ supplicij perueniſſet, primùm ipsius libri comburebantur, & rogabatur ipse num uellet sibi mitigari pœnam. negauit uelle se. addebat enim, Deum sibi semper affuisse, proinde ne tunc quidem defuturum, cùm eo maximè omnium opus haberet: orationem suam his uerbis concludens, Mandetur executioni sententia. Deinceps incipiens canere Psal. LI. subiuit locum fascibus & lignis undiq; septum, prosecutusq; est eundem Psalmum, donec fumo flammaq; præfocatus, obijt 19 die Auguſt, M. D. XXV. Præclara autem uirtus atq; constantia, magnaq; eruditio sancti istius hominis, multas pias animas refecit atq; ædificauit: ueritatis uerò hostes contrà, mirum in modum attonitos reddidit. Etenim continuò pòst, subitanea morte correptus est Commendator S. Antonij Viennensis, qui fuerat ecclesiasticus, ut uocant, iudex eiusdem Schuci. Assecla quoq; ipsius Abbas Clariloci, suffraganeus Metensis, in illa populari aggratulatione ob aduentum Duciſſæ Christianæ Danicæ in urbem Nanceiensem, repentino timore ob fragorem bombardarum perculsus expiraſſe dicitur: quemadmodum uiri fide pleni hæc ita eueniſſe luculento testimonio declararunt.

Princeps seductus à Monacho.

Mathias

MATHIAS VVEIBEL. sacerdos circa Campidonum sus-pensus, anno 1525.

MAthias ille in pago Martes Zell duob. milliarib. à Campidona Sueuiæ, Abbatis Cãpidonensis ditione, honestis parẽtib. natus fuit. Hic primo in illa urbe patris sui sumptib. p biennĩ scholã frequẽtauit. cũ uero ibi ob ingenij fœlicitatẽ cõmilitones suos facile superaret, Abbas eũ inter suos alũnos asciuit. Ibi demũ diligenter præceptoribus adfuit, atq; repetendo plus cæteris profecit. Propterea Abbas eundem Vuiennam ad Vniuersitatem ablegauit ut haberet aliquem qui eruditione & rerum experientia alijs præiret. Is uero officij memor, pietate & diligẽtia magnũ fauorem sibi apud professores conciliauit donec ab Abbate domum reuocaretur. Redeunti Abbas scholam suã commendauit & alumnis suis præfecit. Postea uero sacerdotem ordinauit, atq; mox Pastorem in ecclesia ad Montem extra urbem Campidonã elegit. In eo loco per sex annos honestè uixit, atque quantum fieri potuit Christum prædicauit. Lucem enim Euangelij, qua pollebat doctrina, breui ex diuersis scriptis intellexit. nihilominus tamen ab initio Missas celebrauit, atq; pecuniã in sacrificijs oblatam pauperibus distribuit. tandem uero perfectior existens Missam illam intermisit. Inculcabat diligenter gratuitam Christi misericordiã ergo nos peccatores, quos prætiosa sua morte redemit, atq; sola fide opus esse ad salutem. interim uero nouã uitam ab auditoribus requirebat, atq; uitia carpebat sedulo. Hinc factũ ut undiq; ex urbe & alijs locis homines confluerent, ut ab eo instruerentur. Cum uero eodem tempore seditio Rusticorum orta esset, dehortabatur omnes ab eo instituto, atq; magistratui parendum censebat. multos enim esse ex rusticis qui magis sua quã Christi spectarent, ob quæ uerbum Dei male audiat. Nam unicuiq; dandum q̃ suum est, honorem, tributum, decimas & huiusmodi. Interim moris erat ut annuatim in festo Gordiani & Epimachi sanctorum reliquiæ ex monasterio in campum deferrentur, & ostenderentur populo, magna Indulgentia proposita. hanc Idololatriam is grauiter reprehendit, atq; diuinis literis aduersari demõstrauit. Paulo post etiam cum nouus Abbas Sebastian Braitenstein primum suam Missam celebraret, atq; multi Prælati & nobiles magno fastu (pro more) cõparerent, Mathias pro concione hanc sacerdotum insolentiam & superbiam uehementer notauit, atq; potius pauperum rationem habendum admonuit. parum etiam abfuisset quin frater Abbatis eum transfodisset, ni alij in tẽpore restitisset. Hinc odium ei ingẽs apud Abbatem conflatũ, ut etiam ad fœdus Sueuicum clam accusaretur. Illi ergo quibus negotium commissum consilio habito eum interficiendum statuerunt. Cum autem in urbe id fieri propter populi fauorem erga Mathiam fieri non posset, dolo quodam extra urbem euocandum censuerunt. Vocatur itaq; ab ædituo ut in templo suo extra urbem puerum Baptizaret, atq; postea præsentibus Euangelium annuntiaret. Amici quidam quid futurum esset olfaciebant, atq; sedulo monebant ut intra mœnia se hoc tempore cõtineret. Sed ijs obtemperare noluit, dicendo: quia uocatio mea requirit ut exeam parebo, uoluntati Dei me subijciens. Quam primum in planitiem deuenit, à militibus fœderis ad id ordinatis capitur, & atrociter ouis mitis uulneratur, ut etiam mater quæ adhuc in uiuis erat haud aliter arbitraretur quã filium suum iam esse interfectum. Postea uero equo alligarunt atq; tribus milliaribus ab eo loco in oppidum Leuukirchen abduxerunt. Ibi per duodecim dies mansit nec unquam impetrare potuit ut iudicio sisteretur. Senatus interim & ciues Campidonenses Abbatem adierunt & summa humilitate petierunt ut pro pio illo homine pastore suo intercederet, q̃ tamẽ Abbas negauit.

Rusticorum seditio notata.

Idem

Idem & ciues in Leuukirchen fecêre, sed omnia frustra. Cêturio interim simulabat sese captiuum Georgio Truckseſsio præsentaturum atq; equo alligatũ abduxit. Cùm uerò ad proximã syluam peruenirẽt, suspendendũ statuũt, atq; arborem crucem ostendunt. Ibi Mathias Deum inuocabat, crucem eam salutabat, atq; laqueum suum osculabatur, Deo gratias agens quòd doctrinã suã sanguine cõfirmare posset. sic pius ille Christi præco pridie natiuitatis Mariæ quæ fuit 8 septemb. animam suam Deo reddidit.

IACOBVS PAVANE, *Lutetiæ crematus, anno 1525.*

BRiconnetus episcopus Meldẽsis, initiò quidẽ in sua Diœcesi scholã apẽruerat Euangelio, ac fouebat pios oẽs & doctos uiros: inter quos fuit Iacobus Bauaneus patria Bolonięsis, quę ad oceanũ Britannicũ spectat, qui pter doctrinam Euangelij Christi captus, in carcerem coniectus est, anno M. D. XXIIII. Eo captiuitatis tempore, cùm à quibusdam hominibus in fide Christiana dubijs ac frigidis solicitatus fuisset, eò tandem adductus est, ut quæ antè piè professus erat, indignè abnegaret, cum ea ignominia, quam Emendationem honorariam uocant. Ex his fidei subornatoribus atque euersoribus, fuit quidam doctor Martialis, qui pœnitẽtiarius Parisiensis mortuus est: qui cum Pauaneo disputans, dicebat, Erras Iacobe: neq; enim profundum maris, sed tantùm summam aquarum & undarum superficiem aspexisti. innuere uolens profundum illud Theologię pelagus nondum uidisse aut expertum esse. Hęc uox, Erras Iacobe, adhuc in cõmuni apud Meldenses sermone uersatur, atq; ab eo tempore pro prouerbio usurpata & iactata fuit.

Christi abnegatio & pœnitẽtia in Pauane notanda.

Is igitur Pauaneus in sua fide perturbatus, à pioq; animi proposito abductus ab eo hominum genere, ut uitam conseruaret suam, eam emendationem quam uocant honorariam (infamem uidelicet & Christiano homine indignã ueritatis abiurationem) passus est, solenni pompa & aggratulatione aduersariorum, postridie Natalis Christi, Anno M. D. XXIIII. Qua quidem ex re tanto postea dolore ac pœnitentia Pauaneus affectus fuit, ut ad conspectum amicorum, qui eum in carcere (ad quem per sententiam illam superiorem damnatus erat) inuisebant, non nisi gemere ac detestari miseram illam conditionem redemptæ tam fœda abiuratione uitæ, uisus sit. Ad mortem itaq; tanti dedecoris reparatricẽ deuoto animo ferebatur: ab eoq; tempore & uerbis & scriptis puram religionis Christianæ fidem profiteri non destitit. in primis uerò illam doctrinam de Cœna Dñi, quæ tum temporis noua plerisq; atq; inaudita uidebatur. Post illam itaq; carceris detentionẽ, anno sequenti M. D. XXV. condemnationis optatam sententiam accepit, ac uiuus crematus est Lutetiæ in eo celebri loco, qui à Greua nomen habet, cum summa alacritate atque animi constantia.

RERVM

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERUNT, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER TERTIVS.

Crudelis Historia de pio quodam sacerdote. Anno 1526 in Germania præter expectationem decollato, ex secundo Tomo Conuiualium sermonum

IOANNIS GASTII.



INITO hoc luctoso anno, in quo passim per Germaniã multi pij & docti uiri, seditionis prætextu, sublati sunt: accidit ut princeps quidã iuberet sedecim rusticos seditionis (ut dicebãt) autores decollari. Adfuit & sacerdos pius, qui à nobilibus, quos hostes habuerat perpetuos delatus apud principem quasi suis cõcionibus instigasset & armasset rusticos ad res nouas. Iussus sacerdos uiris ad mortem deducendis sua consolatione, pro more, adesse. Is igitur egregie suo officio fungebatur, nihil periculi timẽs. At cùm omnes decollati essent, spiculator admonet sacerdotem ut & ipse genua flectat & in gramen procumbat: nam ab illo sumere pœnas constitutas à principe se uelle, idq; se in mandatis habere. Sacerdos ioco alloquitur carnificem: Quid dicis bone uir, cur mihi illudis? Carnifex respondit: Certe ita est domine, quemadmodum dico, sententia etiam de te est lata. Sacerdos tristi uultu intuitus iudicem astantem, dixit: Domine iudex, est ne ita constitutum apud principem, quemadmodũ carnifex dixit? Quid igitur male feci? quòd crimen designaui? Audite prius meam purgationem, postea cõdemnate. Innocens morti trador. Respondit iudex: Adiudicatus es morti, para ita q; te, nã nullus effugij locus erit. Tunc sacerdos resumpto animo clamauit ad dominum pro remissione peccatorum, suamq; innocentiam palàm coram populo indicans: deinde procumbit in terram & decollatur. Hac inaudita tyrannide uerus martyr præter expectationem suis nondum ualedictis in æternum gaudium ex hac caduca uita migrauit.

IOANNES HEVGLIN Lindauiensis ob Christi confessionem Merseburgi ab Episcopo Constantiensi combustus.

Anno 1527.

IOannes ille à senatu Vberlingensi cum alijs tribus sacerdotibus de rustica-na seditione suspectis Constantiensi Episcopo Merseburgum transmittit, ut plecterentur. Tres uero alij leuiter puniti dimittuntur, atq; hic ob publicã Euangelij prædicationem retinetur. In primis de articulis quibusdam doctrinæ maximis tormentis adhibitis interrogatus, num id sese ita haberet, an uellit reuocare? ad quæ humiliter respondit, atq; omnes illos uerbo dei conformes esse ostendit. Cùm itaq; ui nihil efficeretur, subordinati suffraganeus D. Vuendelinus atq; Antonius Dominicani, ut eundem scripturis cõuincerent sui erroris: sed omnia frustra. Itaq; die 10 Maij Merseburgi ad lacum constantiensem pons erectus, in quo Ioannes coram suffraganeo, Abbati Creutzlingensi

genſi & Petershauſen atq; aliſs prælatis comparere iuſſus. Ibi ſtatim hæreſeos accuſatur. Cùm autem ad capita obiecta reſpondere cuperet, iniunctum, ut nihil aliud adderet quàm, Credo aut non credo. præterea latinè & non Germanicè omnia agebant, ne populus quæ fierent intelligeret. quòd ſi pius ille paſtor accuſationem inſtitueret, ridebatur à prælatis magna aſtantium commiſeratione. Tandem uicarius dixit: Authoritate reuerendiſsimi &c, Hugonis Epiſcopi Conſtantienſis hunc hominem ut Hæreticum & ſanctæ matris Eccleſiæ aduerſarium, catholicæ fidei oppugnatorem damnamus, proiicimus, conculcamus, utq; indignum ſacris ordinibus priuari & degradari præcipimus. Hoc facto ſolenni more à ſuffraganeo degradatur. Poſtea uero Kilianus Reuchlinus præfectus ciuilis Merſeburgenſis corã iudicibus eundem ut hæreticum accuſauit. Vnde ſententiis rogatis decretum ut igne in puluerem redigeretur. Ibi Ioannes exclamauit, Deus uobis ignoſcat, neſcitis enim quid faciatis. domino etiam gratias egit quòd dignus ſit qui pro nomine eius hoc genere mortis tolleretur. ſumma itaq; patientia ad locum ſupplicij proceſsit. In ignem iturus cecinit, Gloria in excelſis Deo, & Magnificat anima mea dominum, & ita fœliciter in flammis mediis expirauit.

Hoc eodem tempore in Heluetia quoq; martyres aliquot facti, inter quos pater cum filio de Stammen Tigurinorum ditionis ex Hoſpianorum familia Badenis decollati ſunt.

Georgius Carpentarius in Bauaria exuſtus Anno 1527, die 8 Februarij.

COmplures uiri primarij in Germania extiterunt, qui inſtinctu inflatuq; diuino, non modò maximè illuſtrem atq; inſignem reddiderunt Euangelij ueritatem, ſed etiam effuſo ſanguine ſuo, ueluti chirographo quodã, confirmarunt & obſignarunt. In quorum ordine Georgius Carpentarius Emeringenſis prætereundus non eſt, propterea quòd admirabili uirtute & conſtãtia in defenſione Euangelij ſuſcepta permanſit. Cùm enim anno Domini *M. D. XXVII.* Monychi Bauariæ, ueritatis Euangelicæ nomine in carcerem coniectus eſſet, nullis unquam minis, nullo barbaro atq; immani terrore, nulla denique ui tormentorum abduci potuit à uera doctrina: adeò ut iudices nihil efficere ualentes, capitis hominem innocentiſsimũ damnarint. Itaq; eiuſdem anni die Februarij 8. poſt latam mortis ſententiam duo carnifices eum in carcere, quæ Falcoturris appellatur, comprehenderunt, ut ad locum ſupplicio deſtinatum ducerent. Et ecce Franciſcani aliquot monachi ſeſe obtruſerunt, qui cupiebant Georgium in itinere proficiſcentem ad ſupplicium comitari atq; inſtruere & erudire ſuo uſitato more. At uerò rogauit, ne in ea re elaborarent, ſed ſe in clauſtra ſua reciperent, quando eorum doctrina & inſtitutione nihil ei prorſus opus eſſet. Carnifices igitur eum perduxerunt uſq; ad gradus ædis publicæ, ubi cauſæ ſuæ quatuor capita confeſſa & defenſa publicè fuerunt recitata. Primum autem fuit, quòd non crederet ſacrificum poſſe homini peccata remittere in confeſsione auriculari. Alterum quòd non adduceretur ut crederet hominem poſſe Deum cœlo euocare. Tertium, quod non perſuaderetur Deum incluſum eſſe in pane, quem ſacerdos contrectat & uerſat multis modis in altari. Quartum uerò fuit, quod non crederet Baptiſmum aquæ per ſe poſſe hominem facere beatum. Aduerſarij contrà etiam atque etiam urgebant & inſtabant ut iſtam opinionẽ reuocaret: uerùm in ſua ſententia conſtantiſsimè perſtitit. Tum acceſsit ad eum ludimagiſter quidã eius urbis, his eum uerbis alloquens, Mi Georgi, nunquid horres & reformidas mortem quæ tibi mox obeunda eſt? Si nunc liber eſſes, numnam ſumma uoluntate & egregia animi alacritate redires domum ad uxorem & liberos? Cui ille, Si iudices

Capita obiecta in iudicio.

â se me dimitterent, ad quos quæso libentius me reciperem quàm ad uxorem & charissimos filios? Te igitur reuocato, inquit ludimagister, & in libertatem uindicaberis. Ad quæ Georgius, Vxor quidem & liberi chariores mihi sunt quàm ut ullo pretio, aut uel suo prouentu Dux Bauariæ redimere queat, sed tamen libenti animo pro summo meo erga Deum amore eos relinquo. Cùm uerò ipse iam ad supplicium duceretur, ludimagister rursum est eum allocutus in medio foro, in hanc ferè sententiam, Mi Georgi, crede sacramentum altaris, nec tantùm ipsum esse signum affirma. Fateor, ait ille, sacramentum hoc esse signũ & tesserã corporis & sanguinis Iesu Christi, qui pro nostrorũ peccatorum expiatione mortem crucis ultro pertulit. Ludimagister haud ita multò pòst addidit, Georgi, quid cogitas, dum tu nihili facis Baptismum, quo tamẽ ablutum fuisse Iesum Christum in Iordane non ignoras? Ad id ille, ut par erat, respondit, ostenditq; quis fuit Baptismi finis in Iordane, & quàm necesse fuit pro hominum salute comparanda Christum mori in cruce, quæ quidem res salutis nostræ scopus est. Ille ipse ergo Christus, inquit Georgius, seruator meus est, in cuius fidem me totum trado, atq; eum hodie clara confessione celebrabo in omnium cõspectu. Interea Magister Conradus Sceitther, uicarius & ecclesiastes primarij templi, ad illum accessit & dixit, Mi Georgi, nisi fidem adhibere uis sacramento, saltem tuam spem in Deo collocato, & palàm dicito, Nihil quidem de causæ meę æquitate & bonitate dubito, sed tamen si fortè peccarem, me erroris & insciti æ maximè pœniteret. Ad quę Georgius, Deus nequaquam permittat ut in errore uerser. Cui ludimagister, Ne sis festinãtior: delige tibi quendam bonum uirum nempe Magistrum Conradum aut alterũ quenpiam, cui animi sensum indices & sententiam tuam aperias: non ut ad aurem eius confitearis, sed ex re & tempore consilium capias. Ille respondit se id nequaquam commissurũ, quippe qui ea re non egeret. Postea aliquantò, quũ Magister Conradus clara uoce orationem Dominicam recitare cœpisset, Pater noster qui es in cœlis: interiecit Georgius, Mi Deus, reuera Pater noster es, neq; ullus alius est, uehemẽter cupio hodie tecum habitare. Magister Conradus incœpta persequebatur, Sanctificetur nomen tuum: tum intermiscuit Georgius, Mi Deus, quàm exiguè & frigidè nomen tuum sanctificatur. Conradus progrediebatur longius, Veniat regnum tuum. Ad eum orationis locũ Georgius addidit, Equidem spero me hodie in illud magno gaudio intraturum. Conradus orationem prosequebatur, Fiat uoluntas tua sicut in cœlo, etiam in terra: Georgius dixit, Præsto hic sum, mi Pater, ut tua uoluntas fiat: nõ autem mea. Cõradus orare perrexit, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Georgius ad id ita respondit, Iesus Christus uerus & cœlestis panis, sit mihi hodie in cibum. Conradus progrediebatur, Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Georgius ad hunc ferè modũ locutus est, Ego omnibus tum amicis, tum inimicis quicquid in me delignarunt ex animo remitto & condono. Conradus orandi finem fecit dicẽs, Et ne nos inducas in tentationẽ, sed libera nos à malo. Georgius interposuit, Deus bone, proculdubio tu me hodie liberaturus es: reposui enim spem meã in te solo. Tum postea Conradus symbolum fidei recitare aggressus est, Credo in Deum patrem omnipotentem: cui mox addidit Georgius, Etsi hostes omnibus uiribus conati sunt me abs te longissimè disiungere, ego tamen in te unum spem omnem meam positam habeo, non autem in ullis rebus creatis. Ita ferè G. respondebat ad singula capita: quæ si commemorare pergeremus, longior esset sermo. His uerò peractis Ludimagister eum nominatim compellauit dicens, Credis ne corde tam asseueranter in Deum Dominum tuum, quàm alacriter ore profiteris? Cui Georgius, Mihi quidem res admodum difficilis & ardua esset, crudelem mortem tam acri præsentiq; animo perferre, nisi quod ore profiteor,

Constantia insignis.

Symboli confessio.

profiteor, ex animi mei quodam intimo sensu prodiret. Ego sanè longè antè certum habebam quid mihi ferendum esset pro Christo, si modò afflictionū eius socius ac particeps esse uellem. O Deus: ubi est hominis thesaurus repositus, ibi quoq; illius animum esse oportet. Tum M. Conradus ei dixit: Credis ne Georgi, necesse esse prote mortuo preces cōcipi: quod si credis, spōdeo me celebraturum Missę sacrificium tua causa. Cui Georgius, Tantisper dum animus hoc corpore tanquam ergastulo cōcluditur, precamini ut mihi Deus patientiam, ueram animi deiectionem, & Christianam fidem largiatur: quib. quidem uirtutibus munitus & instructus supplicium mortis mihi constitutū præsenti animo ferre queam. Postea uerò quàm animus à societate & contagione corporis separatus fuerit, tum mihi nihil opus erit precationibus. Iam uerò cùm à carnifice constantissimus martyr ad scalam alligaretur, pleraq; doctrinæ Christianæ capita populo spectanti exponebat. Tum nonnulli pij & Christiani fratres, qui illi tristi spectaculo fortè aderant, eum rogarūt ut simul atq; in ignem coniectus esset, signum aliquod daret suæ firmæ & constantis fidei: quibus ille respōdit: Hoc signum fidei meæ in Iesum Christum certissimū uobis esto: quòd usq; dum os aperire aut certè hiscere licebit, Deum laudibus celebrare & Seruatoris nostri nomē profiteri nunquā intermittam. Perspice quæso, Lector, quā incredibili constantia paratus fuit hic nobilis Christi martyr ad acerbissimā mortem subeundā. uix enim unquam par animi uirtus audita est aut perspecta. Etenim in eo semper idem uultus fuit, neq; ulla mentis & sensuum facta est mutatio. Perrexit igitur in ignem hilari animo & prompto: dumq; testis ille tam patiens atq; tam fortis ad laniena duceretur, dixit in medio urbis, Hodie Dei nomē palàm in ore atq; oculis omniū profitebor. Quod reuera strenuè præstitit iam extentus & ad scalam alligatus. Nam cùm duo carnifices sacculum puluere tormentario plenum circa collum alligarent, ita locutus est, Sit hoc in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Cùm autē duo illi carnifices eum scalæ astrictum & alligatum attollerent in sublime, circunflantem ibi fratrem quendam ualere iussit, petita ab eo exporrecta fronte cuiusdam errati uenia. Porrò simulac in flāmas à carnificibus contrusus est, sublata uoce exclamauit, Iesu, Iesu. Deinde carnifex eum crudelissimè uexauit. Tum demum post repetitum clara uoce Iesu nomen, ita uitam felici fine concluſit. Hoc tempore Heluetij Badenis disputationem instituerunt de religione, ad quem locum multi Theologi utriusq; partis conuenerunt, qui tandem re infecta inuicem discesserunt. Paulò post Bernæ alia instituta, post quā Respub. Bernensis Euangelium suscepit.

LEONARDVS KESER, in Bauaria exustus 16 Augusti, Anno 1527.

NEque obliuioni mandanda aut silentio prætereūda est constantia Leonhardi Kesers, ex Bauariæ ducatu, qui propter testimoniū Euangelio datum cōbustus fuit. Is Keser, erat ex Rabbo oppido quatuor milliaribus à Passauuo, illustri genere ac domo natus. postquam uero literis institutus & sacerdos ordinatus esset in Vueitzenkirchen Ecclesiæ uicarius per 7. annos constituitur, ubi Doctor Perger Canonicus Passauiensis Parrochum agebat. Cùm itaq; Euangelij doctrinam intellexisset, eandem populo pro suggestu serio inculcabat. Hinc Parrochus, qui detrimentum suum senserat, eundem corā Episcopo Passauiensi accusat, atq; effecit ut Leonhardus citaretur, atq; Officiali in captiuitatem traderetur. Ibi tertio die ea lege dimissus, ut doctrinā hanc nouam Lutheranā ulterius propagare desisteret. Rediens itaq; ad ecclesiam suā, per sex menses tantùm ibidem mansit, atq; stimulante conscientia Vuitenbergam profectus ut religionis capita rectius cognosceret, Quum uero per bien- M.D. XXVII.

nium abfuiſſet,& Vuittenbergę literis optimiſq; diſciplinis operā dabat,certior factus à fratribus,de patris ualetudine, ut ſi eum uellet unquam uiuum uidere,quamprimùm reuerteretur,ilico ſe in patriam domumq; ſuam(per duas etiam horas patrem uiuum inuenit)pio patris ac fratrum uidendi deſiderio recepit.Sed ſimulatq; eò is uenit,Paſſauienſis epiſcopi,qui Euangeliį ſtudioſos ſummo odio inſectabatur, mandato captus eſt: & primo Scherdingam, poſtea uero ii.Martij in Paſſauũ abductus eſt. Qua in re non incommodum erit hoc loco exponere articulos fidei, quos liberè confeſſus eſt, & propter quos ab inimicis inhumaniter extinctus, ſanguine ſuo teſtimonium doctrinæ Filij Dei debitum ac redditum obſignauit.Primùm aſſeruit nos ſola fide ſaluos fieri.deinde ipſa opera eſſe fructus fidei.Miſſam non eſſe oblationem aut ſacrificium,neque prodeſſe uiuis,multò minus mortuis.Poſtremò tria genera confeſsionis affirmabat,unum & præcipuum fidei,nobis quidem quotidie perpetuoq; neceſſariũ:alterum charitatis, quod ad proximũ offenſum alienatumq; reconciliandũ adhibere oporteat,de quo genere Matth. XVIII. à Chriſto dño præceptum. tertium ad graues ac prudentes uiros miniſtrosq; Eccleſiæ referri,à quibus in magnis ac perplexis conſcientiæ uitæq; rationibus, conſiliũ ſæpe petendum & accipiendũ eſt.Itaq; quoniã hæc omnia erant aduerſaria bullæ Leonis X.Papæ Rom. atq; edicto decretoq; Imperatoris facto Vuormaciæ,ſententia fuit pronuntiata, ut pius uir Leonhardus, degradatus, in manũ & poteſtatem ciuilis magiſtratus traderetur. Epiſcopus Paſſauienſis ipſe cum ſuffraganeis Ratisbonenſi & Paſſauiẽſi, ipſoq; Doctore Eckio & multis aliįs prælatis,qui armatis militib.ſepti erant,ludiciũ ferebant, atque omnia Latinè peragebant,ne à populo cauſa huius uiri intelligeretur. Vnicè uerò in id incũbebant,ut doctrinã hanc reuocaret:ſed cõſtans permanſit. Vrgebant fratres, cognati & affines ut cauſa hæc differretur & exactius examinaretur.Interceſſerunt etiam Ioannes dux Saxoniæ,comites à Schauuenburg & Schuuartzẽburg cum multis aliįs nobilibus apud Epiſcopum pro Leonhardo,ſed omnia fruſtra. Lata itaq; ea ſententia turma equitum ex urbe denuo Scherdingã abduxit 13 Auguſti. Ibi demum Chriſtophorus Frenckinger ludex ciuilis à principe Vuilhelmo literas accepit,ut nullo alio ludicio habito,hæreticũ declaratum uiuum comburet.Leonhardus ergo ſummo mane tonſus,induto ſq; diploide,pileumq; in capite habens diſſectũ,carnifici ciuitatis traditus eſt. Porrò cùm extra oppidum duceretur, eum in locum,ubi morte mulctandus erat, liberè & conſtanter Germanico ſermone loqui cœpit, nunc in hanc, nunc in illam partem caput conuertens. Ita autem dicebat,O Domine Ieſu,patere mecum, ſuſtenta me,da mihi robur. Admonuit etiam circumſtãtes ut una ſecum canerent, Veni ſancte ſpiritus, quod etiam factum eſt. Cùm ligna iam parata erant,ut accenderentur,magna uoce exclamare cœpit, O Domine Ieſu, ego ſum tuus,conſerua me.Hoc autem dicebat, cùm iam ignem accenſum ſub pedibus haberet,atq; etiam uim eius, non in pedibus ſolùm, ſed etiam in manibus & capite,acerbiſsimo cum dolore ſentiret. Et quoniam ignis non ita erat magnus,ut corpus eius citò poſſet abſumere,carnifex pertica biſulca illud tantummodo ſemiuſtulatũ attraxit,ac ſuper ligna undiq; impoſuit. Deinde perforato corpore,perticam illam traiecit:atq; ita illud repoſuit in ignem,& omnino exuſsit.Hic exitus, ipſius Keſers (quem aliį Cæſarem uocant) piį hominis,pro cauſa & doctrina filij Dei Ieſu Chriſti morientis,decimo ſexto die Auguſti,anno M.D.XXVII.Si quis uero hanc memorabilem hiſtoriã pleniorem habere deſideret,legat Tomum ſextum operum Lutheri.

Confeßio fidei Leonhardi Keſers.

Vuendelmuta

Vuendelmuta honesta uidua ob ueritatis confessionem 20 Nouemb. Anno 1527. in Holandia combusta.

VVendelmuta hæc filia erat Nicolai à Munchendã, quæ uitę puritate omnib. semper erat conspicua. Quũ uero Euangelij doctrina de Christi gratia ubicp innotesceret, & ipsa eandẽ firmiter amplexa est. Postquã ergo in arce Vuerden captiuitatẽ eius rei gratia perpessa fuisset, tandẽ 15 die Nouemb. in Hagen ad regionis Generale iudiciũ abducta fuit. die 17 ibidẽ quocp Genero sus Comes Hochstratus præses Holandiæ cõparuit, ut p tribunali sederet. Instituerant Monachi cũ eadẽ aliquot colloqa ut erroris cõuicta reuocaret, atcp uentã impetraret. sed constãs in doctrina Christi perseuerabat. Admittebant etiã cognati & honestæ mulieres, ut à proposito auerterent. Inter alias accedebat nobilis matrona, quæ captiuã unicè diligebat: Illa inferebat: Cur nõ taces mi Vuendelmuta, atcp in corde quæ uolueris cogitas & credis, ut diutius hac uita fruí quas? cui respõdebat, Ach nescis quid dicas, corde creditur ad iustitiã, ore fit confessio ad salutẽ. Cũ itacp constãs permaneret 20 Nouemb. sententia lata, ut illa tanquã in hæresi deprehensa per ignẽ in puluerẽ redigeretur atcp bona eius cõficarentur. quã quidẽ patienti animo audiuit. Postquã ad locũ supplicij duceretur, atcp Monachus sæpius admonuisset ut Deũ suũ, crucẽ ostendens, osculo ueneraretur, dicebat hunc ligneũ deũ nõ agnosco, sed eũ qui in cœlis est ad dextrã Dei patris omnipotẽtis. facies eius immota mansit & hilaris ad finẽ uitæ usep. Rogũ cũ ascendisset, sua spõte applicabat se palo, atcp rogabat carnificẽ, an palus esset firmus ne caderet. puluerẽ etiã in sinũ una cũ carnifice ingerebat, atcp laqueũ collo addebat, dño Deo sese ardẽti oratione cõmendãs. cũ uero tẽpus esset ut strangularet, oculos modeste clausit atcp caput demisit tanquam dormitura. Postea igne accenso in puluerẽ redacta est. sicp pro hac uita inemarcessibilem coronam in cœlo nacta.

M. Georgius Halæ in Saxonia concionator iuxta Aschenburgum ob prædicationem Christi occisus, Anno 1527.

MAgister Georgius, concionator erat Halę in Saxonia. cũ uero Euãgelij luce illustratus Christũ in suo tẽplo prædicaret, admonebat seditiosos rusticos diligenter, ne sese Magistratui suo opponerẽt: deũ enim eos grauiter punituros qui secus facerẽt. Id qđ postea res ipsa probauit. Quũ uero tumultus ille conquieuisset, atcp ipse in cœpta doctrina pergeret, præsertim uero sacramentũ cœnæ dominicæ sub utracp specie, iuxta Christi institutionẽ, populo offerret, accusatus est coram præsule Mogũtino, qui etiã eo tempore Magdenburgensem Ecclesiã, (in cuius ditione Georgius erat) administrabat. Citatus itacp Aschenburgũ ut doctrinæ rationẽ redderet, animosè cõparuit, atcp ita respondit ut dimitteretur. addebatur aũt ei seruus qui officij gratia aliquo usep eum comitaretur. In itinere eo cupiebat Georgius apud pastorẽ cuiusdam pagi pernoctare, sed seruus id noluit, deinde per notũ iter syluã trãsire uoluit. at nec id comiti placebat, ut qui compendiosius iter sese habere diceret. Cùm itacp syluã ingressi essent parati adsunt equites duob. scilicet milliarib. ab Aschenburgo, qui piũ hunc ministrũ obruunt, transfodiunt, & occidũt. Authorem huius Latrocinij, deprehendere nemo potuit, nec etiã eius rei gratia ulla fuit habita inquisitio, adeo ut multi putarint eos equites à Canonicis quibusdam fuisse subornatos, ne ille domum reuersus alios quocp pontificiorum errores detegeret. Sic optimus Christi præco, dum Magistratui suo parere cuperet, martyr effectus est.

Hoc eodẽ tempore aliquot sacerdotes & literati uiri in Alsatia & Brisgaudia ad supplicium rapti, inter quos scriba Kentzingensis magna constantia martyrij coronam suscepisse fertur.

HENRICVS FLANDER Tornaci uiuus combustus, Anno 1528.

MAgister Henricus (hoc enim nomine notior erat q̃ cognomine) natione Flander, cùm institutum ordinis Augustinensis diu sequutus ac professus fuisset, postea abiecto eo uitæ genere, meliore q̃ suscepto, captus fuit propter uerbũ Dei in ciuitate Cortracensi oppido Flandriæ, habitu indutus mercatorio, atq; inde Tornacũ deductus. Qua in urbe cùm septem menses in profundo ac tetro carceris loco adseruatus fuisset, tandem ei oblata est conditio, per quendam M Baltazarem à Cordis, qui tum erat Officialis Episcopi Tornacensis, ut si uellet confiteri eam quã uxorẽ duxerat, esse meretricẽ suam, uita ei conseruaretur. Hoc autem ille ut diceret, nunquam potuit adduci: sed in ea fidei confessione, quam initiò coram eis fecerat, constanter perstitit: ita ut ab aduersarijs pristino illo sacerdotij gradu atq; ordine deiectus aut erasus, cum summa animi lętitia & gratiarũ actione canere cœperit, Te Deum laudamus, te Dominũ confitemur: cæterosq; uersus eius Cantici, qui Ambrosio & Augustino uulgò tribuitur. Postea fuit condemnatus, ut uiuus cremaretur: quod supplicium admirabili uirtute & animi magnitudine pertulit, circiter mensem Maium, anno *M.D.XXVIII.*

DIONYSIVS DE RIEVX Meldis exustus, 3 Iulij, Anno 1528.

DIonysius ab Rieux, fuit unus ex ijs qui primi pro pura Euangelij Christi doctrina, Meldis mortem magno animo pertulerunt. Is inter primos in Gallia palàm asseruit, Missam certissimam esse abnegationẽ mortis & passionis Iesu Christi: à qua Missæ opinione Briconnentus episcopus Meldensis, de quo suprà mentio est habita, modis omnibus abducere uoluit, promittens se eum liberaturũ, eiq; pensionẽ annuam atq; alia cõmoda daturum. Cui ille fortiter semper restitit, & grauiter obiurgans, dixit: Itáne dñe in eam animi mollitiem ignauiamq; delapsus es, ut me nunc quidem ad huiusmodi abnegationẽ Dei mei, renũciationemq; inducas? Hic aũt pius uir sententiã illam Iesu Christi, Qui me negauerit coram hominibus negabo eum coram patri meo qui in cœlis est, uehementer in animo suo infixã habebat, ita ut eam sæpe cum pondere & grauitate eius usurparet ac repeteret, atq; etiam ad mentionem eius perhorresceret. Is igitur damnatus, ut uiuus comburereꝰ, crate ad supplicium tractus fuit, perpetuò loquens, ac populũ exhortans, ut ad susciendam uerã uitæ salutisq; doctrinam conuerteretur. Eius manibus crux lignea fuit alligata, quam excussit magna ui, abiecitq; in quendam locum, qui aquas fluentes recipiebat: atq; eo quidem die ualde pluerat, ita ut crux unà cum aqua auferretur. quæ res sacerdotes ac monachos ita uehementer irritauit, ut ab contumelijs iniurijsq; ei inferendis, continere se non possent. Itaq; is uiuus fuit ustulatus, summa uoluntate ac uoluptate inimicorum ueritatis, id est, cum lento magnoq; tormento ac dolore. Nam ter in sublime fuit sublatus, ignem sub se habens exiguum, perpetuò usq; ad ultimum spiritum uitæ, Deum inuocans. Hunc uitæ finem, uir probus & Deum timens habuit.

ADOLPHVS CLAREBACH, & Petrus Flysteden Coloniæ Anno 1529 Martyrizati in Septembri.

Hi duo martyres morte sua magnum fecerunt fructum apud inferiores Germanos.

ANno *M.D.XXVIIII.* Petrus Flystedius & Adolphus Clarebachus homines literis perpoliti & præclara eruditione atq; doctrina ornati, Coloniæ ad Rhenũ sitæ uincti tenebantꝰ, quòd de Cœna Domini cæterisq; religionis Christianæ capitibus à Pontificijs dissentirẽt. Senatus quidẽ urbis potest iure suo contrudere in carcerẽ, sed damnandi aut absoluendi potestas est penes Archiepiscopum: adeò ut contingere queat, ut qui in locum & uicem Archiepi-

chiepiſcopi ſubſtitutus ſit, emittat è carcere eum & in integrũ reſtituat, qui capitis damnatus fuerit à ſenatu. Adolphus quidem natione Bergenſis in urbe Lenep natus erat, ubi etiam magna eruditione præditus ad tempus Ludimoderatorem egit. Cùm uero Euangelij cauſam probe noſceret, atq; D. Ioannes Klopereys eius loci paſtor de Lutheraniſmo ſuſpectus Coloniã citaretur, ut ſe coram Cañonicis de quibuſdã articulis excuſaret, hic Adolphus comes itineris ei fuit 1528. Poſtquam uero Ioannes indicta cauſa ad perpetuos carceres damnaretur, atq; Adolphus eam inhumanitatem reprehenderet & comitem ſuum excuſaret, magnum odium ſibi conflauit, & paulò poſt captus fuit. Ipſe ergo palàm ſeſe Laicum profeſſus ciuili Magiſtratui ſeſe ſubiecit, propterea à priori ſeiunctus fuit. Inquiſitores uero hæreticæ prauitatis una cum ordinatis quibuſdam ſenatoribus ſæpius ad eum uenerunt, diſputationem inſtituentes, ut uel erroris eum conuincere, aut ad reuocationem Lutheraniſmi (quem uocant) pellicere poſſent: ſed omnia fruſtra. Alter uero Petrus in pago Fliſteden Iuliacenſis ditionis natus, atq; lucem Euãgelij adeptus Coloniam uenerat, ut aliquos in ueritate uerbi Dei inſtrueret. Cùm itaq; ad magnum altare in templo ſtaret, atq; in Sacramẽti eleuatione caput pro more nõ detexiſſet, captus fuit, atq; magnis tormentis & cruciatibus diu uexatus ut ſententia ſua cederet. ſed nec hic aliquid efficere poterant. Ergo uterq; tandem tanquam deplorati homines coniuncti ſunt, ita ut ſeſe inuicem hortari, conſolari & inſtruere poſſent. Illi igitur duo in cuſtodia incluſi fuerũt plus ſeſquianno. tandem uerò anni ſequentis menſe Septembri nullo certo iudicio præmiſſo ad ignẽ damnati ſunt, iniquiſsimo permiſſu ſenatus & uicarij Archiepiſcopi: quorum ſententiam, carnifices poſtea ad extremum uſq; ſunt executi cum acerbiſsimo plurimorum dolore & cõmiſeratione. Tantæ crudelitatis cauſa in Theologaſtros Colonienſes transferebatur, qui in ſuis publicis concionibus uociferabant, oportere placare ac lenire iram Dei, qui tum nouo & inuſitato morbi genere, Germaniam afflictabat. Etenim præter famem quæ ſæuiebat, inſolens quidã morbus ſudoris nomine appellatus ſic graſſabat, ut qui eo exitiali ſudore opprimerentur, intra quatuor & uiginti horarũ ſpatium morerentur. Cuius quidem rei cauſa hominũ numerus propè infinitus morte interceptus interijt antè inuentũ remediũ. Vulgus morbũ Anglicũ appellabat, quòd anno M.CCCC. LXXXV, hac impura lue afflictata fuiſſet Anglia. Deinde uerò ut Deus omnia ſua flagella in Germaniam ſemel explicaret, potentiſsimus ille Turcarum rex Solymanus (Vayuoda ex parte aliqua Hungariæ rege, & Hieronymo à Laſco Polono inſtigantibus) obſeſſam tenebat Viennã Auſtriæ. Porrò cùm duo illi ſanctiſsimi homines ad mortẽ ducerentur, ſuæ fidei rationẽ omnibus publicè reddebãt, ſeq; mutuò cohortabantur & incitabãt præclaris uerbi diuini teſtimonijs ad tolerantiã: adeò ut omnes qui aſtabãt admiratione obſtupefacti, utriuſq; conſtantem uultum motumq; corporis intuerentur: præſertim uerò Adolphi, qui adoleſcens erat egregia forma, doctrina atq; optimarũ artium ſtudijs maximè eruditus. Propterea carnifices Magiſtratus iuſſu ſummo pere feſtinabãt ad locum ſupplicij, ne aliqui ex ciuibus ab ipſis ſeducerentur, adeo ut etiam potus inter eundum ipſis fuerit negatus. Cùm rogarẽtur, uellẽt ne ut denarij pro more à populo colligerentur, ut eis haberentur exequiæ, renuerũt: dicẽtes, perã ſacrificulorũ eſſe purgatoriũ. Cũ ad locũ ſupplicij uentũ eſſet, orabãt pro urbe Colonia atq; inimicis ſuis, & mutua ſalutatione habita ſeparati ſunt. Petrus ergo primò ad rogũ ductus, quẽ tanta uehementia carnifex catena ferrea circa collũ ad palũ ligauit ut ſtrangularet, atq; ante ignis accenſionẽ expirarit. Poſtea Adolphus acceſsit, qui ſeſe ipſum ueſtibus exuens uictimã deo præparabat. Rogũ aſcendens omnibus ualedixit & doctrinam Euãgelij cõmendauit. cùm uero ignis accenderet exclamauit alta uoce, Dñe

in manus tuas cõmendo ſpiritũ meũ, atque ita huius ſeculi calamitates ſuperauit. Si quis fuſius hanc hiſtoriam cognoſcere deſideret, legat Ludouici Rabi de Martyribus librum ſecundum.

Georgius Scherrerus Raſtati in Bauaria decollatus Anno 1528.

GEorgius hic cognita luce Euangelij populũ in Raſtat decem milliarib. a Saltzeburgo ſitũ magna diligentia in eadẽ inſtituit. Cũ uero aduerſarij eius conatũ ferre nõ poſſent, effecerunt ut Anno 1528 in carcerẽ conijcereť. Ibi dẽ confeſsionẽ ſuã piã & ſimplicẽ conſcripſit, quã poſtea una cũ hac hiſtoria edidit D. Mathias Flaccius Illyricus. Cùm ergo in ſua doctrina conſtans perſeueraret, à Iudice ſententia lata ut uiuus comburereť. aliquorũ tñ interceſſione effectũ ut gratia (quod dicit) ei exhibereť, nimirũ ut prius capite truncato poſtea in ignẽ conijcereť. Cũ ad locũ ſupplicij ducereť inſtruebat populũ, & tandẽ ardẽter orauit. Exclamauit etiã iam iam moriturus alta uoce: Vt ſciatis me eſſe uerũ Chriſtianũ, dabo uobis eius rei gratia ſignũ euidens. quod etiam operãte Chriſto præſtitit. cũ enim capite truncato in uentrẽ cecidiſſet, atq; ita mãſiſſet donec quis ouũ cõmode cõmederet, cadauer ipſum paulatim ſeſe in dorſum cõuertit, atq; dextrũ pedẽ ſuper ſiniſtrũ, & dextrã manũ ſuper ſiniſtrã crucis inſtar collocauit. Hoc facto oẽs ſpectatores admiratione capti. Magiſtratus etiã iuſſu factũ ut corpus nõ exuraretur, ut prius decretũ, uerũ in terram Chriſtianorũ more ſepeliretur. Eo etiã exẽplo quidã moti eius doctrinã cupide amplexi ſunt. Sic Deus ſuos in ſumma calamitate manifeſtare ſolet, cui laus & gloria in ſempiternum.

Vuilhelmus de Suuollen 20 Octob. Anno 1529 Mechliniæ uiuus exuſtus.

VVilhelmus ille olim in magna authoritate apud Chriſtiernũ regẽ Daniæ erat, atque regis hoſpitia deſignanda ordinatus. Poſtea uero in Euãgelij doctrina inſtitutus, eandẽ conſtanter in omnib. locis cõfeſſus eſt. Eius rei gratia Louanij captus atque diu in carcere detentus fuit. Doctores enim uniuerſitatis oẽm mouebant lapidẽ ut eũ uel erroris conuincere, aut ad reuocationẽ redigere poſſent. uerũ ille conſtans in doctrina ſua ſemel, Chriſti gratia, percepta firmiter perſeuerauit. In carcere etiã ultimã ſuã uoluntatẽ & confeſsionẽ de Iuſtificatione, ſacramentis, Miſſa, purgatorio, Inuocatione ſanctorũ, primatu pontificis, traditionib. humanis, & alijs huiuſmodi magna doctrina & pietate refertã conſcripſit, quã poſtea D. Ioannes Bugenhagius Pomeranus Vuitenbergæ edidit. Itaque Mechliniã deductus ibidẽ ad ignẽ condemnat, atque 20 Octob. Anno 1529 magno piorum luctu uiuus crematus eſt.

Eodem hoc anno Argentorati & Baſileæ Papiſtica religio exploſa, atque Euangelij doctrina publicè recepta fuit, magna conſcientiarũ conſolatione.

Paulò poſt etiã ſub finẽ Decembris Saxoniæ princeps Ioannes, Philippus Landgrauius, cum alijs quibuſdam principibus & ciuitatibus Imperij Smalkaldiæ fœdus inierunt, quo continebatur doctrinam Euangelij retinendã & defendendam eſſe. Io. Sleid. lib. 7.

LVDOVICVS BERQVINVS Anno 1529, Lutetiæ crematus in Maio.

LVdouicus de Berquin, nobili Berquinorũ apud Artheſienſes familia ortus, ea Artheſiæ parte quæ ab oppido S. Audomari denominat, adſcitus in aulã Frãciſci I. Galliarũ Regis, in eorũ numerũ qui aulæ Regis nobiles cenſentur cooptatus fuit, eo tempore cùm adhuc ſuprema poteſtas Artheſiæ & Flandriæ ad regem Galliæ pertinebat. Annos natus plus minus quadraginta cœlibem uitam egerat, ea morum integritate ut ne ſuſpicio quidem ulla impudicitiæ (quod rarum eſt in homine aulico) aduerſus eum, dum uixit, exorta fuerit: mirè benignus in amicos & egenos. Antequàm Dominus illum ad cognitionem Euangelij uocaſſet, cõſtitutionum ac rituum papiſticorũ, nempe

præſcriptorum

præscriptorum ieiuniorum, dierum sacrorum, ciborum, Missarum, concionũ, quemadmodum ab ineunte ætate edoctus fuerat, obseruantissimus fuit: alienissimus uerò ab omni fuco, ingenio aperto ac libero: quòd iniuriam nec cuiquam facere uellet, neq; etiam a quoquam perpeti posset. A doctrina Lutheri quæ tunc in Gallia cœperat increbrescere abhorrebat maximè. Nihilominus tñ, ut erat uir ingenuè doctus, oderat grauissimè insulsos illos & morosos Sorbonicos theologos ac monachos. in hos etiã aliqñ palàm debachabatur: nec stomachum suum dissimulare poterat. Fuerat illi sermonis conflictatio cum quodam primi nominis inter Theologos Parisienses doctore Gulielmo uide licet à Quercu. Ex eo tempore cœpit uir pius propius applicare animum ad studium ueræ pietatis: neq; defuit Dominus qui multis modis ac medijs solet suos ad Christi filij unigeniti cognitionem trahere. Vnde nullum intermittebat tempus, quod aut lectioni aut scriptioni aut uertendis in linguam Gallicã pijs libellis, non impertiret. Ex ijs qui ferè sparsi erant, decerptæ sunt ab inimicis sententię, quas Theologi ad suam cognitionem & censuram pertinere existimabant. Huius ferè generis erãt illæ sententiæ, In concionib. non rectè Virginem Mariã inuocari pro Spiritu sancto. Non rectè uocari Thesauraria gratiæ. Item in Salutatione illa uespertina quæ illi exhibetur, contra oẽm ueritatẽ Spem & uitam nostram uocari, quum ea omnino ad Christum pertineant.

Ob huiusmodi sentẽtias à Theologis annotatas hæreseos reus delatus est, ac in carcerẽ coniectus. Iudices qui ingeniũ hominis nouerant, parui momenti eas conclusiones existimauerunt, absoluerunt q; Berquinũ. Qui detulerant, uulgò iactabant eum elapsum fauore Regis: ipse uerò prædicabat se iure atq; æquitate causæ uictorẽ, adeò ut serió de ijs triumphũ appararet. Interea alios etiã libellos uertit, inter quos etiã Enchiridion militis Christiani Erasmi Galli cè emisit, additis plerisq; atq; intermixtis, quæ propius ad ueritatis Euãgelicæ lucem pertinebãt. Erasmus ille, acriter expostulauit cum eo per literas q; non prudenter ageret, eiusmodi grauẽ utriq; conflans inuidiã nullo, ut dicebat, fructu pietatis: proinde suã causam sic ageret, ne Erasmũ admisceret. Interea Natalis Bedda Sorbonicus doctor & ipsius assecla, collectis multò plurib. articulis aduersus Berquinũ, curarũt eũ rursus pertrahendũ in carcerẽ. Beddæ se adiunxerant Prior Cartusianorũ & Prior Celestinorũ urbis Parisiensis ac nõnulli alij ut multitudine obruerent hominis constantiã. Cohors illa Beddaica ad eò præiudicijs Berquinũ grauarat, ut nihil in causa superesse uideret, nisi ut exustis libellis ac honoraria emendatione facta reciperet prescriptã à Magistris illis satisfactionẽ, aut si id recusaret, iret ad ignẽ. Berquinus ne in uno quidẽ illis cessit: & sanè actũ erat tum de ipso, nisi quidã è Senatu cordatiores, perspicientes rem Monachorũ ac Beddaicorũ odijs geri, respondissent se totã causam à capite usq; ad calcẽ denuò uelle cognoscere. idq; non sine fremitu illorũ qui iam eũ morti adiudicauerãt. Id quidẽ fauore Ludouicę matris Francisci regis, quæ tunc rege filio capto regni habenas moderabat, procuratũ fuisse plerique existimauerũt. Dum hæc agunt Rex ex uinculis Hispanicis cõmodùm reuersus, admonitus fuit Berquinũ inter monachos & Theologastros periclitari. itaq; per literas denunciauit senatui Parisiensi, ne quid temere patereť fieri in persona sui Berquini: se breui adfuturũ, ac diligentius uelle de toto negocio cognoscere. Aliquantò pòst exẽptus è carcere, seruatus est in aula satis cõmodè, attñ sub custodia. Tandẽ suæ libertati redditus est, quò posset facilius suæ causæ consulere. Mirũ dictu quantũ fiduciæ tũ conceperit animo Berquinus. non enim solũ promittebat sibi absolutionẽ, uerumetiã uictoriã & quidẽ speciosam. Aiebat uictoriã esse in manibus, sed malle serius aliquanto finiri causam, quò magnificentius de ijs triũpharet. Iam itaq; mutatis uicibus sacrã illã facultatem, Theologos uidelicet & Monachos reos peragebat impietatis. dicebat

Hæreseos accusatur Berquinus.

cebat enim se arcana quædã deprehẽdisse in eorũ actis. Plericp eum amici hortabantur, sineret crabrones, extricaret se ab ea causa quàm quiret minimò, uel prætextu Regiæ alicuius legationis aliquo proficisceretur, uel in Germaniã iret, dum causa hæc tempore euanesceret. Cogitaret etiam atcp etiam qualis esset Bedda, acerrimus ipsius aduersarius, quotcp capitibus uenenum afflaret. Expenderet cum immortali hoste rem esse, Facultas enim non moritur. Facultatis phalanges non conquieturas donec ei exitium procurassent. Principum ac magnatũ fauores esse temporarios, ac delatorum artibus facilè in diuersum trahi illorum affectus. Denicp, ut nihil eorũ accidat, Reges etiam ipsos uel delassari talium improbitate, uel etiam metu nonnunquàm cogi ut cedant. Tot modis deterrentes amici, tantum abest ut Berquinum ab incœpto abstraherent, ut potius animum adderent. ingenium enim ipsius quiddam habebat cũ palma cõmune: nancp aduersus deterrentem tollebat animos. Pergebat itacp in causa aduersus Theologos ac Monachos, maximè uerò in Beddam, impetrauitcp à rege Francisco literas ad Theologicam facultatẽ, ut duodecim articulos, qui in Beddæ libris uiderentur habere manifestã impietatem, atcp adeò blasphemiã, aut damnarent omniũ suffragijs, aut sacrarum scripturarum testimonijs comprobarent. Hæc Berquino polliceri certã uictoriam uidebantur, sed progressus causæ demonstrauit irritamenta hæc tantùm fuisse ad acuendã magis ac magis insanam aduersariorum rabiem. Frigida enim sunt, ut plurimũ edicta aut diplomata Regia, præsertim in causis eorum qui se pro ueritate opponunt. Sic itacp excitati crabrones, omni malarum artium genere instructissimi nunquam conquieuerunt, donec Berquino procurassent exitium. Iudicibus duodecim à summo Parlamenti Parisiensis Senatu lectis, tandem delegata fuit tota causæ cognitio & suprema in ea pronunciandi authoritas. Quum instaret dies, Berquinus carceri traditus est. sententia ab ijs iudicibus lata est, ut exustis Berquini libellis & abiuratis articulis perpetuo carcere inclusus uitam degeret: re tamen tota arbitrio Regis reseruata. Is audita præter expectationem hac sententia, Regem appellauit. Iudices illi delegati indigne ferentes appellandi uerbum, Si non recipis, inquiunt, hanc sententiam, efficiemus ne posthac quóquam appelles. Magnus ille Gulielmus Budæus tunc supplicum libellorum in Curia magister, unus erat è iudicum illorũ numero. is pro ea beneuolentia qua omnes humanitatis studiosos complectebatur, hunc quocp Berquinum amabat: ac paulò antequam grauior sententia mortis in eum ferretur, multis hortatus est, ut à uesanis illis erroribus resipisceret, & palinodiã præscriptam nõ grauatim amplecteretur, consuleret uitæ, ac meliorib. studijs se seruaret, néue suo (quod aiũt) indicio sibi exitium accerseret: quod quidem affirmabat ex sententia iudicum omnino decretũ, nisi priori illi tam æquabili sententiæ mox acquiesceret. Hac graui monitione, atcp obtestatione tanti uiri eo adductus est Berquinus, ut polliceretur se ea facturũ quæ ille multis suaserat. Domũ reuersus Budæus, præsagire illi cœpit animus non præstiturũ ea Berquinũ, quæ se facturũ receperat. Noui enim, aiebat, hominis ingeniũ, imponet illi sua fiducia atcp ingenuitas. Hæc cũ antemeridianis horis acta fuissent, pomeridianis Berquinus eadẽ cõfirmabat quæ prius. Itacp iudices non multò pòst, sententiam aliam tulerũt, nempe ut laqueo præfocatus, cremaretẽ in loco celebri Lutetiæ, Greua appellato. Huius posteriòris sententiæ exequẽdæ occasionem omnẽ captabant aduersarij: quum primùm semotius rex Francisci excurreret, quæ sanè mox ut cupiebant oblata est. nam Rex Blesiacum petebat, quum ad supplicij locum deductus est Berquinus, qui adeò præsenti animo tum maximè uisus fuit, ut nec uultu, nec ullo corporis gestu dederit ullum perturbati animi specimen: ne tum quidẽ, cũ carnifex in egressu carceris, truculenta uoce crimen ac supplicium pronunciaret. Quum ad plateam Greuensem

Iudices XII. de legati in causa Berquini.

Greuensem uentum est, uerba fecit ad populum, sed uix quisquam potuit aliquid percipere, tantus erat satellitum fremitus, tam magna eorũ, qui à Sorbonicis mercede conducti dicebãtur, uociferatio dedita opera excitata fuit. Sic animos omnium in illum excitarant Monachi ac Sorbonici, qui nusquàm nõ adsunt, ut etiã pueros initio causæ munusculis illexerint ut uicatim dicerent, Berquinũ hæreticũ esse. Quum itaq; ad palum præfocaretur, uix unus aut alter è turba acclamauit nomen Iesu, quod parricidis tamen ac sacrilegis apud eos acclamari solet. Hoc itaq; graue mortis supplicium admiranda animi constantia perpessus est uir insignis, mense Maio, Anno M.D.XXIX.

Memorabile exemplum diuinæ bonitatis erga ueritatis confessores, quòd Simoni Grynæo Spiræ 1529 contigit.

HOc tempore passim sæuiebant impij contra eos qui Euangelij doctrinã defendebant, quorum tamen conatus sæpissime erat irritus. Dominus enim Ecclesiæ suæ angelos addebat custodes quo pericula facilius euitarent, quod in doctissimo uiro Simone Grynæo cognitũ fuit. Cum enim anno 1529 Spiræ cõuentus religionis gratia haberetur, ex Heidelbergensi Academia eò se contulerat, ut cum suis amicis aliquid conferret. Ibi cùm Fabrum Episcopum Vuiennensem audiuisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reuerenter salutat. Postea narrat se nõ petulantia aliqua sed bono studio moueri, ut quædã dicat. Non detrectat Faber colloquiũ. Ibi Grynæus, dolere se ait, quod uir eruditus & pollens authoritate confirmet errores manifestos aduersus deum, qui etiam apertis testimoniis primæ Ecclesiæ cõfutari queant. Scribit Irenæus Polycarpum solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominum: quo te animo putas audiuisset iam Polycarpus disserentem? Quid mus comedit, arrodens panem consecratum? Quis non deploret ecclesiæ tenebras. Interpellat Faber plura additurum, ac nomẽ eius interrogat. Nihil ille dissimulat, sed placidè fatetur se Grynæum esse. Erat omnino Faber (ut multis notum) flagitiosè timidus in doctorum congressibus, præterea pauidus & insidiosus. Quare cùm Grynæi eruditionem, eloquentiam, copiam, & ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat se à rege uocatum esse, nec nũc habere otiũ ad disputationem de re omniũ maxima instituendam. Simulat se interim maximè cupidum esse & amicitiæ Grynæi & colloquij longioris, & cùm sua causa tum propter rempublicam orare cœpit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam designat. Grynæus serio hæc dici putans, nõ grauatim promittit. Relicto itaque Fabro ad suos amicos rectà accedit. Vix assederat mensæ (iam enim tempus cœnæ erat) & recitauerat partem disputationis uiris doctis tum præsentibus (inter quos & Philippus Melanchton, qui hanc historiã in explicatione 10. cap. Danielis describit) ecce euocatur statim aliquis ex amicis Grynæi. Senex erat, singularem grauitatem uultu, oratione, & uestitu præ se ferens, cuius quidem nomen uel conditio nunquã postea ab ullo deprehensum. Hic euocatũ Grynæi amicum alloquitur & ostendit, mox adfuturos in eo hospitio lictores missos iussu regis, apud quem Faber Grynæum accusasset, ad abducendum Grynæum in carcerem. Iubet igitur ut statim ex urbe discedat, atq; hæc monita non contemnat. Ita dicta salute senex abijt. Ille ad sodales rediens, hortatur ut surgãt, ac narrat quid senex ille nunciarit. Mox per publicã uiã deducunt Grynæũ acceptũ in mediũ agmẽ & ad Rhenũ pergũt, ubi etiã in ripa citeriore tantisper restiterunt donec Grynæus cum suo comite in parua cymba ad alteram ripam transueheretur. Postea reuersi in hospitium intellexerũt statim adfuisse lictores, quũ exiguo spacio ab ea domo egressi essemus. Quãto aũt in piculo futurus fuerit Grynæus si in carcerẽ abreptus esset, ex Fabri sæuitia facilè æstimari poterat, quare iudicabãt oẽs consiliũ illud crudele

dele diuinitus elusum fuisse. nisi enim Grynæus ab angelis tectus fuisset, certe hanc lictorum festinationem euadere non potuisset. Eius enim opera Deus Basileæ & passim in doctorum hominum colloquijs, quæ in comitijs hinc inde indicebantur, uti uoluit. donec tandem Anno 1541. Basileæ pacificè in domino obdormiuit, fidei suæ confessionem ad mortis horam usq; constanter patefaciens. Agamus igitur gratias domino, quòd nobis angelos custodes dedit, atq; à tyrannorum crudelitate protegit.

Paulo pòst Anno 1530. Protestantes Germani in Augustanis magnis comitijs suam confessionem Carolo V. Imperatori obtulerunt, eamq; sacris literis subiecerunt.

Heluetiorũ ciuile bellum.

Cùm Euangelij lux in Heluetia hinc inde oriretur, pontificij omnem occasionem captabãt, quánam ratione eandem extinguere & superstitiones restituere possent, propterea tandem à partibus ad arma deuentum. Anno itaque 1531. in Octob. bis prælium cõmissum, atq; aliquot millia martyres facti, qui ueritatis amore insultus aduersariorum, atq; mortis horrorem contempserunt, ut semper æterno gaudio fruerentur cum Christo capite suo. Inter hos etiam M. Huldrichus Zuuinglius erat, Tigurinorum antistes uigilantissimus, cum multis alijs pietate & doctrina præstantissimis uiris, quorum nomina in cœlis scripta sunt. Tandem tamen 16 Nouemb. ciuile hoc bellum per uiros prudentes æquis conditionibus fuit compositum.

M. Ioannes Cadurco Lemouici in Gallia exustus Anno 1532.

IOannes Cadurco Lemouicensis omni genere literarũ uir doctissimus atq; Iuris utriusq; licentiatus, ita ut etiam Tolosæ professor publicus Iuris ordinaretur. In sacris etiam literis apprime doctus erat. Cùm itaq; ille doctrinam Euãgelij intelligeret & ardenter amplecteretur, ab aduersarijs accusatus fuit. Tria autem potissimũ erant propter quæ pontificios contra sese incitarat. Primo quod in festo omnium sanctorum populum Lemouicis ad pietatem & uitæ innocentiam adhortatus erat, deinde quòd in conuiuio quodam sententiã illam explicarat, Christus regnet in cordibus nostris: Et tandem quòd in alio conuiuio omnium consensu effecerat ut quisq; sententiã aliquam ex sacris literis proferret & explicaret, ne locus esset otiosis colloquijs, saltationibus, aut alijs inutilibus iocis. Hac de causa in Ianuario Anno 1532. captus fuit. Petierat ex animo cum alijs doctis de articulis fidei conferre, sed quia omnibus literis optime instructus esset, ei negatum fuit. Vt autem aliquid ei tribuerent, concessum erat ut saltem in publica lectione errorem suum uno aut altero uerbo confiteretur, hoc enim loco reuocationis sese habituros. Dubitabat quidem primo (quæ carnis est infirmitas) quid sibi agendum esset, mox uerò à S. spiritu confirmatus palàm recusauit. Itaq; mense Iunio à honoribus licentiaturæ degradatus est in Palatio sancti Steffani, durabat actus ille per horas tres. Cũ ibidem Dominicanus sermonem ex 1. Tim. 4. De seductoribus ultimi seculi cœpisset, atq; sententiam genuinã Pauli alio torqueret, & mutilaret, ipse tandem sermonem perfecit, atq; ostendit Romanũ pontificem esse antichristũ, qui carnium esum & coniugiũ prohiberet, id quòd Paulus aperte prædixerat. Hinc in iudicio collocatus damnatur ad ignem. Is uero constanter ad ignem usq; ueritatem agnitam profitebatur, atq; Deum laudibus celebrauit, sicq; fœliciter expirauit.

Ioannes Ponitet Lutetiæ martyrizatus Ann o 1533.

IOãnes ille erat natione Sabaudus & chirurgus celeberrimus. Itaq; Lutetiã uenit atq; ibidem artem suam exercuit. Cùm uero aliquos Dominicanos, qua

qua sunt prediti castitate, morbo Gallico liberasset, atq; data occasione amicè cum illis de religionis quibusdam articulis cõtulisset, ab ijsdem accusatus fuit. Præsertim uero Doctor quidam Sorbonicus, qui Clericus dicebatur, eundẽ ad Carcerem adegit. Quum uero is constãs permaneret, nec sua sententia uellet cedere damnatus fuit capite. Triplex uero de ipsius morte sententia lata. Primo quidem ut initio strangularetur & postea cremaretur. Cùm autẽ huic confessor daretur atq; is eum hortabatur ut flexis genibus coram Idolo absolutionem à sese peteret, monachum illum acriter obiurgauit Diabolum uocans, ut qui à Christo auocare & ad Idolatriã pellicere statueret. Hoc cùm Cõfessor ad iudicem denuo detulisset, decretũ ut lingua ei excinderetur propter blasphemam suam orationem cum Monacho habitam. Quum uero nihilominus in doctrina agnita perseueraret, nec ad Monachorũ monita annuere uellet, tertio statutum, ut omissa strangulatione uiuus combureretur. Id quod etiam summa crudelitate perpetratum. sed is in fide constans hanc miseram uitam cum æterno gaudio commutauit.

Anno sequẽti scilicet 1534. Vuirtẽbergicus princeps Huldricus à Landgravio Philippo in auitum ducatum restitutus, Euangelij doctrinam publicè prędicare permisit, atq; subditis uiam ad æternam beatitudinem præparauit.

Paulò post uero Sathan Zizaniam suam quoq; Monasterij in Vuestphalia seminauit. Ibi enim Anabaptistæ scripturis abutentes Ioannem quendam de Leyden regẽ sibi crearant, Magistratu uero eiecto. Sed principes pij hanc eorum insaniã bello persequentes tandem urbem expugnarunt, & impios iusto supplicio affecerunt. Io. Sleid. lib. 10. *Anabaptistæ.*

MARTINVS GONIN, In Delphinatu Galliæ submersus, 26 die Aprilis Anno 1536.

MArtinus Goninus, natus fuit in exigua ualle regionis Pedemontanæ, Angruena nominata: cuius uallis incolæ, iam à multis annis, abusus impios traditionum humanarum probè cognitos habuerunt. Is cùm ueniisset ad eum cœtum, qui nomine cõmuni Valdenses appellantur, ministerium ab illis delatum accepit. Valdenses autem etsi boni erant homines, cum primis Deũ metuentes, summoq; uerbi Dei studio affecti: tamẽ luce Euangelij tum apud Germanos, tum etiam apud Heluetios & Sabaudos exorta, cognouerũt multa desiderari in suis ecclesijs, quæ ad ueram religionem ac pietatem pertinerent: plæraq; etiam ignoratione, ac temporum culpa iamdiu recepta retineri, quæ à pura Euangelij doctrina Ecclesiæq; disciplina abhorrerent. Itaq; eum Martinum cum Ioanne Gerardo, qui postea typographiam, summa cum laude ac utilitate Ecclesiæ, Geneuæ aliquot annos exercuit, in Sabaudiam miserunt ad Guilelmum Farellum, qui tum in ea patria Euangelium annunciabat, ab eo rogantes, ut curam etiam susciperet reformandarum atq; instituendarũ suarum ecclesiarum, cùm earum quæ citra Alpes in Delphinatu, in Prouincia Gallica, ac in Pedemontio haberentur, tum etiam illarum, quæ in Italia, in Calabria, Apuliaq; aliquem pietatis cultum ac timorẽ Dei retinerent. Quod negotium Martinus sibi commissum, cùm diligenter ac fideliter curasset, reditũ iteroq; suum instituit, mẽse Aprili, anno *M. D. XXXVI*, ut ad uallem Angruenã, suos parentes amicosq; uisendi causa proficisceretur. Eo in itinere dominus Champolionensis, Georgius Martinus appellatus, cõprehendit eum in montibus ducatus Chansauri in Delphinatu, speculatorẽ esse suspicatus. Inde ductus est ad Portam Troinam, quo in loco carcer est urbis Gratianopolis: ibiq; à magistratu eius Parlamenti examinatus. Sed cùm in eo nulla deprehendere tur suspicio eius criminis, censuerunt ut saluus & incolumnis dimitteretur. *Memorabile exemplũ constantiæ in Gonino.*

Cùm autem carcere egrederetur, Georgius Borelus custos carceris, eum per
scrutans, deprehendit quasdã scriptas literas, quas Guilelmus Farellus & An-
tonius Saunerius, alíq; ministri ecclesiæ Geneuensis, ad Pedemontanos pios
homines ac uerbi Dei studiosos mittebant. Tum custos carceris eum redire
iussit, atque in infima & obscura fossa inclusum, per duos dies detinuit. Tertio
die procurator regius cum alijs quibusdã uiris eius summæ curiæ, ad eum ue-
nit, eumq; speculatorem esse arguit, cùm literas secum adferret. Tum Marti-
nus, Legite, inquit, eas, & cognoscetis de rebus bellicis non esse scriptas, nec
ad principum negotia ullo modo pertinere: sed tantummodò complecti pia
quædam monita atq; præcepta, quibus uita in timore Dei instituatur. Tum
alij, cuias is esset, rogauerunt: atq; ex literis, quas dicebant eum habere, Luthe
ranum esse uehementius arguebant. Ego, inquit Martinus, sum ex ualle An-
gruena Pedemontana: hoc quidem tempore Geneuæ agens, artem typogra-
phicam exerceo. Nec sanè Lutheranus sum, nec uellem quidem esse cùm non
Lutherus pro me, sed Christus Iesus sit mortuus, cuius nomine censeor, Chri-
stianusq; appellor, & pro quo & cum quo, ego tum uiuere tum mori paratus
sum. Interrogatus ab illis, quis Geneuæ concionaretur, Guilelmum Farellum
& Petrum Viretũ respõdit. Tum procurator, eos duos sectæ Lutheranę prin
cipes esse affirmauit. Cui Martinus comiter contradicens, Pace tua, inquit, illi
minimè sunt ij, quos tu arbitraris, sed fideles sunt serui Dei, à quibus, sicut Apo
stoli fecerunt, pura uerbi Dei doctrina annũtiatur. Ain tu, inquit procurator,
ea omnia, quæ nos tenemus tradita à matre nostra sancta ecclesia Romana,
Missam, purgatorium, indulgentias, bona opera, & cætera huiusmodi, falsa es-
se? Martinus respondit, eam ecclesiam esse malignorum, à diabolo ortã & pro
pagatam, cuius Papa, uerus Antichristus. caput esset. Sed ita, inquit, eueniet,
quemadmodum apud Matthæum scriptum est, Vt omnis plantatio, quã non
plantauerit Pater cœlestis, euellatur. Tum procurator ex eo quæsiuit, quan-
do id futurum esset. Tum, inquit Martinus, cùm filius perditionis, qui in san-
ctuario Dei sedet, reuelatus fuerit, quemadmodũ Diuus Paulus admonuit.
Sed date mihi Biblia, & ego ostendam uobis. Satis quidem est hodie, inquit
procurator: cras tibi doctores adducent, qui aliter tibi respondebũt, Bibliaq;
& Missale adferent. Postridie igitur magna turba monachorum, Franciscano
rum, Dominicanorum, sacerdotum, cum aliquot eius Parlamenti consiliarijs,
ad eum in carcerẽ conuenit. Tum procurator, & fidei inquisitor, eum hoc mo
do interrogarunt, Age uis ne aliquid amplius dicere præter ea quæ dixisti?
Ego, inquit ille nescio quid ex me uelitis quærere. Tum inquisitor, ut omniũ
audacissimus, eum interrogare ita cœpit: In quem tu credis? Ego, inquit Mar
tinus, credo in Deum patrem per Christum Iesum, sicut continetur in symbo-
lo Apostolorũ, nec aliam fidem habeo. Inquisitor ex eo iterum quæsiuit, quo
modo ipse oraret Dominum, Eo, inquit ille, quo Saluator noster nos orare do
cuit ac uoluit: Pater noster, qui es in cœlis. Inquisitor ira commotus, interrogã
do instare cœpit. Dicis ergo suffragia nostræ matris sanctæ ecclesiæ, nihil pla-
nè prodesse? Vos quidem, inquit ille, ita statuitis & affirmatis. sed hæc inuen-
ta sunt humana & diabolica, quæ cum suo capite atq; authore Papa corruent,
quemadmodum in Apocalypsi scriptum est XVII, & XVIII. capitibus. quę qui
dem lecta eadem hora, & à Martino exposita fuerunt. Tum uerò monachi ac
sacerdotes eo furore permoti atq; agitati fuerunt, ut mensam pugnis percutiẽ
tes, ac pileos in terram suos proijcientes dixerint, nihil amplius quærendũ ac
percontandum ab eo esse, qui hæreticus damnatus esset. Si Prophetæ, inquit
Martinus, & Christus Iesus saluator meus, Apostoliq; sunt hæretici, ego quo-
que unà cum his esse uolo. neq; enim ullã aliam doctrinam, quàm eorum tę-
neo, nec tenere uolo, Ita quatuor diebus continuis, quatuorq; aut quinq; die-
rum

Disputatio inita cum Martino.

Insaniunt impy œstro ueritatis agitati.

rum singulorum horis, de capitibus religionis, atq; abusibus ecclesiæ Romanæ disputarunt. Postremò Martinus Missale ab illis petijt, ut eis ostenderet in signem abusum in eo Canone, qui ita incipit, Te igitur: cùm Christum iterum in carne sua ossibusq;, buccella panis inclusum, pro peccatis tum uiuorũ tum mortuorũ offerunt. quod quidẽ, inquit, ridiculum planè, atq; à ueritate pietateq; in Christum dominum, maximo pere alienum. Etenim summus ille salua tor Christus Iesus, in sancta sanctorum semel est ingressus, seipsumq; semel in cruce ita obtulit pro peccatis nostris, ut purissimo sanguine effuso & Patri ob lato, omnes sordes ac maculas uitiorum peccatorumq; nostrorum planè elue rit, nosq; ita expurgauerit. Nunc quidem cõtra uerbum Dei sacrificium illud renouare, atq; ita repetere, non superuacaneum solùm est, sed etiam impium, cùm hoc modo uis illius sacrificij aboleatur. Tũ rursus monachi ac cæteri qui eis adhærebant, magis insanire cœperunt ac furere, terram pedibus, mensam manibus ferientes, pugnisq; pileos prehendentes suos, dicebãt hominem esse hæreticum diabolumq; habere, quòd Missam nollet credere. Itaq; mandatum est custodi, ut eum reduceret in carcerem, atq; in turri quadam arctissimè inclusum perdiligenter asseruaret. Cùm ij qui conuenerãt, uellent abire, inquisitor eis consilium dedit, quoniam homo extraneus minimeq; in Gallia notus esset, commodissimum esse, si in profluentem proijceretur, ne populus eum loquentem audiret. periculum enim esse, ne ille gratia sermonis sui, homines deteriores quàm ipse esset efficeret, si eum audire possent. quare summũ eius prouinciæ magistratum & consilium ea de re considerare debere. Biduo pòst XXVI. die Aprilis, anno M.D.XXXVI. hora noctis nona, Suppræfectus urbis, quem Castellanum uocant, cum carnifice reliquoq; satellitio uenit in carcerẽ cùm Martinus quiescceret, ut eum comprehenderent. Quibus ille dicere cœpit, Quónam uos itis, amici? equidẽ intelligo ac perspicio quid uos agere statueritis, quòd me uultis proijcere in profluentem, ne ullus ex populo me uideat. sed Deus omnium inspector uos facillimè aspiciet. Ego quidẽ iam eo, ut cum eo perpetuò uiuã, quem rogo ut eam uobis cognitionẽ impertiat, ut hoc uestrum iniquissimum consilium & factum cognoscatis. Eamus igitur in nomine Domini: quoniã ei quidem ita placet. Hęc cùm essent dicta surrexit, seq; à carnifice ligari passus est, ut ad supplicium duceretur. Discedens uerò è carcere, omnes captiuos Deo commendauit: quorum maior pars plorabant, hi inprimis qui aliquam doctrinã & consolationem ab eo acceperant. atq; hi quidem ut animo bono magnoq; esset, magnoperè eum hortabantur. Cùm autẽ is educeretur ex urbe, pro magistratibus ac iudicibus, à quib. ita tractabatur, Deum orabat: atq; eos qui sequebantur eum, admonebat ut omnem simulachrorum cultum fugerent. Ad ripã fluminis quod Isara nominatur quum uenisset, eumq; carnifex in pede altero ligasset, uerus hic seruus ac testis Christi rogauit Suppræfectum, ut tantisper iuberet moram nectere carnificem, quoad ipse pauca quædam locutus esset. Id quum ab illo impetrasset, tum eos qui ipsum numero magno erant sequuti, docere cœpit atq; exhortari, ut toto animo & studio Euangelium Domini nostri Iesu Christi sequerentur, illudq; diligenter legerent, cùm salutis suæ causa in eo propositæ, tum etiam ut euitarent eos errores, abusus, impietates, in quibus Papa ipsos cum summa ignorantia detineret. nam si uos eum, dicebat, sequuti fueritis, præcipites in infernum ibitis. etenim quàm sit eorum impia doctrina atq; disciplina, ex ratione uitæ quã in omni scelerum ac flagitiorum genere degũt, facilè potestis cognoscere. Sequimini igitur potius Christum Dominum & Saluatorem nostrum, in quo uitam planè beatam, sine ullo mortis periculo reperietis. Hęc & alia multa dixit usq; ad sesquihoræ spatium, cum summa admiratione eorum qui illum sequuti, quasi attoniti audiebant. Tanta erat orationis eius gratia & sapientia, ut ma

Canonis missæ abusus.

Missæ abominandum sacrificium.

Consilium inquisitoris ut clam tollatur Martinus.

Constantia Martini.

Insignis & postrema Martini exhortatio.

xima eorum pars quum tam indignum tanti uiri casum cernerent, amarissimè deflerent. Sed impius carnifex tædio affectus tam longæ expectationis, qui potum uini uehementius quàm pastum uerbi Dei salutarem appetebat, eum loquendi finem facere, magna cum inhumanitate iussit. Tum Martinus positis ad oram fluminis genibus Deum precatus est, petens ab eo ueniã omnium peccatorum suorum, memorans mortem Domini nostri Iesu Christi ad misericordiam ipsius implorandam & impetrandam. Denicp hæc postrema eius fuit uox, Ego, Domine Iesu, spiritum meum tibi commendo. Statim carnifex exiguum funem collo eius illigauit, quem paruo baculo tandiu contorsit, quoad ille in terram corruerit. Tum carnifex eum in flumẽ impulit atq; dejecit, alterum eius pedem uinctum tenens: donec eum nihil amplius moueri planè perspexit. Tum uerò funem prȩcidit, corpusq; decursui fluminis permisit. Atq; hic quidem exitus fuit Martini, uerissimi & constantissimi testis Iesu Christi. Quem Ludouicus Rabus libro sexto de Martyribus ordine dicto descripsit.

Alexander Canus, qui & Laurentius Cruceus dictus Lutetiæ exustus, Anno 1534.

MEmorabile nobis exemplum Alexander Canus Aurincensis, constantiæ suæ reliquit. Is enim eiurata Dominicalium familia, in qua annos aliquot antea uixerat, locum quærens ubi profligata superstitione regnare cœpisset Euangelium, eoq; nomine ad Allobroges profectus, & annos aliquot in comitatu Neocomensi commoratus, uenit Geneuam, quo in loco Guilelmus Farellus cum alijs nonnullis fidelibus Dei ministris Euangeliũ uerè promiteri cœperat, maximo motu ac tumultu Canonicorum, Presbyterorum & Monachorũ qui tum ibi summam rerum omniũ potestatem gerebant. Quorum omnium insectatione commotus potissimùm Alexander, urbe cedere, eoq; modo saluti suæ cõsulere cogitur. Itaq; profectus per Segusianos in Galliam, uenit Castilionem Ducatus Borboniorum oppidum, indeq; Matiscoum, tandem Lugdunum. quibus omnibus locis iter faciens, Euangelij doctrinam spargebat animo maximo: eoq; tanto, ut neq; rem ullam suam, neq; sanè uitam respicere uideretur. Lugduni quidem fideles omnes qui tum aderant, hortatus sæpe fertur maxima contentione animi atq; uerborum, ac item postridie concionem habuisse frequentibus auditoribus. Vix autem ibi diutius egerat, cùm Præfecti iudiciorũ, illius ecclesiæ facti certiores ipsum comprehendunt, comprehensum è uestigio pòst morte mulctandum censent. pro uocat Alexander: Lutetiam adducitur: sæpius ad quæstionem abripitur impetu tanto, ut effracto demum crure altero exclamaret, ô Deus: postquam istorum animi misericordia moueri nequeunt, at respexeris ipse me Deus misericors. Nec desunt qui testentur gemebunda ac lamentabili uoce dixisse quoque illum, Num quis Gamaliel tandem, qui mitigandæ tantæ crudelitatis atque sæuitiæ locum apud istos quærat? Sanè tantam tamq; excellentem sanctissimi uiri in omni genere patientiã & æquabilitatem animi quum præsentes omnes admirabantur, tum quidem unus propter eximiam eius eruditionem & authoritatem ualde gratiosus, Num, inquit, sat hactenus in miserum hunc sęuitum est? num cruciatuum istorum plus satis adhibitum? Ego quidẽ ipse nõ uideo quid ex eo præterea expectare, quorsum pergere debeatis. Horum honore uerborum quieuit tormentum, quòd idcirco fuerat iteratum sæpius, ut indices exprimerentur. Decuria tota Parisiensis admirabili uiri perseuerantia stupens atq; commota, martyrisq; conturbandi locum undique & occasionem captans, sisti iudicio iubet: præsentem iudicat præter morem atque legem, qua (ut nunc quidem est) cauebatur, reos omnes quibus mortis supplicium irrogaretur, ad phylacistam reijci oportere. Alexander autem audita

dita de se palàm dicta sententia, maiorem adhuc quàm unquam antea, fortitudinem animi præ se ferre uidebatur. Breuiter, infulis omnibus sacerdotalibus ritu Papistico Alexander exauguratur: silentium facit. Verebatur nimirum ne si multus esset in sermone, quemadmodum ei fuerat indictum, lingua sibi præcideretur. Execrata linguarum exputandarum inuentio hoc primùm anno inuehi & in consuetudinem induci cœperat. Ac etsi ne uerbum ille quidem, tamen & gestu & uultu, & interiecta plerunque subrisione facilè quàm parui ceremonias huiusce modi penderet, populo declarabat. Sannionis habitu uestitus exclamat, Proh tuam, ô Deus, fidem, mihi' ne maiorem honorem haberi potuisse, quàm insigne mihi hodie deferri ei simile, quod quondam apud Herodem Filius tuus unicus accepit? Ad locum igitur supplicio delectum, Malbertinam aream, plaustro delatus, populum ad Christum agnoscendum, & ad pœnitentiam hortatur. circunstantium Dominicanorum tricis commotus, Quid? me'ne, inquit, eò adigere, ut ipsum eiurem Christum, scelesti, uultis? Facessite impostores. Postea ad Ioannem Morinum Comitiorum quæsitorem conuersus, petijt ut sibi cum populo pauca quædam agere liceret. Morinus id uelle quidem se, dicere, quod ipsum tamen ex N. Molini Basilicæ præcentoris ac choragi (aderat enim) sententia fieri posset. Molinus, id ipsum uelle se quoque: at obsecrare, iam satis ut haberet tam multis eatenus egisse. Illud autem eò subijciebat Molinus, quoniam ex quo plaustrum conscenderat Alexander, nunquam ferè populum erudire, & ut se colligeret aliquando commonere desijsset, eoq; uentum esset, ut etiam existerent, qui quidem illum iniquissimo iudicio perfusum & oppressum affirmarent. Antequã igitur ad patibulum raperetur impetrata liberè loquendi facultate, concionem habuit bene longam, sed uibrantem, sed eruditam, sapientissimisq; sententijs, & grauibus uerbis ornatam atq; perpolitam: qua concione uir constans & sapiens fidei suæ totius, ac inprimis Cœnæ Domini nostri Iesu Christi, rationem exposuit tanto studio, tanta contentione, ut pleriq; qui tum fortè ibi aderant, ipsumq; aliàs audiuerant tonantem, nunquam illum neq; tam eleganter, neq; sanè feliciter sibi uisum esse dicere faterentur. Porrò qui sermonẽ exceptum literarum monimentis mandauerunt, illi quidem hanc seriem eius perpetuationemq; tradiderunt.

Linguarum excisio quãdo cœpta.

Clarissimi uiri lectiss. q. fœminæ, qui quæq; omnes in hunc locum conueniistis ut supplicium miserè damnati hominis spectaretis, intelligite iustè id effectum quidem, si communes hominum offensiones consideremus, at si legem & consuetudinem hominum, inde maximè profectum esse, quòd cùm de multis ad salutem hominum pertinentibus rebus, tum uerò de cœna Domini nonnihil attulerim asseruerimq; præter popularem hominum opinionem. Quam Cœnam, inquam, Dominus noster Iesus Christus instituit pridie quàm pro salute mortalibus restituenda ad mortem (& quidem crucis) proficiscereturut eosdem uniuersos Deo Patri reconciliatos, arrogandos in filios eius, suosq; cohæredes instituendos, & natalibus quasi restituendos curaret. Id quod est ipse morte propria cumulatissimè sine dubitatione consecutus. Cuius rei contemplatione & memoria sempiterna Cœnam instituit: Apostolosq; docuit, hæc quotiescunq; facerent, in sui commemorationem esse facturos. Atq; hoc illud est quod ipse quoque uult Paulus, Quotiescunque manducabitis panem & hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec ueniat. Hoc autem dicebat Christus, panem distribuens: uultq; ut accipientes illum panem, tanquam monimentum & signum mortis suæ, mortem eandem suam annuntiemus, & in eadem charitate uniuersi uoluntateq; uiuamus, Itaque probare nos ipsi debemus, antequam ad mensam illam sanctissi-

Concio Alexãdri de Sacramento.

mam accedamus: nempe fidem integrã & perennem habere debemus, proq; nobis Christum mortuum esse ducere. Nam aliter, sumptum indignè tantum panem in condemnationem nostram conuerteremus, ut inquit idem Paulus: sic enim ille, Probet seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quæ omnia cùm ita mihi nota putarem, ut de ijsdem meo iure quodam mihi uiderer aliquid posse pronuntiare, sanè tenui, panem illum exhibitum nobis esse tanquam signum ac symbolum mortis Domini nostri Iesu Christi. Reliquas res, de quib. accusor, ad ipsius Dei optimi max. iudicium defero. quem unum, obsecro, precemur ut mentibus omnium Christianorum lumina sua præferat, ut & uerbum eius purè perspicueq; nuntietur, & Spiritu sancto suo Ecclesia illustretur. iacuit enim perdiu nobis ipse Iesus Christus. Ad extremum autem, ô uiri, peto etiam atque etiam à uobis ea charitate, cuius in Christo uinculo coniuncti sumus, Deum oretis, ut sicut eius Filius Iesus Christus pro me mortuus est: ita etiam ego pari pro illo constantia mori hic hodie possim. mox, Eamus, inquit. Itaque orandi munere perfunctus, sublatis in cœlum oculis, medioq; rogo existens, Rogemus, inquit, Christum ut nostri misereri, & ad finem usque perseuerantem animum meum suscipere dignetur. O Redemptor, miserere mei: ac tum denique uitæ diem extremum morte confecit.

Porrò senatusconsulto constitutum erat ut erumpente sensim igne, sicut initiò posuimus, exureretur. Ac cùm & reflaret uentus, & martyre ipso trochlea suspenso, dissectus ignis huc illuc euanescere potius, quàm ferri sublimè rapiq; uideretur, lictor fune succiso, confossum harpaginibus, & fascibus uirgultorum oppressum interemit, spectantium hominum maximo luctu & fletu, martyris longè sanè magis innocentiam, quàm ullam aut humanitatem, aut affectum animi leuiorem aliquem innuente. Quibus omnibus ita confectis rebus, erant, uel monachi, qui dicerent, Si hic saluus non esset, neminem saluum fore mortalem. Alij uerò discedentes percutiebãt pectus, dicebantq; grauem illi factam iniuriam, qui totus in Dei solius commemoratione fuisset. Alij denicq; legi sustinendæ suæ pertinaciter immortuum: mirumq; sibi uideri, istiusmodi uiros quotidie passim, dum legis illius suæ conscientiam ipsi uitæ, nedum rebus omnibus humanis anteponunt, adeò fideliter, adeò constanter ad ignem ruere uoluntarium. Atq; hæ quidem erant una de re singulorum hominum uariæ discrepantesq; sententiæ.

Annus 1534. publice Lutetiæ affixorum Programmatum & Inscriptorum nominatus: in quo multi martyres facti.

Occasio persecutionis.

ANni 1534. tempus cùm ad uarios rerum & ancipites euentus plerisque in locis, tum Lutetiæ maximè insigne & fatale fuit. Nam cùm Gerardus Ruffus Margaritæ Francisci Galliæ Regis sororis, Reginæ Nauarræ auspicio, & Couraldus, & Berthaudus, alijq; claris. uiri quidam ita demùm Euangelij ueritatem enuntiarent, ut tum primùm illuxisse Lutetiæ uerbum Domini uideretur, Euangelij perduelles Sorboniſtæ quum horum hominum splendorem in dicendo, & concurrentis illò populi celebritatem & frequentiam animaduerterent, expugnauerunt ut illis suggestus interdiceretur, grauissimo dolore eorum qui ex huiusmodi concionibus plurimùm se concutos esse arbitrabantur. Illi tanta iniuria Reipub. commoti Christianæ, concionem in priuatam & domesticã docendi rationem æquali ferè successu profectuq; conuerterunt. quod ipsum quoq; pertæsi hostes iurati ueritatis, rursum obtinuerunt, ut de concionibus interdictum etiam ad domesticam Euangelij profitendi & in præcepta digerendi consuetudinem in dicta grauimul-

cta

cta pertinere putaretur. Quo nomine Gerardus ipse comprehensus, Couraldus in custodiam pontificiam traditus fuit. Porrò fideles destituti concionibus, defecti doctoribus, in luctu & squalore uersabantur. Vnde impetu quodam animi præcipiti commoti magis quàm usi cogitatione nonnulli, operæpretium censuerunt esse, rem ad Allobroges deferre, idq; sequi potissimùm quod optimum interea factu putarent. Itaque Peretum quendam famulum tum pharmacopolæ Francisci Regis, ad eam expeditionem deligunt, delectum expediunt: qui Neocomum profectus sub id ferè tempus cùm Guilelmus Farellus Euangelium populariter auspicatò Geneuæ profiteri cœpisset, programmata quædam in Missæ deliria, & rituum huiusmodi papisticorum ludibria characteribus excudi curauit. Quibus inscriptionibus Lutetiam deportatis, deductisq; in deliberationem proferri ne eas, an omnino comprimi oporteret, Couraldus ipse quidem minimè proferri censebat oportere. hinc enim & motum maximum populi fore, & huius totius facinoris inuidiam in odium atque caput fidelium hominum redundaturam esse. Ad extremum autem placuit optimis quidẽ illis & studiosis hominibus, at feruidioribus, usuq; rerum minus quàm illa tempora postularent eruditis, ut non modò perferretur, sed etiam compitatim affigerentur.

Missa publicè notata incitat regem.

Erant ea programmata libelliq́ue illi stylo confecti uibrante quodam & incitato: inq; potissimùm ipsam Missam turbinem & funus sacrosanctæ Cœnæ Domini nostri Iesu Christi, impetu rapidissimo ferebantur. Spargũtur igitur in uulgus partim illi libelli momentò Lutetiæ mense Octo. partim, etiam percõpita passim, ac in ipso ostio Basilicani cubiculi affiguntur. Quod cùm Franciscus Rex intellexisset, iram oculis & ore uomens, uel eos qui tenuissimam aliquam in suspicionem incidissent, nulla cuiusquam habita ratione, comprehendi iussit: cuius edictum tanta rerum omnium consecuta fuit perturbatio, ut maiorem patrum nostrorum memoria fuisse constaret nullam. Suppræfectus Comitiorum Ioannes Morinus huc illuc concursans in domos atq; gymnasia penetrat ac perrumpit: neque, dum nemini parcit omnino, personarum rationem habet neq; locorum. In hac rerum conuersione summa cùm plericq; luctuosè comprehenduntur, in flammamq́ue conijciuntur, tum Simon quidam aurifex, idemq; Regi à sacello, ipsi Regi propter singularem eius canendi artem uocisq; suauitatem uehemẽter sanè charus & dilectus. Multi eo tempore ad Machinam alligati, & in altum sublati, deinde in ignem è sublimi demissi, & rursus adducti: carnifice demum abscindente funem in subiectam flammam corruebant. Iis etiam qui paulo uidebantur eruditiores antequam producerentur lingua resecta fuit, ne uel supplicij causam uel suæ doctrinæ summam populo explicarent. Id quòd testatur Ioann. Sleid. lib. 9. At eorũ omnium qui illo tempore constantissimè fortissimeq; pugnãtes pro Domini nostri Iesu Christi dignitate decubuerunt, hi nimirum sunt præcipui.

B. ARTHELOTVS MILONVS quidem in primis, qui ut erat, ita Paralyticus appellabatur, iuuenis summa membrorum omnium debilitate, excepta lingua & brachijs, captus atque oppressus, tanto spiritus feruore & pietatis studio amoreq; accensus fuit, ut nullum tempus instituendi ac monendi unumquenq;, & amplificandi gloriam Dei prætermitteret. Itaq; uiuum in platea Greuensi, paruo lentoq; igni crudeliter ustulandum curauerunt.

IOANNES à BVRGO mercator Parisiẽsis, cuius domus Insigne equi nigri habebat, propter eandem causam religionis restituendæ, in eadem urbe apud Hallas, uiuus comburitur.

NICOLAVS VALLETONVS, Quæstor ærarius apud Nannetes Britonum, in eadem causa Euangelij ac religionis deprehensus, ab aduersarijs

ad crucem du Tiroir eandem pœnam perpessus est, & uiuus ibidem Lutetiæ crematus.

HENRICVS CVBERONENSIS eandem in pœnam fuit uocatus, faber cœmentarius, cui etiam lingua fuit perforata, & ad alteram genam clauo ferreo allígata.

STEPHANI quoq; *FORGEI* non minus etiam beata atq; summa cum beneuolentia & charitate laudeq; Dei usurpãda est memoria. Is natione Tornacensis erat: ac Lutetiæ agens, mercaturãq; summa cum existimatione exercens, in eandem temporis inuidiam offensionemq; adductus, in cœmeterio S. Ioan. easdem ignis flammas perpessus, morte sua testimoniũ Euangelij, maxima cum pietate, constantia, animiq; æquitate obsignauit.

Sacerdos quidam in Vngaria martyrizatus: ex Tomo 2. conuiual. sermonum Io. Gasti.

EPiscopus impius Vngariæ sacerdotem pium, qui prædicauerat carnium esum in scripturis diuinis non esse prohibitum, in uincula coniecit, quem & post hebdomadas aliquot è carcere produxit pœna adficiendum. Onerauit autem pium Christi ministrum leporibus, anseribus, & gallinis circa corpus undiq; pendentibus: cõtra eum postea instigauit canes, qui, quicquid potuerunt attingere, crudeliter decerpserunt. Sicq; pius homo actus à canum latratu per totam ciuitatem interijt. Triste spectaculum multis, sed ridiculum impijs. Verum paucis post diebus morbo Episcopus afflictus, & ad insaniam redactus miserrime mortuus est. Ita dominus Deus sæpius & in hac uita Tyrannos punire horribiliter solet, ut pij confirmentur, & terreantur impij.

N. QVOQVILLARDVS Vesontinus, in patria martyrizatus, 1534.

VEsontione in comitatu Burgũdiæ fuit quidam, Quoquillardus nomina tus, qui confessione piæ doctrinæ præclarè edita, primùm de gradu sacerdotali iuridicialiter erasus, deinde ad supplicium adductus, mortem in ea urbe æquo magnoque animo pertulit, atq; eo testimonio Euangelium glorię Dei illustrauit, anno eodem *M.D.XXXIIII.*

Atrebatenses tres pro Euangelio passi, Anno 1534. in patria.

ANni eiusdem mense Aprili in urbe Atrebatensi, capitis damnati pro eadem Euangelij doctrina & causa religionis, mortis supplicio affecti fuerunt, Nicolaus scriba cognominatus, in quodam Artheliæ loco natus, non procul à pago Paso in Arthesia. Itẽ Ioan. à Pisis, ipse Atrebas, atq; Stephanus Burletus, sartor uestiarius natus Beurici uiculo in diœcesi Tornacensi.

MARIA BECAVDELLA Essaris exusta, 1534.

MAria Becaudella, cõgnomento Gaborita, Essaris nata in Pictonibus, ex ditione comitis Fontenani, in urbe Rochella apud quendã patremfamiliãs, cui seruiebat, in pietate religioneque Christiana fuit instituta. deinde Essaros profecta, ut ibi commoraretur, cùm Franciscanum quendam, uerbũ Dei non purè integreque annuntiantem audiuisset, certissimis Scripturæ testimonijs eum redarguit atque admonuit. Quare cõmotus Franciscanus, egit ut illa pluribus q; decem testibus adhibitis, eadem uerba repeteret. quæ quidem illa minimè negauit: sed in pura & sancta fidei suæ ac ueritatis confessione constanter perseuerauit, grauissimum Dei iudiciũ ei denuntians, Itaq; Fontenani

tenani condemnata ut igni cremaretur, eaq; sententia authoritate summæ curiæ Parisiensis confirmata, mortem eam eximia quadam magnitudine animi potius uirilis quàm muliebris pertulit.

PETRVS GAVDET, In arce Peneia exustus 1534.

PEtrus Gaudetus è Valligalienſi pago, nõ longè à S. Clodoueo prope Lutetiam ortus, poſtquam inſtitutum ordinemq; eorum profeſſus eſſet, qui equites Rhodienſes appellantur, Geneuam in eccleſiam Dei cum uxore ſua ſe contulit, anno *M. D. XXXIIII.* Poſt annum circiter dimidium, quidam eius auunculus eques Rhodienſis, commendator Compeſiarum, acerrimus Euangeliĩ inimicus, quum eum Geneua doloſè ac fraudulenter euocaſſet, *XXIII.* Iunĩj, pridie eius diei qui S. Ioanni ſacer celebratur, comprehendendum curauit per homines proditores, qui in arce Peneia partes epiſcopi Geneuẽſis, ex ea urbe tum eiecti, tuebantur. Quum autem ea in arce quinq; dies cum grauiſſimis tormentis & cruciatibus incluſus fuiſſet, ſemper cauſam Euangeliĩ fortiter conſtanterq; defendens, poſtea lento igni ſæpius repetito adeò crudeliter uſtulatus eſt, ut ex igni eductus atq; in eundẽ reductus ac remiſſus fuerit. Atq; in hoc quidem tam atroci ac horribili ſupplicij ac tormenti genere, Deũ ſine ulla intermiſsione inuocauit, ipſoq; ſecundo die ſpiritum reddidit, Anno *M.D.XXXV III.* *Inaudita immanitas.*

IOANNES CORNON, Matiſcone uiuus combuſtus, Anno 1535.

ANno *M.D.XXXV.* menſe Maio, Matiſcone Euãgeliĩ nomine fuit captus, atq; in carcerem incluſus Ioannes Cornonus, ex ipſa regione Matiſconenſi, homo colonus, agris colendis deditus, in ipſa uerbi Dei doctrina ualde piè inſtitutus, ac bene exercitatus: quamuis nullas ſciret literas. Quũ enim coram iudicibus productus eſſet, ea ſpiritus tum ſapientia tum conſtantia eis reſpondit, ut confuſi & attoniti huiuſmodi pœnam in eum conſtituerint, ut uiuus combureretur. A qua ſentẽtia is nullo modo unquam prouocare uoluit. Itaq; tractus crate ad ultimum ſupplicium, inſigne morte ſua teſtimonium ueritati dedit, ad finem menſis Iunĩj, anni *M.D.XXXV.*

Paulò poſt Auguſtæ Vindelicorũ atq; in circumiacenti Sueuia Euangeliĩ doctrina ſuſcepta. Sleid. lib. 11.

Sequentem Hiſtoriam deſcribit Ioannes Gaſtius in tomo ſecundo conuiualium ſermonum, de paſtore pio ab impio occiſo non procul ab urbe Baſilea, Anno 1539.

SAcerdos quidam erat inſignis adulter, luſor, & uinipotor, quem nihil puduit dicere aut facere. Voluit is papiſticis quibuſdam inſeruire, & eam ob cauſam ijs gratior eſſe. Accidit ut hoſpitio ab ſanæ doctrinæ eiuſdem diœceſeos presbytero excipereť. hic nemine urgente eadẽ in cœna adeo fit ebrius ut neſciret quid ageret, aut finxit fortaſſe ſe bene potum, quò commodius quod in uotis habebat perficeret. Hic ergo poſt primum ſomnum ſurrexit ẽ lecto ac hoſpiti feneſtras magno impetu ſcamnis admotis fregit, fornacem deſtruxit, menſam euertit, & libros lacerauit. Bonus paſtor audito hoc tumultu excitatur è ſomno, inclamans: Quid agis domine chariſsime? quis te moleſtat? quid tumultuaris? habés ne aduerſarios, à quibus tibi & mihi ſit cauendum, paucis ſignifica. Cùm autem cubiculum aperuiſſet, ab impio illo ſacerdote gladiolo trãsfodiť. Inclinat ſe mox uulnere accepto in terrã ac caſu ſpiritum exhalat. Accurſum eſt à uicinis clamãte & eiulante familia, capiť homicida, detineť publico in hoſpitio ad dies aliquot cathenis uinctus, ne per aſtutiã elabereť. Verũ amici & cõſanguinei occiſi ſacerdotis nõ potuerũt impetrare

quo

quo plecteretur homicida ſupplicio digno. Noluit enim hoc ſuperior potéſtas, quæ contendit uinctum Epiſcopo eſſe mittendum, cuius ſit uel perdere homicidam uel liberum facere. Conqueſti ſunt ruſtici indignam hanc rem eſſe: idem faciebat nobilis, qui pagi eius præfectum agebat, dicentes, Valde inconueniens eſſe ſacerdotem homicidam dimitti, quum prius tot probi uiri & coniugati ſacerdotes aquis ſint ſuffocati, & propter rem leuem capite ſpoliati, nullo habito Epiſcopi reſpectu. An iſti ſceleſtiores, quam homicida ille & latro, qui pium paſtorem in propriis ædibus interfecerit? Reſponſum, nemini contra ſublimiorem poteſtatem licere uel hiſcere, ni uelit extremum periculum ſubire. Iam aliud ſeculum eſſe quam in tumultu ruſtico. Poteſtatis eſt ſtatuere quod uult, ueſtrum eſt obedire. Epiſcopo itaq; latro datus, qui ad dies aliquot uinctus, deinde dimiſſus ac ditiori beneficio Eccleſiaſtico donatus ob rem præclare geſtam. Dixerat enim ſeſe Lutheranum ſacerdotem ſtudio interfeciſſe.

CLAVDIVS PICTOR Lutetiæ exuſtus 1540.

CLaudius Pictor, natus Lutetiæ in ſuburbano ſancti Marcelli, profeſſione aurifex, eſt Genevæ in eccleſia Dei annos circiter tres commoratus. Deinde Lutetiam reuertendi cepit conſilium, ut propinquos, parentes, amicoſq;, gratiæ quam à Deo acceperat, participes faceret, eoſq; in cognitione ueritatis inſtitueret. ab illis traditus eſt Morino præfecto rerum capitaliũ. qui audita eius confeſsione puræ Chriſtianæq; doctrinæ pleniſsima, condemnauit eum ut uiuus igni cremaretur. Curia parlamenti ſuprema, Morini ſententiam ſuo more corrigens, addidit etiam, ut ei lingua præcideretur. Cùm in plateam Malberti ad ſupplicium, eo in loco conſtitutum, duceretur, admirabilis eius fuit conſtantia & animi moderatio in uultu atq; geſtu declarata, cùm probra, quibus homines eum ad ſupplicium euntem proſequebantur, æquo animo ac uultu alacri & hilari exciperet ac ferret. Eandem ánimi æquitatem atq; alacritatem retinuit & declarauit in ipſo genere mortis ſuſcipiẽdo, quo uiuus igni conſumptus eſt, anno *M.D.XL.*

STEPHANVS BRVNVS, Reorterienſis, Ebreduni occiſus 1540.

STephani huius, quem meritò inter alios conſtantes ac fideles Chriſti martyres numerandum cenſemus, hiſtoria uel ob id admiranda magis omnibus accidere debet, quòd ipſe qui rei ruſticæ colẽdiſq; agris toto uitæ tempore operam dederat, natus ſcilicet atq; in Reorterio pago quodam Delphinatus, ſcientia ueritatis omnes Ebredunenſium aſtutias confutarit, atq; Archiepiſcopatus Ebreduni laruas facilè detraxerit, præſentiq; animo hypocriſim ſacrificorum reprehenderit. Quamuis autem liberales artes in ſcholis non addidiciſſet unquam, Galliceq; tantũmodo legere & ſcribere noſſet, lectioni noui Teſtamenti magnoperè addictus, ex quo ſacrificorum errores deprehenderat: tamen quæ erat innata hominis ingenio dexteritas, quò certius omnes Papiſtarum tergiuerſationes & fallacias cognoſceret, ſummo labore tandem perfecit, ut conferendo aſsiduè exemplar Gallici teſtamenti cum Latino, ipſe etiam Scripturæ teſtimonia Latinè & recitare & intelligere potuerit. Cæterũ cùm hæc lux lippitudini multorum moleſtior eſſet, accidit ut anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo in carcerem Archiepiſcopi incluſus fuerit, ubi primùm circunuentus aduerſariorum neſcio quibus technis (quas homo & ſimplex, nec callidus admodum, parum intellexit) formulam abiurationis latinè ſcriptam recitauit. Verùm carcere illo liberatus ubi fraus inimicorum ei ſubole-

Veritatis ſtudium in pijs.

ei ſuboleuit, re & uerbis ſæpius animi dolorẽ teſtatus eſt, ſuæq; carni ſuccenſuit, quòd tam propenſa fuiſſet ad defectionem, ſibi quoq; ipſe ſubinde ita minans, Me miſerum, haudquaquã cadauer iſtud euadet, ſi me rurſum capi contingat, ſed periurij pœnas dabit, ſpero.

Anno itaq; M.D.XL. Brunus iterum in uincula coniectus Ebreduni fuit, per ſequente eum Gaſparo Augerio Vapincenſi, redituum Archiepiſcopi redemptore, qui bona Bruni publicanda atq; in fiſcũ redigenda, iam tota ſpe, animo & cogitatione deuorarat. Ille, inquam, opera Inquiſitoris Franciſcani, cui Domicelli erat nomen, & alterius cuiuſdam Vicarij nequitia utens, omni ratione uitæ Stephani inſidias ſtruxit.

Stephanus aũt in carcere per aduerſarios laceſsitus ad palinodiã canendã (ut prius imprudens fecerat) ne latum quidẽ unguem eis ceſsit, ſed minas & & preces illorum præpoſteras fortiter contemſit. Quum illi proponeretur, uxori adhuc iuueni, & quinq; liberis penuriã fore, illo mortuo: Modò, inquit, liberis meis pabulum animi, quod eſt Verbum Dei, concedatur, de pane corporis non ſum ſolicitus.

Menſe autem Iunio eiuſdem anni ductus ad Iudices ut ei ſententia capitis pronũtiaretur, ſic eos intrepido animo eſt allocutus, Quid agetis miſeri? mortis ne me damnabitis, qua mihi ex hac uita demigrandum ſit? mors ſanè mihi terribilis nõ eſt, quum ex miſerijs ad beatam immortalitatem tranſiturus ſim. Ad locum ſupplicij Planuol appellatum quum duceretur, plebem ad pietatis ſtudium hortatus eſt. ibi ui & impetu uenti flammam huc illuc abripientis ac deprimentis, intactus ferè unius horæ ſpatio ad palum ligatus ſtetit, adeo ut noua ſarmenta & uaſa olei plena, conſumptis lignis, afferri neceſſe eſſet, quibus ignis adiuuari poſſet: nec tamen ita rectè comburi potuit quin ſaluus adhuc euadere poſſe uideretur. Quo uiſo carnifex fuſtẽ in hominis caput totis uiribus impegit. Cui etiamnum uiuens dixit Stephanus, Cùm igni adiudicatus ſim, ecquid me uis baculis enecare uelut canem? Tum carnifex præpilato baculo uiſcera Bruni traiecit, quem proſtratum in cineres redegit: atq; eos poſtea in rupe collocatos uentis tradidit. Magiſtratus autem per præconem uetuit ne quis mentionẽ ullam mortis illius faceret, niſi hæreticus haberi uellet, eundemq; caſum & exitium experiri.

Miraculum ingens.

CONSTANTINVS NORTHMANVS cum tribus ſocijs Rothomagi interfecti 1542.

ROthomagi, cuius urbis ciues à Cæſare Aulerci ſunt appellati, fuit quidã Conſtantinus, qui anno M.D.XLII. pro tuenda Euangelij doctrina, cum alijs tribus confeſsionis Chriſtianæ ſocijs & comitibus, inſignem martyrij laudem tulit. Is quum plauſtro, quo lutum & quiſquiliæ urbis euehi ſolent, ad ultimum ſupplicium duceretur, lætabundus ita loquutus dicitur, Nos quidem nunc excrementa mundi ac reiectamenta ſumus, teterrimi coram hominibus fœtoris: ſed lætemur & gaudeamus, quoniã odor mortis noſtræ ſuauiſsimus & pretioſiſsimus coram Deo eſt futurus. Sicq; conſtantes uitam hanc cum cœleſti gaudio mutarunt.

IOANNES DV BEC, Trecis uiuus combuſtus 1543.

IOannes Becus, Eſſaris natus prope Sedanam in Bria, quũ propter doctrinam Euangelij diu incluſus in carcere multa grauia & acerba perpeſſus eſſet, ſemper tamen & conſtanter confeſsionem Chriſtianæ fidei antea editam retinuit, quũ ad iudices productus, tum uerò publicè eo tempore quo de gradu Papalis ſacerdotij motus eſt. Poſtremò Trecis in urbe Cãpaniæ maxima, uiuus eſt combuſtus menſe Iunio, anni M.D.XLIII.

FRAN-

FRANCISCVS BRIBARD in Gallia martyr factus 1544.

FRanciscus Bribardus, Clemonensis in Sologniа, qui Secretarius Cardinalis Bellaij dicebatur, post linguam excisam, mortem pro cõfessione Euangelij fortiter constanterq; pertulit.

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERVNT, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER QVARTVS.

PETRVS BRVLI, Tornaci exustus 17 Feb. Anno 1545.

Belgarum Ecclesiastes.

MAGISTER Petrus Brulius, natione Lotharingus, Argentinæ minister ecclesiæ Gallicanę. Hunc fideles homines inferioris Germaniæ ac ditionis Imperatoris rogarunt, ut urbes Flandriæ, Hannoniæ, Artheſiæq; inuiseret, in quibus multi erant pij Deumq; metuentes, qui fame cibi cœlestis laborabant, & uerbi Dei consolationem magnoperè desiderabant. Itaq; illud iter pietatis plenum suscepit Brulius, ex sententia & permissu ecclesiæ, cui tum seruiebat, eoq; est profectus in septemb. Anno 1544. cũ testimonio scripto Martini Buceri, qui eo tempore præcipuum ecclesiæ ministerium Argentinæ sustinebat. Cùm autẽ fideliter ac diligenter munus iniunctum obiuisset, atq; urbes, Vallencenas, Tornacum, Atrebates, eamq;, quæ Insula appellatur, inuisisset, Tornacum postea sub finem Octobris reuersus, tanto animi studio uerbum Dei ea in urbe annuntiare cœpit, ut aliquando ianuis apertis pios homines doceret. Quamobrẽ magistratus eius ciuitatis certior factus, portas urbis tribus propè diebus claudi iussit, ipsumq; Bruliũ diligentissimè conquiri, prẽmio ei constituto, qui eum uiuum aut mortuum tradidisset. Qua re fideles magnoperè perculsi, cùm eum apud se aliquot dies occultassent, ac saluum cuperent emittere, 2 die Nouembris in sporta positum nocte per murum demiserunt. Sed cùm iam in fossam descendisset, atq; unus ex ijs qui eum dimiserunt sese in murum inclinasset, fœlicem ei noctem præcando, lapis magnus è superiore muro delapsus, tibiam ei fregit. Eò factum est, ut mane ibi deprehẽsus sit, & comprehensum in arcem urbis detulerint. Is enim frigoris uehementiam & doloris acerbitatem conquestus à uigilibus turrium exauditus fuit. Cùm autem eò deferretur, maximas Deo agebat gratias, cuius admirabili prouidẽtia retentus esset tum, cùm uellet effugere eam persecutionem, quam ipse sua prædicatione excitasset. Is igitur quandiu fuit in carcere, officio semper functus est ueri & constantis testis ac martyris, cùm priuatim, tum etiam apud magistratus, quibus Iesum Christum eiusq; Euangelium, nõ minus liberè & constanter, quàm integrè ac fideliter cõfessus est. Eo toto tempore, quo captiuus in carcere diu fuit, permulti eum inuisebant: quidam stulta curiositate, ut Germanicum prædicatorem captiuum uiderent: alij improba cupiditate, ut illi resisterent: nonnulli meliore mente, studio ac uoluntate, ut co-

ut cognitione Dei & doctrina Euangelij ab eo instituerentur. quibus summa cum gratia satisfaciebat. Vt autem studio amicorum satisfaceret, confessionem fidei suæ editam conscripsit, nomine uxoris eam ad omnes fideles mittens, quam conuersam in Latinum sermonem huic loco intexere uoluimus, ut cognoscatur quanam ratione Inquisitores cum pijs illis hominibus, Euangelij gratia comprehensis, in carcere progredi sint soliti.

Petri Bruli Epistola ad uxorem. Iesus Christus crucifixus saluator sit tuus.

EGo, charissima soror in Christo Iesu, literas tuas legi, ad me per Margaritam missas, quæ animum meum uehementer affecerunt: propterea quòd ex his facile perspexi, te ac fratres omnes, de me maximopere laborare. Quòd autem ad uincula mea pertinet, sint'ne mihi ingrata & tristia, an cum magna mea consolatione aclætitia coniuncta facilè tu intelligere poteris ab exemplo earum literarum, quas ad fratres meos, unà mecum captos propter uerbũ Iesu Christi, hisce diebus misi, ex quib. tu planè cognoscere poteris, quid ego in meipso senserim, & quid alijs uoluerim persuadere, ac quemadmodum nihil postulem ab his ac pro his, quod in meipso nolim præstari. hoc autem (testis est Deus) ut Dominus noster me in sua protectione, atq; in uera cõfessione ueritatis custodiat. Quanquam domesticus quidem inimicus magnopere me affligit: tamen sancti spiritus uirtute conteret. Nam Christus Iesus, in quo ego spem meam posui, plus boni mihi præstabit, quàm ego possem ulla cogitatione comprehẽdere. Pro illius honore ego me semper exponam, siue igni siue aquæ, aut alteri tormento, quod ab aduersarijs excogitari poterit: huiuscemodi tamen quod Deo placuerit. Reliquum est ut ad te scribam ea quæ ex me requiris, quemadmodum ego interrogatus fuerim, & tum iudicibus, tum doctoribus responderim. In quo quidem nimium longa esset oratio, si omnia, quæ ab illis ex me sunt quæsita atq; interrogata, aut à me eis responsa, uellem perscribere, ne possem commode quidem ea ad uos scribere. Necq; existimo te ea omnia quærere: sed tantummodo ea & interrogata & responsa, quæ ad fidem doctrinamq; Christianam pertineant. de his igitur breuiter scribam.

Ac primùm doctor Hasardus, monachus sectæ Franciscanæ uicesimo sexto die Nouembris cùm adesset præfectus arcis Tornacensis, & uicarius sitie locum tenens, ut uocant, præfectorum ac iuratorum eius urbis atque iurisdictionis Imperatoris, me interrogauit quid de sacramento altaris & Missa sentirem. Cui ergo respondi fideles qui à ministro panem & uinum accipiebant, uerè corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipere, non uentre, aut ore, sed mente, animo, corde: idq; beneficio Spiritus, in eis fidem excitantis & confirmantis, quæ promissiones ibi propositas amplectitur. harum prima est. Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Altera, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui in remissionem peccatorum effunditur. Quæ fiuit idem doctor ex me, si transubstantiationi ullam fidem adhiberem. Cui respondi, me eam non credere, sed panem manere panem, & uinum eodem modo suam naturam retinere. itaq; Spiritum sanctum nominare panem & uinũ, etiam post Cœnam, atq; ita me nõ uereri ut errarem, cùm ita loquerer, ut Scriptura sancta consueuisset.

De sacramento.

Transubstãtiatio.

Deinde quæsiuit, an cùm uerba sacramentalia à sacerdote pronuntiata essent, ibi in altari uerum corpus & sanguinem Iesu Christi esse crederem. Cui respondi, me nullam aliam recipere consecrationem, quàm eã quæ à ministro in Cœna celebranda adhibetur, cùm minister populo, qui eò conuenit, institutionem Iesu Christi recitat eo genere sermonis, quod ab omnibus intelligatur, cum commemoratione mortis ac passionis Iesu Christi, qua memoria tanti beneficij renouatur. Eam esse uerã consecrationẽ, quæ ex instituto Domini

in Cœna fieri debeat. Illũ uero obſcurũ ac tacitũ cum pane ſermonẽ atq; obmurmurationẽ, non eſſe conſecrationẽ, ſed actionẽ huiuſmodi, quæ ad incantatores, exorciſtas & magos potius, quàm ad Chriſtianos pertineret. Nam, quemadmodũ ſatis conſtat, Chriſtus Cœnã faciens, uerba ſua ad Apoſtolos qui aderant, non ad panẽ & ad uinũ dirigit. Tum quæſiuit ex me, quid de Miſſa. Miſſa ſentirẽ. Ego ei reſpondi, Miſſam, quemadmodũ hodie quidẽ in eccleſia Romana dicitur, nullo modo eſſe Cœnã Ieſu Chriſti, ſed potius eius corruptionem, cum ſumma Chriſti iniuria, atq; abolitione mortis ac paſsionis eius.

De adoratione uerò quæ ibi fit, ego eis conceſsi, ipſos panem ac creaturã adorare. In quo cùm mihi reſpondiſſent, Nos igitur omnes ſumus idololatræ: ego ſtatim, Vos ergo, inquã, uidetis in quanta mala uos ij conijciunt, qui uos à uerbo Dei abducentes, ad ſomnia ſua audienda, & doctrinas hominũ tradu cunt. Multa alia ea de re dicta fuerunt: ſed hæc ſunt præcipua.

De purgatorio. Poſtea interrogatus fui de purgatorio, an crederẽ aliquẽ eſſe locũ, in quem animæ ex hac uita deſcenderent, ut pœnã peccatis debitã luerent. Ego tum reſpondi, me non aliud purgatoriũ credere, quàm ſanguinẽ Ieſu Chriſti, neque aliam purgationẽ quærere. Tum quæſiuit ex me, an crederẽ culpam ſimul & pœnã condonari. Cui reſpondi, utramq; Deum homini remittere, neq; dimidiã gratiã facere: ſed cùm aliquid ignoſcit, ſimul & culpã & pœnam ignoſcere. Ex quo illa interrogatio eſt conſecuta, quid mihi uideretur de tot egregijs Miſsis, precibus, alijſq; bonis operibus, quæ pro mortuis hominibus quotidie fierent. Dixi huiuſmodi opera cultus eſſe, ſine uerbo Dei in eccleſia inſtitutos, eamq; ob cauſam eſſe uanos atq; infructuoſos, atq; etiam, quia ſine fide fierent, peccata eſſe. ſcriptum enim eſt 14. Roman. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.

Cùm autem mihi dixiſſent, omnes Sanctos qui antè fuerunt, & eadem pro mortuis egerunt, errauiſſe: reſpondi, omnes Sanctos ſuperiorũ ętatũ, qui mortuis huiuſmodi officia ac iura tribuerunt, ignorantia & peccato implicatos fuiſſe. ita minimè mirũ uideri debere, ſi conſuetudines ſuo tempore receptas ſequuti fuerunt. In his quidẽ rebus me nolle eos à peccato eximere ac excuſare. De ueneratione aũt Sanctorũ, quæſiuerunt ex me, quid de ea ſentirẽ. quib. De ueneratione Sanctorum. ego reſpondi, nos melius nõ poſſe Sanctos honorare, quàm ſi fidem, quæ fuit in illis, ſequeremur: eodemq; modo charitatem, patientiã, humilitatẽ, aliasq; eorũ uirtutes imitaremur, quibus illi Ieſum Chriſtum ſequuti ſunt & imitati. Nam in eo quidẽ tantummodo nobis ad imitationẽ proponi debent, in quo Chriſto domino conformes extiterunt, eiusq; exemplũ ſequuti ſunt, ſicut monet Apoſtolus, Eſtote mei imitatores, ſicuti ego ſum Chriſti. Feſtos uerò dies Sanctorũ inſtituere ac celebrare, ieiunia uigilijs eorũ indicere atq; obire, imagines effingere, eisq; accendere candelas, hoc non eſt Sanctos honorare, ſed potius ex his idola facere, eosq; omni dedecore afficere. Hoc autẽ ita eſſe, illud facilè declarat, quòd illi in hac manentes uita, huiuſmodi cultus ſemper deteſtati fuerunt.

Sancti an inuocandi. Quæſiuerunt etiam ex me, quid mihi uideretur de ijſdem Sanctis orandis atq; inuocandis, eorumq; interceſsione apud Deum. Reſpondi eam doctrinam non eſſe Dei, ſed potius blaſphemiã eius non ferendam. Hoc enim modò illis attribui, quod ad unũ Deum pertinet, qui ſolus res cognoſcit abſentes: quam poteſtatẽ ſanctis defunctis attribuunt, cùm credunt illos audire preces ipſorũ, cùm eos orant, quaſi neceſsitates ipſorũ cognoſcerent. Præterea huiuſmodi doctrina cum Chriſti contumelia eſt coniuncta, qui unus mediator, aduocatus, atq; etiã interceſſor à Deo patre eſt cõſtitutus. Atq; hoc quidẽ de ijs, qui ex hac uita deceſſerunt, intelligendũ puto. Cæteri uerò, qui in ea remanſerunt, alij pro alijs orare poſſunt, & ſe mutuis precib. orationibusq; adiuuare.

Quæſtio

Quæstio uerò de libero arbitrio minimè fuit prætermissa: in qua diligenter à me quæsitum est, quid de eo sentirem. Respondi, ut sermo de libero arbitrio pro dignitate rei haberi possit, hominem pro diuerso ac uario ipsius statu, in quo uersatus est uariè considerandum esse. Primùm, credo hominem primũ ad similitudinem Dei atq; imaginem creatum, habuisse libertatem tam ad bonum quàm ad malum, eumq; solum quæ esset uis & facultas liberi arbitrij cognouisse, quoad in integritate sua permansit. Sed homo miser atq; infelix, hoc Dei donum nõ diu retinuit, sed suo peccato illud amisit. neq; is solùm, uerum etiam ij omnes, qui ex naturali Adę semine sunt orti ac propagati, adeò ut nullam prorsus facultatem habeant, qua relicti in sua natura, aliquid boni coram Deo facere possint: sed omnia in ipsis praua reperiuntur. Nunc quidẽ, ut qd' uerum est dicatur, nullus est ex filijs Adæ, qui ullam boni scintillã habeat, nec quidem potest ullum liberum arbitrium habere: omnes enim homines natura sua currunt ad malum. Itaq; Apostolus dicit animalem hominem non percipere quæ sunt Dei, ea etiam stultitiam illi esse. Apud Oseam Dominus ita inquit, O Israel, perditio tua ex te. Et alio loco dicit Apostolus, prudentiam carnis inimicam esse Deo. Hæc Spiritus testimonia satis ostendunt nullum liberum arbitrium ad bene agendum nunc esse in homine coram Deo. Dico autem nominatim corã Deo, propterea quòd homo multa egregia opera, ipsa specie bona, coram hominib. facere poterit, ut parere legibus, ijs in rebus quæ extrinsecus præstantur: sed iudicio Dei huiusmodi opera omnia nullius sunt prætij, atq; etiã peccata sunt. Quæ autem hactenus dixi, intelligite de eo, qui Spiritu Dei regeneratus non est. Veniamus nunc ad hominem Christianum, sanguine Christi baptizatum, qui iam in nouitate uitæ ambulat. Huiusmodi homini Christus Iesus liberum arbitrium restituit, eiusq; uoluntatem ad omnia bona opera reformat. Neq; tamen id perfectè. Nam ut bonum opus plenè perfecteq; præstetur, nunquam in eo reperietur: sed nouo subinde Dei auxilio indiget. Hoc enim Apostolus de se testatur, Romanor. vii. Velle quidem mihi adest, sed perficere in meipso non reperio. Itaque nostrum liberum arbitrium, amplius non est in nobis, sicut in primo fuit homine, qui bonum ut uolebat, ita efficere ac præstare poterat. Atq; hic quidem defectus à corruptione naturę nostræ proficiscitur, non ab imbecillitate ulla Iesu Christi restaurato ris. Et de libero quidem arbitrio hæc sunt, quæ ego & sentio & credo.

Quæstio de libero arbitrio.

Postea de bonis operibus ita ex me quæsiuerunt, Cùm homo non habeat in seipso facultatem præstandi bonum quod uult, nulla igitur potest bona opera efficere. Quibus tum respondi, hominem quidem per se nõ posse, adiutum uerò Spiritu Dei, bona opera & Deo grata posse facere. Quòd autem opera sint bona, aut Deo accepta, id ex ipsius hominis natura aut facultate non existere, sed totum proficisci à uirtute & gratia Christi, eo in homine habitantis, eaq; opera efficientis. Dixi illis idem in homine fieri, quod in arbore, quam prius oportet bonam esse, quàm fructum bonum adferat: in his etiam ipsum hominem agere, & cooperatorem esse eorũ operum, quibus etiam uita æterna in Scriptura promittitur.

Bona opera.

Sequuta deinde est quæstio de Iustificatione, in qua respondi, nos fide iustificari, quemadmodũ dicitur tertio ad Romanos capite. Quomodo, inquiunt, sola fide? annon etiam bonis operibus & charitate iustificamur? Quibus ego respondi, nulla huiusmodi opera, nec charitatem reperiri in ullo homine, qui non sit iustificatus. Quid, inquiunt, non poterit homo, etiamsi in peccato mortali sit, dare eleemosinam propter honorem Dei, quem super omnia diligit? Non inquã, nam peccator quidem aliquis pauperi bona sua elargietur, sed nõ tam causa honoris Dei, quem super omnia diligat, quàm humano aliquo studio permotus. Nam si Deum in primis diligeret, peccatum nõ ita placeret ei,

Iustificatio fit dei.

ueniamq; à Deo peteret. Ac de bonis operibus ut suprà illis respondi.

Quid sit fides. Tum quæsiuerunt ex me, quid ego nominarem Fidem, quæ ita sit potens, ut sola hominem iustificet. Quibus ego respondi, Fidem esse certam animi persuasionem, per Spiritum sanctum factam de misericordia Dei, eiusq; bona in nos uoluntate, in Euangelio promissa & oblata. Hæ autem promissiones de amore ac beneuolentia Dei erga nos in Christo Iesu filio eius exhibentur ac præstantur. Hac fide nos statuimus ac persuademus nobis, & sentimus, Deum uelle nobis peccata nostra ignoscere propter Filium suũ, in quem nos credimus. Ea, inquiunt, non est definitio à Paulo posita, Heb. 11. Ego uerò inquam, in diuo Paulo eam reperio.

Traditiones humanæ. De traditionibus hominum interrogatus ab illis, si eas amplecterer an omnino aspernarer: respondi, me eas approbare ac recipere ut bonas, quæ ad finem aliquem politicum & ciuilem referuntur: cæteras uerò improbare ac repudiare: cuius generis sunt, prohibitio coniugij facta sacerdotibus ac monachis: item interdictum uescendi carnibus certis diebus, aliæq; quisquiliæ, ac ceremoniæ huiusmodi, quibus obligare uolunt animas, etiam pœna peccati mortalis proposita.

De imaginib. Postea de imaginibus interrogatus, an fas esset hominibus fidelibus eas habere: respondi, quòd ad me quidem attineret, me nullas planè requirere, easq; in templis Christianorum minimè ferri debere. His enim simulachris ipsa templa profanari, quę dedicanda essent ad uerbum Dei audiendum, ad ministranda sacramenta, ad preces publicas faciendas, quarum rerum sanctitas, imaginibus & simulachris anteponenda est. Demonstrabam autem huiusmodi aut ficta simulachra, aut pictas imagines, sæpe ipsos homines à uerbo Dei deuocare. Cæterum inquam, in ædibus priuatis admittuntur & ponuntur, ut res indifferentes, modò nulla idololatria adhibeatur. nam tum quidem ex domibus sunt auferendæ. Veruntamẽ, quòd ad me attinet, cùm uideam eas uerbo Dei tam præcisè prohiberi, ego statuo eas nullo modo admittendas, neque ullum posse earum usum esse bonum. Nam cùm effictor effectorq; imaginis maledictus est à Deo, tum etiam ipsa imago, quemadmodum satis perspicitur ex Sapientiæ libro, capite *III. XII. XIII.* & *XV.*

Baptismus. De Baptismo me etiam interrogarunt. in quo existimo eos me aliquem Anabaptistam esse arbitratos. Ego autem respondi, Baptismum esse signum eius fœderis, quod Deus cum Christianis instituit, testificatus se Deum nostrum ac seminis nostri esse uelle: in quo etiam testificatur se nostra nobis peccata remittere. Hanc autem Dei promissionem, Baptismus aquæ nobis confirmat. Nam sicut aqua abluuntur corporis sordes, ita maculæ animarum in Baptismo eluuntur ac tolluntur, idq; uirtute sanguinis Christi, qui tum operatione Spiritus sancti nobis communicatur. Præterea Baptismus est signum assiduæ mortificationis, quæ in nobis esse debet. Nam quemadmodum aqua capiti injicitur, ad momentũ tamen temporis, non ut prorsus submergamur: ita eadem mortẽ uitæ præcedentis significat, ut uitam suscipiamus nouam & degamus. Ac Baptismus quidem communicari debet omnibus, tum pueris ac infantibus, tum hominibus adultis, qui nomen Christi profiteri uolunt. Di co autem homines ad grandiorem ætatem prouectos, qui in infantia pueritia quę baptizati non fuerunt. Itaque tunc cùm ad fidem ueniunt Christianã, baptisandi sunt. Quod si noluerint facere, habentes opportunitatẽ, ut contemptores sanctorũ Dei institutorũ, nunquã in regnũ cœlorũ ingredientur. Infantes autẽ fideliũ, quamuis non habeant fidẽ actu efficacẽ eius quod credendũ est propter ætatẽ: tamen in fide parentũ, in Baptismo præsentandi sunt. nã uirtute promissionis Dei, eiusq; testificatione ad ipsum pertinent. Quòd aũt ad infantes pertinet, qui sine Baptismo moriuntur, quorũ quidẽ parentes sunt fi-

deles,

deles, aut alter eorũ, credo eos ad Deũ pertinere, neq; in Limbo esse, quemadmodum hactenus persuasum fuit. Neq; enim Deus gratiam suam alligat sacramento, ut sine eo sui esse non possint, modò infantes huiusmodi sint, ut sacramentum accipere potuerint.

De uotis autem quæsiuerunt ex me, an homo Christianus uouere posset atq; perpetuis rei alicuius uotis se obstringere. Ego respondi, hominem Christianum posse uota nuncupare earum rerum, quas & gratas Deo esse certò scit, & in sua esse potestate: non aliter. Et quoniã facilè cognoscebam eos præcipuè de uotis monasticis quærere, respondi hominem non posse uotum facere perpetuæ paupertatis aut obedientiæ, multò uerò minus castitatis. Quamobrem eos qui ita uouissent, ueniam eorum uotorum debere à Deo petere, uocatosq; ad rationem uitæ contrariam ei quam antè uouerant, posse eam suscipere sine ullo scrupulo cõscientiæ eius, quæ prioribus uotis obstricta & obligata uideri posset. Verum quidem est, quòd ad tempus aliquod, harum rerũ uota nuncupari ac fieri possunt, sed non in perpetuum. *Christianus an uouere poßit.*

De Confessione uerò respondi, me debere tum coram Deo meo quotidie, atq; omni loco, tum etiam coram hominibus recognoscere miserum peccatorem, qui quotidie damnationem mereatur, nisi esset gratia Dei, quæ nobis per Christum impertitur. ita delicta & peccata mea Deo confiteri debeo, eorumq; ueniam ab eodem postulare. Huiusmodi confessione referta est Scriptura, eaq; usi Prophetæ, Apostoli, cæteriq; omnes, qui piè Deum coluerunt. Quòd autem ad homines pertinet, si proximum meum uerbo aut re offendi, debeo ei delictum meum, aut etiam plura, quibus eum offendi, confiteri, ut & ego ei, & ipse mihi placatus reconcilietur, omnisq; animi offensio deponatur, & mutua beneuolentia conseruetur. Est etiam aliud confessionis genus, quod uersatur in consilio petendo de ijs rebus, quæ in aliquam dubitationem conscientiæ scrupulosæ ac perplexæ uenire possunt. Vt si quispiam dubitet de re aliqua, propter quam conscientia ipsius sit perturbata, quãuis misericordiam Dei cognoscat in promissionibus: quia tamen eas generaliter consideret, non propriè ad se applicat, in aliqua dubitatione perplexitateq; uersatur: tum rectè fiet & sapienter, si homo ita perplexus ac perturbatus, prudentem aliquem quærat, & consulat, cui possit molestiam animi sui declarare. Tum uerò is à quo consilium petitur, debet proponere particulares Scripturæ sententias de misericordia Dei, quibus alterum consoletur, eumq; omni scrupulo liberet. Hoc autem confessionis genus maximoperè laudandum est, ut à Deo profectum: ex quo etiam confessio auricularis fuit introducta. Nam illud quidem fiebat in secreto, atq; inter duos, quemadmodum isti fieri uolunt in confessione auriculari quæ quidẽ ex Deo non est, neq; testimonio Scripturæ sanctæ approbata. Neq; enim Dominus superstitiosam peccatorum enumerationem ab homine requirit. ne fieri quidem potest: quemadmodum prophetæ Dauid satis ostendit, cùm dicit, Domine, peccata quis intelligit? Et mox eo in Psalmo xlix. Ab occultis munda me. Papa tamen hoc iubet, etiam sub peccato mortali, ad minimũ quidem semel in anno. Itaq; ego huiusmodi cõfessionem reijcio, ut gehennam conscientiarum, abyssum & gurgitem inferorũ, ad absorbendas ac deuorandas miseras animas accommodatum. *De cõfeßione.*

Ex me præterea quæsiuerunt, quid ego de uirginitate Mariæ sentirem, an crederem eam uirginẽ filium suum peperisse, ac postea permansisse uirginem. Ego autem respondi articulũ symboli, Credo conceptum fuisse de Spiritu sancto, natum ex Maria uirgine: atq; etiam credo eam in uirginitate perseuerasse. Tum doctor Hasardus, ut est homo planè stupidus & indoctus, Quid, inquit, te mouet, ut credas uirginitatem Virginis, cùm non sit locus Scripturæ quo id probari queat? Cui respondi, me satis clarè & manifestè reperisse. nam *De uirginitate Mariæ.*

scriptum est, quòd Ioseph eam non cognouerat, quum filium suum primogenitum peperit. Tum ille tacuit, nec postea quicquã dixit. Multa sunt alia, quæ ex me quæsiuerunt: sed hæc sunt præcipua & maxima, quæ tibi satis esse debent. Die ueneris doctores supremi tẽpli, magister Fiablus, & magister Auertinus, me sunt aggressi: ut & hodie doctor Hasardus. Hi omnes conantur me hæreticum conuincere, præcipuè in ea parte doctrinæ, quæ ad Missam pertinet. Neq; dubito, quin magnoperè cupiant eam sibi saluã relinqui: nec immeritò, ut quæ culinæ ipsorum maximè inseruiat, & unde quæstus uberrimus ad illos redeat. Sed Dei gratia magistratus & iudices optimè animaduerterunt, me minimè mutum, neq; uerbo destitutum. Nam eis planè nihil concessi: sed quod de illis dicendum erat, præter illorum expectationem, uerè libereq; demonstraui. Cùm ipsi ad me uenerunt, satis asperè sum loquutus. In quo quidẽ si uerbis paulò liberior, modestiam Christianam non conseruaui, oro Dominum ut mihi ignoscat. Amor & zelus honoris ac uerbi eius, me ita animatum reddidit, atq; impulit, idq; præsente magistratu. Quæ res quosdam lætitia, alios affecit mœstitia, ut à me cum contumelijs discederent, uerùm id me non conturbat. Neq; enim melior sum, quàm Dominus meus & magister & caput, Iesus Christus. Tu mea soror atq; omnes fratres, Patrem optimum nostrũ orate per Iesum Christũ filium eius, ut me Spiritu suo sancto confirmet in ueritate uerbi sui, atq; incrementum fidei bonorumq; cœlestiũ mihi tribuat. Equi dem, quod mei est officij, eum pro tota ecclesia orabo, priuatumque pro te ac Margarita optima sorore mea. Dominus memor sit eorum studiorum & officiorum, quæ in me ea contulit, & adhuc confert. Gratia Domini nostri tecum sit.

Alia Epistola eiusdem Petri Brulij ad fratres periclitantes.

OMnibus fidelibus, qui persecutionem patiuntur propter prædicationẽ Euangelij auditam, aut domi ipsorum defensam, qui sunt Tornaci, Valencenis, Insulis, Atrebati, Douaci, atq; in cæteris urbibus ac locis, Petrus Brulius, seruus Dei, missus ad uos inuisendos, & animos uestros æterno Dei uerbo consolandos, gratiam, pacem & misericordiam à Deo patre, & dilecto filio eius Iesu Christo domino nostro, exoptat dari uobis, & perpetuò in cordibus uestris conseruari, Amen.

Ego, fratres, semper gratias Deo meo ago in meis precibus, quòd uoluerit nos suos esse declarare, ea communione ac participatione disciplinæ, qua filios suos castigare solet. in quam etiam uocauit ac recepit nos, ne cum maligno mundo pereamus, à quo quidem nos morte charissimi filij sui Iesu Christi redemit. Certè, fratres mei, nobis, nobis datum est è cœlo, nõ solùm ut credamus in Christum, uerumetiam ut aliquid pro eo patiamur: quod quidẽ omnibus credentibus non est impertitum. Sed quemadmodum testatur Paulus in sua epistola ad Philippenses, est donum Dei singulare. Hac ratione nos cognoscimus ac scimus nos eius esse, atque etiam ex domesticis ipsius, istaq; omnia nobis in bonum cedere: cùm optimus Pater nos ita amet, ut cruci atque afflictionibus Filij primogeniti conformes efficiat: qui quidem peccatũ nunquam fecit, nec dolus inuentus est in ore eius: & tamen crucem perpessus est. Hanc autem acerbissimam mortis pœnam propterea sustinuit, ut nos à morte redimeret, cuius imperio oppressi tenebamur. Is, inquam, ita est passus, ut suis doloribus nostros dolores & afflictiones sanctificaret. Nam nunc quidem nos carceres, uerbera, iudicia, ignem, catenas ferreas, irrisiones, ludibria, & contumelias nõ metuemus: nullas deniq; machinationes atq; incursiones diaboli & mundi ut maledictas pertimescemus: sed ea omnia perferemus ut testimo-

testimonia & signa summæ clementiæ ac beneuolentiæ Dei erga nos. Planè, fratres mei, Iesu Christi mors nos à morte æterna, quam meriti eramus, liberat, atq; etiam corporalem nostrã mortẽ sanctificat, Carceres eius nostros sanctificant: eius flagellatio, nostrã: iudiciũ illius, nostrũ: uincula eius, ignominiæ contumeliæq;, nostras sanctificant. denique quicquid nos patimur, eius communione fit sanctum, quoniam eius causa toleramus. Quare ne perturbemur in nostris ærumnis & calamitatibus, quasi nouæ atq; alienæ nobis euenirent: sed contrà potius lætemur cùm in uarias huiusmodi calamitates incidimus, scientes quòd afflictio parit patientiã, patientia probationẽ, probatio spem in Deo, quæ non confundit: propterea quòd charitas Dei in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ diffusa est, fidesq; nostra non aliter, quàm aurũ & argentũ in fornace perficitur & illustratur. Quemadmodũ enim de bonitate auri & argenti, non facilè iudicari potest, nisi ea in indice lapide aut igne explorentur ac probentur: ita qualis sit fides uniuscuiusq; non bene perspici potest, nisi ad examen afflictionũ & probationẽ adducatur. Tum enim cognoscimus super ne petrã, an super arenã ædificati simus: semẽne simus sparsum in terrã bonam, an sactũ inter saxa, atq; subitò enatũ & sublatũ: aurũ & argentũ, pretiosiq; lapides in uero fundamento ædificati, an ligna, stipulę, stramina, ad ignis, id est, afflictionis consumptionẽ opportuna. Fratres, reuocate in memoriam eos, qui fuerunt ante uos, Dominoq; placuerunt. Cogitate omni tempore, quid usu uenerit seruis Dei. tum uos maximã lætitiæ causam habebitis, cùm uidebitis uos ijs similes atque conformes, qui Deo purè castèq; seruientes, huiusmodi molestias uitæ & ærũnas perpessi fuerunt. Testis certè est Iesus Christus, ante cuius Apostolos impij Prophetas persequuti fuerant, quemadmodum postea Apostolos sunt persequuti, & post eos Euangelistas, ac pastores primæ ecclesiæ Christianæ: omnesq; qui à primis mundi temporibus, usq; ad hæc nouissima, integrè Deo inseruire uoluerunt, ab impijs hominibus huic mundo deditis afflicti & uexati fuerunt. Etiam in ipsa domo & familia patris nostri Abrahæ, huius conditionis specimen editũ fuit. Nam is qui erat secundum carnem, filius ancillæ Agar, persequebatur eum qui erat secundum spiritum, filiũ liberæ, Saræ matrisfamilias. Si qui infestantur & uexantur à fratribus ac proximis, cogitent nihil ipsis accidere, cuius exemplũ in pijs ac sanctis hominibus, Deum metuentibus, non editum fuerit. Videant Abelũ, probũ filium Deiq; amicum, à fratre Caino per inuidiã interfectũ. Diuus Ioannes in prima sua epistola, eius cædis factæ rationẽ adfert, Videbat, inquit, opera sua mala esse, fratris uerò esse bona. itaq; inuidia motus, fratrẽ occidit, non aliã ob causam, nisi quòd à uitæ impiæ ratione consuetudineq; abhorrebat ac dissidebat. Qui talia patiuntur, memoria teneant, quæ Matthæi x. & Lucæ xii. à Domino nostro dicta sunt. Quòd si qui à propriis liberis aut uxore affliguntur, contemnuntur, irridentur, exemplũ Noe & Iob sibi proponant. Videant Mosen & Aaronem à familia Chore, Dathan, & Abiron, magnis iniurijs contumelijsq; affectos. Considerent Dauidẽ, qui tamen fuit rex: & intelligent eum à Saule & à fratribus atq; etiam propriis filijs eiectũ atque expulsum, irrisum, eoq; compulsum, ut in montibus locisq; desertis uagaretur, atq; probris omnibus à Semei afficeretur. Iam uerò quid Eliæ usu uenit, eiusq; successori Eliæo, Esaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, alijsq; Prophetis? itaq; ob hanc causam, Stephanus Iudæis cædẽ omniũ piorũ ac fideliũ seruorũ Dei exprobrat. Manasses uerò, nonne uno eodẽq; die eam cædẽ edidit, in qua Hierosolyma sanguine Prophetarũ redundauit? Atq; hoc quidẽ Christus Matth. xxi, ijsdẽ Iudæis memorat & exprobrat, proposita parabola eius, qui operarijs uineã suã reliquerat: cuius seruos necauerunt, tum eius etiã filiũ. Existimo, fratres, hæc quæ uobis cõmemorauì ac ꝓposui, nullã animis uestris ꝓturbationẽ allatura. Intelligitis

Cruce probantur fideles.

enim ea eiusmodi esse, ut à Deo authore ac gubernatore ecclesiæ proficiscantur. Quæ ego hoc quidem tempore ad uos scripsi, idem antea libenter facturus, si mihi ullo modo licuisset in domo hospitis mei, & custodis ipsius arcis. est enim homo planè ignarus, à quo nec chartam nec attramentũ obtinere potuissem. Nunc autem etsi in maioribus sim loci angustijs, quàm fuerim apud illum, possum tamen cor magis quàm antea dilatare, ac uobis liberius explicare. Quare accipietis hanc epistolam, ut ab eo qui gratiam Domini nostri non minus uobis quàm sibijpsi exoptat.

Alia eiusdem M. Petri Brulij epistola, ad fideles missa.

FRatres mei, mihi bonum uidetur, si hoc modo uos afficiam ea lætitia, quã capio ex ijs afflictionibus, quæ nobis euenerunt, ut uos quoq; mecũ gratias Domino agatis, atq; unà in meis uinculis & afflictionibus gaudeatis. Isti enim sunt fructus eius doctrinæ, quam nos didicimus, si quidem Iesum Christum crucifixum didicimus & cognouimus. Nullus ergo nostrũm deficiat ac despondeat animũ: perseueret autem in proposita disciplina breui adhuc tempore: & is qui uenturus est ueniet, nec morã ullam faciet. interea iustus meus fide uiuet: quòd si se subtraxerit, inquit Dominus, animæ meæ non placebit. Quare id quidem nobis cauendum est. nam uos scitis eos saluos tantummodo futuros, qui usq; in finem perseuerauerint: etiã eos, qui certãt lucta aut cursu, ut uictores corona non donari, nisi legitimè certauerint. Quapropter date operam, ut uos ueros Iesu Christi milites exhibeatis, neque animo molliore, magisque ignauo sitis, quàm ij qui militant sub auspicijs terreni alicuius Imperatoris: qui quidem semel scripti, sacramentoque obstricti, nulla in re sibi parcunt, quæ ad gloriam Imperatoris ipsorum pertinere uideatur. Nullæ sunt fossæ tam profundæ, aut muri tam alti, aut bombardæ tam horrendæ, nulla acies inimicorum optimo ordine instructa & parata, quam illi non contemnant, idque ob eam causam, ut suo satisfaciant officio, quòd iureiurando sacramentoque obstricti promiserunt. Vos autem diabolo & mundo renuntiastis, ascripti in numerum eorum militum, qui nomen suum Christo dederunt. Nunc ergo nihil uos impediat, quò minus strenuos ac fortes milites, seruosq; fideles Regi uestro ostẽdatis & præstetis. Is cum Angelis suis è superiore loco uos intuetur, & libenter certamen uestrum spectat. quòd si uos non satis fortes estis, paratus est descendere, ut uobis opem ferat, quemadmodũ Dominus Stephano cœlis apertis adfuit.

Comparatio ab ijs qui stipẽdia faciunt.

Nam quòd ipse perpessus est, cùm uersaretur in huiusmodi certamine ac dimicatione, eò est passus, ut uos nunc uictores aduersus omnes inimicos reddat, quemadmodum is suos admonuit, In mundo afflictionem habebitis: sed in me confidite. nam ego uici mundum. Et sicut ait eius Discipulus, Hæc est uictoria, quæ mundum uincit, fides uestra. Quòd si aliqua est res uobis proxima, ualdeque coniuncta, quæ officium uestrum impediat, abijcite eam, atque excindite, etiamsi uester oculus, manus, aut pes esset. Quibus corporis membris intelligit eos, qui non minus sunt nobis chari ac pretiosi, quàm oculus, nec minus utiles, quàm manus, nec minus necessarij, quàm pes. Atq; hoc ita esse ipse Dux satis ostendit, cùm milites suos ita admonuit, Qui diligit patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus: & qui uxorem, aut suos liberos plusquàm me diligit, non est me dignus. Denique qui non renuntiat ijs omnibus, quæ habet, propter me, is me dignus non est. Atque hæc quidem, fratres, maiori hominum parti grauia alienaq; uidentur: uobis uerò, ut ego existimo, non ita, qui Christum amplexi estis passum, & tormentis summisque cruciatibus affectum & afflictum, antequàm in gloriam suam ingressus sit: atque eum didicistis crucifixum, ut unà cum eo, sicut uera ipsius membra

crucifigamini.

crucifigamini. Vos etiam in schola eius didicistis, oportere in primis ut discipulus abneget semetipsum, & eius crucem tollat, eumq; sequatur. Qui metu horum malorum offensus, retrocedet, dissimulabitq; cum mundo, existimans se sine cruce ferenda posse esse Christi discipulum (non ego iam hoc dico, sed ipse Magister) seipsum perdit. Dicit enim Dominus, Qui diligit uitam suam in hoc mundo, is in seculo uenturo eam perdet: & qui perdit eam in hoc mundo, is eam conseruat in uitam æternam. Hoc autem optimè cognouit D. Paulus, uerus Iesu Christi Apostolus, cum fratres eum rogarent, ne Hierosolymam proficisceretur, Ego, inquit, uitam meam non ita pretiosam & charam habeo. Is etiam ad Philippenses dicit, se omnia huius mundi ponere à tergo, atque ad res spirituales ac cœlestes extendere, ut præmium uitæ æternæ apprehendat. Atque hac quidem in re falsò & calumniosè accusamur, quasi authores nostri mali, qui dies nostros breuiores efficiamus. Nec enim is qui iussu imperatoris aliquò profectus est, ut uoluntatem eius exequatur, si incurrens in hostes, ab ijs occidatur aut uulneretur, author erit mali sui, aut propriæ reus mortis: sed contrà, ut fidelis seruus fortisq; laudabitur, qui uitæ suæ parce re noluerit, ut uoluntas Imperatoris sui & mandatum præstaretur: ita nobis quoq; euenit. Etenim ij sunt inimici Christi, qui nullo modo ferre possunt, ut honorem eius tueamur, & uoluntatem cõpleamus. Itaq; nos ita tractant, affligunt, uexant, nostrosq; dies & annos breuiores efficiunt. Et ita quidem nobiscum agunt, quoniam ad ipsorum idololatriam, superstitionem, blasphemiã, ad omnem in potu ciboq; intemperantiam atq; impudicitiam, aliaq; eorum maleficia & flagitia, à Rege nostro prohibita, conformare & accommodare nos non uolumus. Vehementer nos oderunt, quòd testemur opera eorum esse mala, damnataq; à Deo, etiam ea quæ uidentur ipsis esse optima & præstantissima. Ea enim non solùm sunt introducta sine uerbo Dei, sed maxima ex parte contra ipsum uerbum Dei instituta, cum Iesu Christi eiusq; mortis contumelia. Vos intelligitis fratres, quæ dicam opera: & propterea nos persequuntur. Isti sunt Sancti, qui ab alijs nolunt attingi, uerentes ne aliorum tactu maculentur, aut polluantur. Isti sunt montes, qui simulatq; attacti sunt, subitum ignem, sanguinemq; euomunt, in filios Dei magnis clamoribus uociferantes. Et quemadmodum suprà demonstraui, nihil in nos faciunt aut dicunt, quod in fideles seruos Dei, qui nos præcesserunt, antea factum non fuerit.

Ad patientiam hortatur sanctos.

Quid ego dico in seruos? imò uerò in ipsum Magistrum & Dominum gloriæ, Dei Filium, quem uini potorem & edacem, Samaritanum, incantatorem, dæmoniacum, seductorem uocauerunt. quem quidem sacerdotes in manus Romanorum tradiderunt, à quibus colaphis cæsus, consputus, irrisus, à summo capite usque ad pedes flagellatus fuit, corona spinea cerebrum eius perfodiente redimitus: postremò condemnatus mortis, omnium quæ tum essent, turpissimæ atque teterrimæ: ea autem erat mors crucis detestanda. Atque ut eum maiore dedecore ignominiaq; afficerent, medium inter duos latrones, quasi magistrum eorum ducemque suspenderunt. Atque his quidem tantis contumelijs, & iniurijs eum affecerunt, qui eorum cæcis lumen oculorum restituerat, surdisq; sensum audiendi, qui leprosos eorum planè mundauerat, mortuos ad uitam reuocauerat: denique omnia beneficiorum genera in ipsos contulerat. Et tamen pro referenda his tam præclaris operibus ac beneficijs gratia, nos uidemus quàm malè illum tractauerint, quamq; gratiam ei reddiderint: qui quidem ut erat iustus coram hominibus, ita etiam coram ipso Deo fuit. Is tamen, qui lignum fuit uiride, hæc omnia tam acerba indignaque pertulit: nos uerò qui lignum aridum sumus, ad exardescendum & conflagrandum apti atque opportuni, quid expectare possumus aut debemus? An arbitramur nos in paradisum ituros sine ulla incommodorum perpessio-

Christus sanctis sit exẽplo.

nes?

ne? Ne fallamus nosipsos, Per multas afflictiones nobis eò ueniendum est. Nos scimus duas tantummodo uias esse, neque aliam esse tertiam. Altera eârum est arcta & angusta, quæ difficiles & asperos aditus habet: sed in eius exitu uita æterna reperitur. Altera est lata atq; spatiosa, quæ quidem commoda amœnaq; uidetur, nulla habens incommoda & pericula: sed in exitu ac fine eius sunt dolores, nam ad damnationem ducit æternam. Prioris uiæ hæc sunt incommoda & mala: paupertas, afflictio, infamia, bonorum huius mundi indigentia ac inopia, pessimè tractari ab unoquoque, in exilium mitti, in carcerem conijci, igne cremari, in aquam submergi, truncari capite, bestijs immanibus obijci, aliaq; multa & grauia tormenta atque opprobria perpeti. Sed omnes huiusmodi calamitates, non sunt condignæ ea gloria, quæ filijs Dei est reuelanda. Sed quemadmodum testatur Apostolus, II. Corinthior. IIII. cap. ingens pondus admirabilis gloriæ nobis pariunt, cùm earum acerbitas in hac uita sit breuis & momẽtanea. Propter autem has propositas molestias & ærumnas, perpauci istam uiam ingrediuntur, in eaq; insistũt: sed omnes propè eam auersantur, maluntq; illam amplam uiam ingredi, quàm exiguam istam semitam. Itaque nos in hac, Fratres, insistemus, eamq; tenebimus, quantumuis ardua esse uideatur, cùm præsertim optimum certissimumq; instituti itineris ducem habeamus Iesum Christum, qui omnia huius itineris incommoda, molestias, & pericula peruasit: quo duce nostro ac directore in eiusmodi periculis perire nullo modo possumus. Nam quemadmodum dicit Apostolus, unus ex ijs qui ab eo diriguntur, ego planè mihi habeo persuasum, quòd nec Angeli, nec principatus, nec potestates, nec uita, nec mors, nec altitudo ulla aut profunditas, neque præsentia, neq; futura, impedient nos, quò minus hac uia transeamus, atque eò, quò uocati sumus, contendamus. Erit ne ulla afflictio, quæ nostrum animum debilitet? an angustia, fames, nuditas, aut etiam gladius? Nos uerò nihil horum malorum formidabimus, cùm huiusmodi directorem habeamus, cuius à dilectione atque admirabili amore, nunquam auelli aut abstrahi poterimus. Nostræ quidem carni ac sensui aliquando uidetur, nos ab eo destitutos esse & desertos: sed non ita est. Dicit enim, Ego non te desero nec derelinquo: & alio loco, Ego tecum sum in afflictione: inuoca me & ego exaudiam te, atq; eripiam. An uerò, fratres, existimatis, nisi Dominus nobiscum esset, nos posse ea ferre, quæ ferri ac tolerari à nobis uult? non certè. Nam inimici nostri sunt multò fortiores ac potentiores, quàm nos simus: quorum unus eorum satis uirium habet, ut possit nos in perpetuum perdere. Summa est potentia diaboli, qui princeps est & caput nostrorum inimicorum, cuius potentiam & malitiam satis sunt experti primi parentes nostri, cùm primo eius impetu deiecti corruerunt. Hic est, fratres mei, qui cæteros impellit & contra nos incitat. Toto igitur studio animoq; enitamur, ut huic inimico resistamus, altera manu clypeum fidei tenentes, altera uerò uerbi Dei gladium. Quòd si indignamur aut irascimur, nostram in istum indignationem atque iram conferamus. Mũdus quidem est fortis & robustus, ut & caro nostra. Sed si primus hostis fuerit à nobis superatus, cæteri non multum nobis nocere poterunt. Nam etsi caro sit nobis permolesta, aduersaria atq; inimica, eam tñ spiritus, diaboli uictor, paulatim subiget, & in suã potestatem rediget. Hæc sunt, fratres charissimi, quæ nos in nostris afflictionib. oportet cogitare ac facere. Si quispiam alius expers harum afflictionum in quibus uos uersamini, de huiusmodi rebus scriberet, possetis meritò dicere, eum facilè & sine ulla sua molestia de his loqui, eumq; qui domi suæ quietus ageret, posse hæc facilè laudare: sed si ista ei tolerãda essent, aliter loquuturũ. De me uerò, fratres, credo uos nihil tale dicturos aut cogitaturos, qui unà uobiscũ harũ afflictionũ sum particeps, eandẽ bibens potionẽ, quæ nobis à Dño exhibet. Ac quod ad me quidem

Duæ uiæ.

Maxima hæc est consolatio in afflictionib.

Consolatio quanta sit eius qui ijsdem premitur afflictionibus,

dem attinet, quotidie atq; in dies singulos nihil aliud expecto, quàm grauem & atrocem mortem. Quid dixi mortem atrocem? falsus sum, cùm eam ita nominaui. cognosco enim eam nihil aliud esse, quàm optimam Patris mei uoluntatem, qui ea uult uitam corporalẽ finire, atq; cum spirituali & immortali commutare: cuius quidẽ beneficij nomine ac magnitudine, magnoperè ei deuinctus sum & obligatus. Vos autem orate omnes, pro mea, inquam, salute orate Dominum, ut mihi eam constantiam præstet, qua in confessione sanctissimi uerbi eius permaneam, quoad me in quietum locum, id est, sanctum suum regnũ recolligat & recipiat. Ego pro meo officio, idem salutis uestræ causa sum facturus. Gratia Domini nostri, sit cum omnibus uobis, Amen.

Alia eiusdem epistola, ad uxorem scripta: quam composuit matutinis horis eius diei, quo Tornaci martyrio defunctus est.

IEsus Christus tibi salutem impertiat. Mea charissima soror, scias me in Domino nostro maximoperè lætatum, cùm ex ijs literis, quas optimus pater tuus simul & meus, tuo nomine ad me scripsit, intellexi te in Deo lætari & gaudere, non in captiuitate, quam certò scio tibi grauem esse: sed quòd habuisti maritũ à Deo tibi datum & electum, ut pro nomine ipsius, Euangelioq; filij eius Iesu Christi pateretur. Itaq; te rogo, ut maiorem adhuc in eo lætitiã capias: amplioremq;, quàm hactenus fecisti, huius beneficij & honoris laudẽ tribuas. Nam nunc quidem pro sua gratia uult in me effici ac præstari, quod tu scis à me diu sæpeq; desideratũ atq; expetitũ, ut pro Euangelio ipsius, ad Ecclesiæ ædificationẽ ac salutẽ electorũ morerer. Id quod faciet hisce diebus, me malis liberans omnibus, ut in regnũ suũ recipiat. Ac propter meã quidẽ mortem ne despondeas animũ, atq; ut desolatã ac destitutã te afflictes: sed in ipso Domino potius uigorem animi recolligas: persuasa planè de eius prouidentia, amore, curaq; paterna, quam post meum ex hac uita discessum, de te ancilla sua suscipiet. Itaq; ostende te in eo uno spem omnem ac fiduciam tuam locauisse. Genus autem mortis, ut ego arbitror, est id, quo ante me defuncti sunt ij, qui Christo eiusq; doctrinæ constans ac fidele testimoniũ dederunt, id est, ut uiuus igni absq; ulla misericordia comburar: ac tandiu quidẽ ignis ardere debet, quoad omnia redigantur in cinerẽ, qui deinde in profluentẽ coniicitur. Neq; uerò hoc ad te scribo, quòd hanc supplicij acerbitatem magnoperè pertimescam & exhorrescam. nam quemadmodũ scio eam diem ad mortem corporis mihi præstitutam esse, ita etiam certò scio, quod mihi magnum mortis contemptum adfert, eandem diem pertinere ad uitã spiritus, qui cum Christo, sponso suo sine corporis dissolutione plenè regnare nõ potest. Quandiu enim in hoc uersamur corpore, à Domino longè absumus & peregrinamur. Lætare igitur, charissima soror, in Domino, atq; omni tempore uiduitatis tuæ in eo spera, & sanctissimis precibus alijsq; pijs operibus dedita, Deum integrè & castè colas, sicut officium est uiduæ, quæ Domino modis omnibus placere uult. Caue uerò in primis, ne ex illarum sis numero uiduarum, quas Paulus ad Timotheũ discipulum suum scribens, dicit esse otiosas & uagas, sursum ac deorsum per domos alienas cursitantes: neque otiosas modò, uerum etiam nugatorias ac ineptas, loquentes ea quæ non oportet. Cùm autem tempus uenerit, Dominus prospiciet ac iunget tibi maritũ alium, qui tui curã habebit, cui tu obedies, quem reuereberis, eoq; honore afficies, quem uiro mulier modesta ac pia debet, quod ego, te, charissima soror, facturam spero in Domino & confido. Atq; hæc quidem ad te uolui scribere, quemadmodũ officium est eius, qui debet te instituere atque docere. Quòd si coràm tecũ loqui nõ possum, per literas tñ hoc quidẽ tempore, quo uocor à Domino, meũ tibi

Agit de Miocio et alijs qui paulò ante ipsum igne cõcremati fuerũt, ut postea dicetur.

Quæ deceãt uiduam Christianam.

tibi officium hac in parte præstare debeo. Tu habes patrem tuum, apud quẽ scripsisti mihi te nunc esse ac uiuere. sine eius cõsilio nihil suscipias & agas, sed eo in omnibus negotijs tuis utere. caue eum ulla in re offendas, nec matrem tuam. Tu fratrem tuum reuereberis, sororesq; tuas, ut poteris, in Domino instituues. Hæc autẽ moneo in nomine Domini nostri Iesu Christi. Si qui ex fratribus meis ad te ueniant, te rogo, propter me eos omni cum suauitate excipias, atq; ita tuum erga me amorem ostendas. Reliquum est ut Margaritam sororem nostram tibi commendem, cui has dedi literas, quas tibi redderet. Ea mihi declarauit constituisse se istuc ad uos recipere, reliquumq; uitæ suæ tempus, Deo piè colendo atq; honorando dedicare. Tu ei quantum poteris, adeo ris, eamq; toti ecclesiæ Iesu Christi commendabis. Mihi quidem perdigna uidetur esse, quam tu & omnes fideles subleuent & adiuuent. Nam ea multorũ afflictiones studio & officio leuauit suo, in primis uerò meas, in quibus sæpe ad me uenit, & facultatibus suis me adiuuit ac recreauit. Dominus misericordiam ei impertiat. Saluta ecclesiam meo nomine, præcipuè uerò tuos parentes, atq; meos. Gratia Domini nostri sit cum tuo spiritu, Amen. Tornaci, XVII. Februar. M.D.XLV. Existimabam heri me ultimo martyrio defuncturũ, ego horam semper expecto. *Tuus fidelis maritus* PETRVS BRVLIVS.

Hæc fermè sunt monimenta quæ in carcere à Brulio scripta extare uoluit Dominus, ad nostram totiusq; Ecclesiæ suæ consolationem. Brulius tandem post quatuor ferè mensiũ detentionẽ sententia à cõmissarijs Imperatoris (qui tum erat Bruxellis) lata, condẽnatus fuit ut uiuus igne cremaretur in amplissimo illo theatro quod apud magnum forum extructũ erat, in quo paulò antè exustus fuerat Miocius: & Mariona uiua defossa, ut mox dicetur. Primaria accusatio erat quod contra edictũ Cæsaris aduersus Lutheranos deliquisset. Grauis enim pœna paulo ante Romanæ Ecclesiæ resistentibus constituta erat, quæ etiam bis singulis annis in partibus ijs prælegebatur, ne quis habere quod excusaret. Interceserãt quidẽ legati protestantiũ præsertim Electoris Saxoniæ & Landgrauij, atq; Reipub. Argentoratensis, sed literæ tum demum allatæ, cùm martyrium iam sustinuisset. Cùm is ad supplicium duceretur, pauca quædã ad Tornacensem populũ uerba fecit, omnia à Domino prospera illis exoptans: maximè uerò incrementa fidei Christianæ abiectis hominũ impijs traditionib. & cõmentis. Multi aderant monachi & sacerdotes qui nõ desierunt clamoribus obstrepere etiã Brulio precanti Deũ, dum flãma eũ in sublime euectũ corriperet. ut enim dolorẽ multiplicarent exiguo igne paulatũ absumere ipsis placuit. Quã quidẽ pœnã summa cũ animi constantia & magnitudine sustinuit die lunæ XVII. Februa. qui Papistis sextus tum erat à festo cinerũ, quos è culina sumptos initio quadragesimæ fronti illinunt. Acta sunt hæc anno à natali Christi sumpto M.D.XLV. Hęc ex Lud. Rabi lib. 6.

Louanij uiginti octo Christiani uiri & mulieres capti, qui partim suspensi aut exusti, aut ad perpetuum carcerem damnati, 1543.

Persecutio in Belgis.

CVm aliqui homines Louanij de Lutheranismo essent suspecti, Bruxellis eò Cęsareus procurator est profectus, ut seueram Inquisitionẽ haberet, Anno 1543. Paulò post armati quidam satellites ordinati, qui eos noctu in propijs ædibus circundarent & caperent. Ita coniuges sæpe in lectis deprehensi à liberorũ cõspectu abducti, atq; hinc inde ad uarios carceres distributi sunt. Quo factũ ut ex ciuibus multi terrore perculsi doctrinã Euãgelij reliquerint, atq; ad Idololatriam reuersi sint. In ea tamen persecutione uiginti octo manserunt constantes, omnia potius parati ferre, quam à cognita ueritate recedere. Hinc Doctores Theologi præsertim Anchusanus Inquisitor & Latomus aliquoties

aliquoties cum ijsdem colloquia & disputationes instituerunt, ut huiusmodi ad Reuocationem hæreseos adigerent. Verum magna sæpe confusione domum redire coacti sunt. Hinc alia uia nempe tormentis & supplicijs rem ordiri placuit: idque separatim cum omnibus. Inter alios erat Paulus sacerdos uenerandus senex natus plus minus annos sexaginta. Hic à Rectoribus Vniuersitatis & eorum assecls magna pompa ad Augustinianos Monachos deductus fuit, armatis militibus circumseptus. Ibi post Rectoris seueram obiurgationem degradatus fuit. Cùm uero is metu mortis in quibusdã articulis religionis dubitare cœperat, ad perpetuos carceres dãnatur, ut solo aqua & pane uiueret. Propterea statim in arcem Villabord inter Bruxellas & Mechliniã sitam abductus fuit. Collocabatur is in locum obscurum & fœtidum solus, ut nec legere nec scribere liceret. Id enim ei interdictum fuit. Postea uero duo uiri, qui prius reuocarant, & deinde ad Lutheranismum redierant (iuxta decretum Cæsaris) ad ignem sunt damnati. Quam quidem sententiã æquo animo susceperunt. Itaq; mense Augusto in foro urbis ad palum cathenis ferreis ligati, atq; in cinerem redacti sunt, magna ciuium & studiosorũ commiseratione.

Hoc peracto ciuis quidam senex & duæ mulieres ætate confectæ, quæ Louanij natæ & educatæ fuerant, atq; hactenus coràm omnibus honeste suã uitam contriuerant, producuntur. Vna ex mulieribus Antonia erat septuaginta annorum, atq; ex magna familia orta, ita ut etiam tum cognati magnum locum in Magistratu tenerent. Tamen ea seueritate iudices agebãt, ut uir ille ob Lutheranismum percuteretur gladio, atq; mulieres uiuæ defoderentur in terram. Quam pœnam magna animi constantia patienter pertulerunt. Quidam ex captiuis, qui non morte, tamẽ bonis suis mulctati sunt. Iussi etiam ut sola linea interiori tecti, nudi quasi Templum aliquãdiu accederent, Candelam accensam in manibus ferrent, atq; coràm altare in genua prociderent, ueniam erroris suppliciter petentes. Si quis uero hanc pœnam non subire, nec Euangelij doctrinam abiurare uellet, ignis pœna addebatur. Quo factum ut cordatiores etiam ea Tyrannide permoti tacere cogebantẽ. Hæc omnia Franciscus Encenas qui tum Louanij interfuit, atq; ut res acta est oculis uidit, fusius describit, ex quo hæc breuiter decerpsimus. *Mulieres uiuæ defossæ.*

M. Perseualdus Cæcus Louanij clam sublatus, Anno 1544.

ERat eo Tempore Louanij Perseualdus de Briga natus homo omni genere literarum longè doctissimus. hic uero cùm superstitiones papisticas reprehenderet & Euangelium commendaret, magno impetu in carcerem rapitur. Interim fama quædam sceleris cuiusdam de eo spargitur, quod pius uir ne cogitarat quidem. Tandem uero eo omisso, Lutheranismi causa accusatur & pridie trium Regum ludicio sistitur. Cùm uero constans in fide permaneret, ad perpetuos carceres damnatur, soloq; pane & aqua cibandum statuunt. Quam quidem pœnam patienter tulit. Ciues etiam aliquando misericordia ducti uinum aut ceruisiam dono miserunt. sed custodes sub graui pœna eadem relegare cogebantur. Tandem nihil amplius de ipso auditum fuit, ita ut aliqui arbitrentur, eum aut inedia confectum, aut clam submersum esse. Ita sancti Martyres uarias calamitates ferendo ueritati dederunt testimoniũ. Hæc ex Francisco Encenate.

PETRVS Cognomine MIOCE, Tornaci exustus paulò ante Petri Brulij martyrium, Anno 1545.

NOn immeritò Spiritus Domini per os prophetæ Isaiæ exclamat, Admodum pulchros esse pedes promulgantis pacem, annunciantis bona, qui prædicat salutem: ac dicit Sioni, Deus tuus regnat. Videmus enim in ijs locis

ad quæ missi sunt Euangelij præcones, fructus quoq; cultura dignos extare, & quotidie eorum prędicatione uberiores dari. Sanè quidem aduentus Petri Brulij, de quo modò egimus, ad inferioris Germaniæ urbes, quibus nunc rex Hispanus imperat, mirum dictu quãtum profuerit, apud eos potissimum qui iam ad recipiendum cœlestis doctrinæ semen excultos habebant animos. At quanto maior horum erat numerus, tanto etiam grauior sequuta est in ijsdem regionibus persecutio, postquam in uincula coniectus esset Brulius. quæ qui dem ut semper fuit index, & ueluti lapis Lydius, quo fideles ab hypocritis facilè internosci possent: sic etiam ea persecutio ueros uerbi Diuini auditores discreuit ab ijs qui nescio qua leuitate, aut nouarum rerum, ut ipsi censent, auditate, Euangelij doctrinam ad tempus arripuerant. Inter eos itaq; qui tunc captiui tenebantur, erat quidam Petrus cognomine notior, Miocius scilicet, qui texendo assimilatũ sericum in ea urbe sibi uictum parabat. Hic sanè antequã ad ueritatis cognitionem pertractus esset, uitam omnibus peccatis ac uitijs delibutam degebat, sed postquam Euangelij luce à Deo donatus fuit, ita protinus immutatus est, ut uitæ integritate ac zelo Spiritus reliquos ea in urbe superaret: quod quidẽ cùm in carcere, tum uerò etiam in morte, quam obijt crudelissimam, satis demonstrauit. Prima coitione ab aduersarijs rogatus, fuisset ne unus auditorum Germanici illius concionatoris (sic enim uulgò Tornaci Petrum Brulium, qui tum captiuus detinebatur, appellabant) liberè respondit, Vnum se fuisse, magnosq; in doctrina ab eo annũciata progressus fecisse. Quid, inquiunt aduersarij, uis ne eam tueri? Volo, inquit, quoniam consentit cum ueteri ac nouo Testamento. Post primam hanc percontationem, protinus demissus est in profundissimam fossam magnæ turris castri Tornacensis, quod undiq; aquis cingitur. Locus in quo inclusus fuit, refertus erat bufonibus atq; alijs impuris bestijs, propter profunditatem atq; uliginem fossæ, nec in eam alij demittuntur nisi qui breui morte mulctandi censentur. Magistratus autem ut metum incuteret Miocio, constantiamq; quam in eo singularem perspiciebat, labefactaret, mandauit ut illic detineretur quousq; demissius loqueretur, aut palinodiam caneret. proinde in hac fossa mansit à mẽse Nouembri donec mortis aduersus eum lata est sentẽtia. Interea loci senatus, assumptis secum monachis, sæpius eum examinarunt, hac tantùm ratione ut illum à recta uia atq; fide deducerent. uenit etiam Franciscanus, cuius antè mentionem fecimus, doctor Hasardus, cùm alijs fautoribus, ut cõtra eum disputarent: sed nulla res eum mente solida concussit. quinimo, quodam die ab istis ualde lacessitus: Miror, inquit, domini mei, uos nunc adeò mihi infensos esse, ut etiam ad necem poscatis: nemo tamen uestrum mihi adhuc improbo & uitam inhonestam palàm agenti, uel uerbum quidem faciebat. Quo audito, qui aderant taciti alij alios intuebantur. Hasardus autem omnium impudentissimus, ei dixit, Annon uideris tibi nunc esse magis impius quàm dudum? Tuo quidem iudicio, inquit Miocius. Sed magistratui qui adest, loquor, non tibi Cucullate, ne erres: tacuisse profectò debueras ut honori tuo consuleres, alijs uerò loquendi uices dedisse. Quo uerbo impudens illud monachi os facilè obturauit. Ad hęc Senatus, ut certam iudicij formam pertractaret, interrogauit eum de pluribus articulis, ac maximè de Missa & Sacramentis, præcipiẽs ei ut compendiaria cognitione responderet. Miocius autem gaudens se de fide sua interrogari, orsus est edere confessionem, singulos eius articulos certis Scripturæ testimonijs probans atq; confirmans. Aduersarij uerò utpote lippi non ferentes lumen ueritatis, Non, inquiunt, habemus opus tuis concionibus: sed fatendo aut inficiando responde. Domini mei, inquit ille, non hic de homicidio aut furto est quæstio: uerùm in hoc totius causę uersatur cardo, ut sciamus uestráne an mea melior sit sententia: quæ res nec summatim nec breuiter demonstrari

Carceris impuritas.

monſtrari poteſt. Ac quum iam iterum cœpiſſet loqui, ſemper ab ijs interruptus eſt ſermo. Quibus ille tum dixit, Si me loquentem audire non uultis, remittite quæſo in eam carceris foſſam in qua buſones habeo ſodales, qui mihi nec clamore nec fremitu quicquam impedimento ſunt, ſi quando aut Pſalmis Deum laudo aut precibus eius opem imploro. Vos autem creaturæ rationis capaces cùm ſitis, formatæ ad imaginẽ Dei, non poteſtis ferre ullam de ipſius Verbo mentionem coram uobis haberi. putatis ne me fabulas inceptare, aut nugas agere, ut ueſtri Monachi ſolent? erratis ſanè, ſi id creditis. puram enim Dei ueritatem annuncio. Hæc quidem hominis conſtantia auditorum animos non mediocriter commouit, ac uariè quidem affecit: etenim quibuſdam conſolationem, pleriſq; uerò ſummam offenſionem, ad ſtridorem uſque dentium, attulit.

Eodem tempore in uinculis ibidem erat quidam nominatus Bergiban, qui eximia à Deo dona receperat, & tantos in Scripturæ intelligentia progreſſus fecerat, ut ante Petri Bruli in eam urbem aduentum, ſubinde in fidelium conuentibus interpretẽ ageret. Quàm primũ Brulius cõprehenſus fuit, quærebatur in primis ut unus ex coryphæis Bergibanus: qui quidem domi ſuæ inuentus nõ eſt, aut quòd inde egreſſus eſſet, aut quòd ſe aliquò abſcondi curaſſet. Ex quo deinceps tantum concepit animo dolorem, ut ſe in manus ſatellitum ultro tradere deliberaret, eandem cum reliquis captiuis cauſam defendere cupiens. Amici ipſius, qui in eo ſingularem uitæ integritatem cum ſumma erudi tione coniunctam ſemper perſpexerãt, admodum mirabantur, cùm uiderent hominem ea uoluntate ferri, ut ſe parato exitio obijceret, nec uerò aliud ei ob oculos ponere poterant, niſi ut etiam atq; etiam conſideraret, ne Deum temere tentaſſe argui poſsit. Nulla autem res illum ab inſtituto dimouere potuit: non uxoris lachrymæ, non parentum aut propinquorũ preces, nec totius denique familiæ, quę adducebatur, conſpectus, quicquàm efficere apud ipſum ualuit, quo minus re familiari conſtituta atq; confecta, extremo ſuis dicto uale, poſt triduum ſponte ſe ad cuſtodiam conferret. Prędidium itaq; caſtri, eo uiſo, rogauit quónam pergeret? Magiſtratus, inquit ille, me quæſiuit, uenio ut ſciã quid me uelit. proinde ad Præfectum caſtri ductus, faſſus eſt ibi, ſe malè feciſſe, quum ſe abſconderet à Domino uocatus ad eandem cum Brulio alijsq; captiuis cauſam defendendã. Prędectus uerò ualde perculſus erat, audiens hunc hominem tanta animi tranquillitate, ac ſine metu facti ſui reddere rationem coram uniuerſo caſtri prędidio: & ſanè dolebat iſtum eò ueniſſe, ſed quum cerneret adeò confidentem, iuſsit in carcerem abduci. Initiò quidem admodum ſe conſtantem præbuit: ſed ubi Imperatoris commiſſarij incuſsiſſent ei horrorem carceris & mortis, quam ei ferendam minabantur crudeliſsimam: cœpit hic homo ſenſim uacillare, atq; ita paulatim à ueritate deficere, in gratiã pſeudoprophetarum & monachorum, qui illi euadendi ſpem fecerant. In ſumma, tandem Bergibanus, ut extremum beneficium acciperet, quale carnifices omnes & tyranni dare ſolent, nempe quò mitius ſecum ageretur, cõmutato tantùm ignis ſupplicio cum capitis præciſione, in omnibus obſequebatur. Quæres, ut geſta erat, poſtquam populo nota fuit, plurimis certè ſummam admirationem attulit. Aduerſarij ex iſtius incommodo ſua comparabant commoda, & ſedulò de ipſo triumphabãt: atq; ob id hiſtoriam pluribus proſecuti ſumus, quia exemplo Bergibani, Miocium quoq; terreri poſſe ſperabant. Nam in poſtremis percontationibus, cùm nihil ſuis cauillis apud Miocium proficerent: hoc ſaltem illi obiectabant, dicentes, En ſocium tuum Bergibanum, qui multò te eruditior eſt, omnia reuocauit: uis ne tu plus illo ſapere? Reſpondit Miocius, ſe non iuraſſe in uerba ullius hominis: aliud longè ſibi ante oculos poſitum habere exemplum, Ieſu Chriſti ſcilicet ſaluatoris ſui, De Bergibano, inquit,

Bergiban captiuus.

Sanctorũ ſupplicia in bonũ cedunt.

quit,si uera sunt quæ dicitis,perfidus meritò & proditor haberetur,ac satis declararet se Dominum tentasse cùm sponte sua in manus uestras uenit. Equidem, si Deus aliquam euadendi obtulisset occasionem, haud sanè prætermisissem. quare dum me habetis, agite de hoc corpore quod collibuerit, in animam uerò nulla penes uos est potestas. Iudices magis quàm antea obstupefacti,sine ulla mora sententiam de ipso tulerunt, quæ paucis post diebus illi pronunciata fuit,ut uidelicet uiuus igne cremaretur in amplissimo theatro,quod in magno foro extructum erat. Dum ad locum supplicij duceretur,graui uinctus catena, monebat populum ne crederet sacrificis & monachis, sed Euangelium filij Dei unicè amplecteretur. Ibi sacrifici cum monachis mirificè fremuerunt,quòd tam impio,ut aiebant,loquendi copia daretur. Inter hos fremitus & clamores ipse clara uoce Psalmos canere cœpit. Quum iam ad palum deligatus esset,sacculo tormentarij puluerís pleno ad pectus ipsius appenso, qui quidem puluis igne accensus quum magnum sonitum dedisset, sacrifici & monachi qui aderant, populo persuadere conabantur, animam esse Miocij,quam diaboli secum auferrent. Miocius autem in media flamma perpetuò oculos in cœlum defixos habebat: qua tandem flamma præfocatus, fidelem Deo spiritum reddidit.

MARIONA, VXOR ADRIANI SARTORIS in urbe Tornacensi uiua sepulta,

1545.

Mulier sua cõstantia uirũ superat.

VIgente adhuc persecutione illa contra fideles, quæ eo tempore Tornaci,propter Petrum Brulium, ut diximus, exorta erat maxima, quidam etiam,cui Adrianus erat nomen,qui in ea urbe artem sarciendi uestes profitebatur, cum Mariona uxore sua, in uincula coniecti fuerunt. Causa autem cur apprehenderentur una eademq; in utroq; fuit,Euangelicæ scilicet ueritatis ergò: exitus tamen in ambobus longè diuersus extitit. Adrianus enim ueritatẽ, qua debuerat uirili constantia, non defendit, sed turpissimè ab ea defecit, ac sententiam præ nimia mollitie reuocare coactus, ueré Cyclopis beneficium à Iudicibus accepit, ut capitis saltem supplicio plectaretur: idq; non ita diu pòst, quàm in carcerem detrusus fuisset. Contrà uerò, Mariona ipsius uxor, mascula præstans uirtute fœmina, constanter semper in sententia permanebat, & magnum profectò fidelibus, qui tum Tornaci erant, exemplum constantiæ exhibuit. Tyranni autem quantumuis truculenti,neq; minis, neq; sæuitia,neq; ullo denicq; terrore mortis crudelissimæ, mulierem hanc ab officio abducere potuerunt. Atque ei quum proponerent mariti exemplum, quem pœnitentia ductum omnia abiurasse dicebant: nullam illa uerbis aduersariorum fidem dans, tota in hoc ut inuictæ ueritati, inuictum quoq; ederet testimonium, Iudicibus abundè declarauit,se nequaquam ipsorũ truculentia perterritam fuisse,nec eo quidem mortis genere,quod illi subeundum minabantur,nisi mutaret opinionem. Iudices itaque quum nihil suis minis proficerent, sententiam aduersus illam pertulerunt, ut uiua uidelicet in terram defoderetur. (id nanq; mortis ac supplicij genus, in Flandria ac uicinis regionibus, ferè usitatum est in fœminas Christianas & fideles.) Ipsa igitur ad locum supplicij quum duceretur,ad theatrum scilicet,quod Tornaci in magno foro (ut suprà dictum est) extructum erat: nunquam destitit populum ad ueritatis studium hortari,& precari Deum pro ijs qui adhuc in densissimis ignorantię tenebris uersabantur. Præteriens in itinere turrim, quæ urbis Specula dicitur, in qua maritus eius detentus fuerat, illic adhuc eum sedere putans, sublata uoce clamauit, Vale mi Adriane, alijs mihi nuptijs hic dictus est dies. Consenso iam theatro,ut uidit terræ aggerem & cistam in modum sepulchri concauam,traiectis utrinq; clathris ferreis, quibus imponi solet mulier quæcunq; id genus supplicij

supplicij subire cogitur: Mariona, inquam, tam crudelis apparatus spectaculo nequicquam perculsa fuit: quinimo alacri prorsus ac uirili animo eos qui circunstabāt ipsam in theatro, sic allocuta est, Húnccine mihi parastis pastillum? alludens ad formam cistæ in qua trucidanda erat, & arto creatis cõfectionem. In hunc itaq; modum defossa, obijt fidelis in Christo uirago.

Iustus Imbsbergerus Bruxellis decollatus 8. Ianuarij, Anno 1544.

IVstus ille pellio & ciuis erat Louanienſis, qui inter alios, potissimũ Monachis de Lutheranismo erat suspectus. Tandem uero religionis gratia cùm in labore esset comprehenditur. Habebat autem forte secum nouũ Testamentum & aliquot Conciones Lutheri, in quibus sese, cùm otium dabatur, exercebat. Primo per nouem septimanas Louanij in carcere detinebatur, atq; magnis cruciatibus torquebatur ut alios suæ religionis proderet. Cùm uero neminem hæreticum sese cognoscere affirmabat, tandem Bruxellas deductus fuit, ut ibi iudicio sisteretur. Drosardus autem, qui in ea regione habebat uitæ & necis potestatem seriò commendarat Carceris custodi, ne quem alium ad Iustum admitteret, neúe aliquem alloqueretur. Propterea seorsim in obscuro loco collocatus. Erant autem in parte inferiori & alij captiui, inter quos Aegidius & Franciscus Encenas erant præcipui. de Aegidio paulo post. Franciscus autem Hispanus erat Burgensis, qui ob nouum Testamentum in Hispanicam linguam conuersum opera Asoti Monachi in Carcerem detrusus fuit. Ibi per quindecim menses detentus nunquam tamen causæ suæ inquisitionem impetrare potuit. Tandem uero ianuis carceris undiq; apertis miraculose liberatus est. Hi itaq; clam ad Iustum ascendentes, post mutuam salutationem ipsum hortantur, ut in cognita ueritate constans maneat, atque sanguine suo eandem confirmet, id quòd & ipsi facere sint paratissimi, si Deo sic uisum sit. Qua de re maximam consolationem suscepit. Interdiu accedebant Theologi qui de certis articulis religionis rogabant, quo causam mortis adiscerentur, præcipue uero de Pontifice Romano, sacrificio Missæ, purgatorio, Absolutione, & sacramento altaris sub utraq; specie. Cùm uero ad ea libere ex sacris literis responderet ad ignem damnatur. Postea tamen tres dies in carcere retentus ut ad reuocationem adigeretur: sed omnia frustra. Intercedentibus interim quibusdam alijs, eam gratiam à regina Maria impetrauit ut capite plecteretur. discedens à captiuis hortabatur eos ad constantiam, & uicissim consolationem ab ipsis accepit. sic tandem publicè in foro, cùm carnificì & cunctis alijs ignouisset, truncatur capite 8 die Ianuarij, Anno 1544.

Lutheri cõciones.

Aegidius Bruxellensis in patria sua uiuus exustus 27 Ianuarij, Anno 1544.

AEgidius hic Bruxellis honestis parentibus natus, in adolescentia artem fabrilem cultorum didicerat: in qua etiam ita excelluit, ut suis laboribus non contemnendas opes acquisierit. Quum uero annorum esset triginta triũ atq; Euangelij doctrinam innotuisset, ardenti animo sacræ lectioni incubuit atq; Christo illuminãte eandem amplexus est. Erat aut uir humanissimus, qui uitæ innocentia & pietate omnes alios in ijs locis superauit. Quicquid bonorum habuit distribuit pauperibus, & artificio suo sese sustentabat. si quid etiã supererat, statim egenis conferebat. alios iuuabat cibo, alios uestibus, alios calceis, alios suppellectile, alios uero in uera doctrina salutis instituebat. Cùm etiam honesta quædam puerpera lecto careret, suum donauit, & in posterum stramine erat contentus. hinc factum, Bruxellensis pastoris delatione, ut tandem Louanij ob religionem caperetur. Ibi aduersarij omnia tentabant ut uel erroris eum conuincerent, uel ad abiurationem eius doctrinę adigerent. uerũ tanta eloquentia & cognitione rerum erat præditus, ut Theologi sæpius magna confusione recedere cogebantur. Cùm ita per octo menses in squallore

Aegidij pietas.

detineretur, tandem Bruxellis deducitur, ut iudicaretur. In carcere eo alios con captiuos, inter quos etiã Franciscus Encenas erat, consolabatur, & ad constantiam ueritatis adhortabatur: coronã enim immarcessibilem Christi Martyrib. esse paratã. Alijs etiam ad mensam inseruiebat, atq; contentus erat parcissimo cibo, quẽ alij reliquerant. Orationib. adeo ardenter incumbebat, genibus flexis in loco aliquo separato ut quis diceret eum extra se aliò raptum. Vocatus etiã sæpe ad cibum non audiebat, nec astantes uidebat, donec brachio subleuatus eos placidè alloqueretur, tanq; dulcissimo somno experrectus. Aliquoties duo Monachi ordinis Minorũ ad ipsum missi ut eum ad reuocationẽ impellerent. Iis dixerat ut abirent, nihil enim ipsos hoc loco effecturos. ad contumelias uero obiectas tacuit, adeo, ut deinde spargerẽt mutũ ipsum habere diabolũ. Cùm aũt capita doctrinæ reprehẽderent, animose ipsis respondit, & sua ita sacrarũ literarũ testimonio approbauit, ut Monachi admirabundi discederent. Potuisset Aegidius sæpius ex carcere effugere, ianuis ipsis apertis, sed noluit, ne custodẽ in periculũ conijceret. Tandem 22 Ianuarij ad aliũ carcerẽ seorsum ducit, ut tormentis crudeliter diuexaret atq; interrogaret de purgatorio, aut alios aliquos proderet: sed nihil effectũ est. Ergo 25 huius mensis ad ignem damnat, idq; præter regionis consuetudinẽ clam. nam metu populi qui Aegidium uehementer diligebat, publicè id facere non audebant. Cum sententia ad eum fuisset perlata, gratias egit Deo, q; tandẽ hora esset uẽta ut nomẽ eius sua morte glorificaret. Die 27 in forũ ducitur ut supplicũ de eo sumeret, ibi sexcenti armati circũdabant Iudices, ne seditio oriretur. Magnã copiã lignorum congesserant ut martyr ille combureret. quã cùm Aegidius uidisset, respõdit, quid opus erat tãta strue lignorũ ad exhaustũ hoc corpusculũ tollendum? date potius ea pauperib. atq; partẽ minorẽ relinquite. Cùm etiã uideret pauperem quẽdã discalciatũ, calceos suos exuit, atq; dedit, indignũ ratus eos exuri, cùm interim illo frigore pauper ijs careret. In Medio lignorũ tugurioluũ strami neum paratũ erat, in quo ligabatur reus. cùm uero Carnifex laqueũ pararet ut eum strangularet antequã ignem accenderet, respondit: non est opus huiusmodi mitiori pœna. Ignẽ ob saluatorem Christũ non exhorreo, propterea fac quod cõmissum est. sic oculos ad cœlũ attollens atq; orans, in medijs flammis extinctus est, magna ciuiũ commiseratione. Ab eo etiã tempore Monachi à ciuibus odio habiti, dicebaturq; indignũ esse ut sanguinolentis maníb. eleemosinã caperent. Hanc Historiã plenius Franciscus Encenas concaptiuus eius descripsit, atq; edidit, ex quo breuiter summam hanc excerpsimus.

Oratio ardẽs.

Persecutio in Belgis, Anno 1543 & 1544.

CArolo quinto imperatore Gandauis existẽte, Theologi Monachi ab eo impetrarũt, ut grauissimũ edictũ cõtra Lutheranos promulgaret per inferiorẽ Germaniã & Belgiã suę ditionis, & quotannis bis id recitaret ijs locis, ne quis ignorãtiæ causam obducat. Eo publicato statim in Flãdria magna persecutio orta. nulla urbs aut oppidũ eius regionis erat, ex qua nõ aliqui piorum partim expulsi, partim decollati, aut in perpetuum carcerem abducti fuerunt, bonis eorum confiscatis. nulla habebatur ratio sexus uel ætatis. Gandaui quoque multi ex primarijs capti, postea religionis gratia exusti. Cùm uero Cæsar Bruxellas rediret, ibidẽ eadẽ immanitate inaudita illa piorũ persecutio cœpit, præsertim in Brabantia, Hannonia, & Artheſia. Dictu incredibile & horrendum quã crudeliter ubiq; actũ fuerit. Tempore quodã ad ducẽtos utriusq; sexus ex circũiacenti ditione in urbẽ captiuos pduxerunt. hos partim aquis submerserunt, aut uiuos in terrã defoderunt. alios uero clam sustulerunt, aut hinc inde ad perpetuam captiuitatem damnarunt. Quo factum ut carceres & turres undiq; captiuis implerentur, atq; manus carnificum mactando defatigarentur, magna lamentatione eorum, qui doctrinam Euangelij cognouerant, atq;

atq; eandem modō negare, aut sanguine suo confirmare cogebātur. Id quod copiosius in Lud. Rabi li. 7. describit Frāciscus Encenas, qui eodem tempore quoq; religionis ergō, Bruxellis in arcta custodia detinebatur.

IACOBVS CHOBARDVS, In Lotharingia exustus, 1545.

IN urbe S. Michaelis in ducatu Bari apud Lotharingos, permulti fideles capti fuerunt, quidam etiam profugi, quoniam conuentus summo cum pietatis fructu inter se habuerant, in quibus libros sacræ Scripturæ exponebant. In eorum numero fuit uir pius & doctus qui scholæ eius urbis præerat, Iacobus cognomine Chobardus, natus in pago urbi S. Michaelis admodum propinquo, Meserigna nominato. Is sanè de sacramentis cum tribus sacerdotibus Pæ pæ qui in ea urbe erant, in disputationem uenit. Illi in eam partem acceperunt eam disputationem, quasi Missa nec mortuis nec uiuis quicquā prodesset atque inseruiret. Itaq; accusatus ab illis, atq; in carcerē coniectus quatuordecim aut quindecim hebdomadibus, sententiā suā rationib. authoritatibusqúe Scripturæ constāter tutatus est. Cū aūt multi eum hortarentur, ut quæ professus fuerat, retractaret, & cū cæteris uinctis honorariā pœnæ irrogationē acciperet: tantū abest, ut in eam sententiā fuerit adductus, ut maiore spiritus ardore accensus ultro confessionē fidei suæ amplissimā scripserit, quā matri suæ ad iudicem perferendā dedit, admonens illam, ne ea in manus alterius cuiusquā deueniret. Fœmina simplex ignorans quid secū ipsa ferret, confessionem iudici reddidit, & quidē ille furore quodā incitatus, detulit ad Frāciscū Lotharingiæ ducē: cuius sententia & authoritate Chobardus statim fuit condēnatus, ut uiuus igni cremaret. Iudex aūt nulla rei delatæ quæstione aut animaduersione amplius habita, sententiā à Duce pronuntiatā executioni mandauit. Cùm ad suppliciū Chobardus iā duceret, populū, qui eū circūstabat, monere ac docere cœpit: sed iudex inferior, qui in ea urbe Præpositus dicit, ei silentiū imperauit, testificās eos qui adessent, melius & ipsum mādata Dei doctrināqúe tenere. & nisi taceret, se lingua excisa silentiū ei impositurū minatus est. Quamobrem Chobardus nihil postea loquutus est, nisi & sæpe Deū inuocās implorāsqúe illa uerba repetebat, Deus mi, miserere mei: Deus mi, miserere testis tui ac martyris. Deinde sine ullo corporis motu quietus & māsuetus, instar mitissimi agni, uiuus est exustus. cuius in morte, quidā etiā ex magistratib. hominem doctū peritūqúe linguarū cōquesti fuerūt, & summa probitate atq; innocentia præditum, ita extinctum fuisse. Itaq; edicto magistratus cautum fuit, ut nō nisi pro hæretico haberetur.

M.D.XLV.

Disputatio de sacramentis.

Chobardi mors etiam inimicis ingrata.

AYMONDVS à VIA, Burdegali exustus, 1543.

CIrciter annum M.D.XLI. mense Decemb. decretū fuit à summo Burdigalensi Senatu ac Parlamento, ut comprehenderet Aymondus à Via, qui docebat & concionabat Euangeliū Iesu Christi in urbe S. Fidei in Agennensi tractu: idqúe accusatione Parochi eiusdē loci atq; aliorum sacerdotum quos sibi Parochus in causa habebat socios, dicentes prædicatione illius multum de ipsorum quæstu decedere.

De hoc autem Senatusconsulto certior factus fuit Aymondus, tribus antè diebus q̄ apparitor ad exequendum ueniret, atq; à plurib. incitatus ut periculum fuga declinaret. Id uerò ut faceret nunquā induci potuit: sed his ferè apud suos uerbis usus est, Malo equidē me nunquā fuisse natum, & hoc facinus cōmittere. neq; em̄ boni Pastoris est fugere imminēte piculo, ut ait Dñs: uerùm illius est manere, ne dispent oues. Gratiā autē à Dño accepi prædicandi uobis ipsius Euāgeliū: & si nunc, ppter unicā tentationē abirē, estimarer cōcionatus fuisse fabulas, somnia, aut alia Deo cōtraria, quū uos in offēdiculo relinquerē. Qua, ppter uos rogo ne mihi amplius de hac re uerba faciatis. nā scio quę cō-

cionatus sum uera esse, pro quibus sustinendis, Deo iuuãte, neq; corpori neq; animæ parcam: atqui cum D. Paulo dicam, Non solùm paratus sum pro Christo ligari in urbe Burdigalensi, sed etiam mori. Quæ hominis constantia, cæteris silentium imposuit.

Conciones Aymondi.

Accessit itaq; apparitor ut sententiã exequeret, qui tribus diebus in urbe mansit. Interea Aymondus tres cõciones habuit, in quibus summã atq; ἀνακεφαλαίωσιν omniũ suorũ præcedentiũ sermonũ, singulari quadam memoria repetebat, dicẽs se ad eos tuendos mille uitas, si tot haberet, nõ dubitaturũ abijcere. Quæ oratio cũ zelo diuino atq; innocentia cõiuncta, uehementer populi animos commouit, adeò ut plerique dicerent, Quid? hic causa est q; ludos, & uinarias tabernas reliquerimus, quodq; multi improbi homines ad meliorẽ uitã se conuerterint? Proinde multitudo in Apparitorem irruit, ut hominẽ liberarẽt. id quod Aymondus nequaquã permisit, his uerbis multitudinẽ cõpellans, Sinite quæso, fratres atq; amici mei, ne meũ martyriũ impediatis. uoluntas enim Dei est eiusmodi, ut pro illo patiar, cui nequaquam repugnandum est.

Tum consules dimisso Apparitore, statuerunt eum capere, atq; Burdigalã deducere. quô quidem tribus pòst diebus magno comitatus satellitio ductus fuit. Burdigalæ aũt plures aduersus eum producti sunt testes, ferè omnes sacrifici præter dñm Riueracũ, hominẽ (ut uno uerbo dicã) uerè φαινόμενον, eiusdemq; famulũ quos habebat hostes capitales. etenim Riueracus ille iactarat sæpius, aut mille coronatis aureis sibi negotium constaret, aut eum breui comburendum curaret. Ac etiamsi Aymondus iustissimas aduersus illos testes refutationes in promptu haberet, Regij tamẽ delegati Iudices ad eas proponendas admittere noluerunt: sed solas sacrificorum accusationes audiuerunt. Atqui omnes isti testes contra eum nihil aliud afferebant, q; sinistrè de Purgatorio sentire dicerent, quippe qui semper ipsis asseruisset, purgationẽ nostram solùm esse per sanguinem Iesu Christi.

Proponebat itẽ Aymondus à Via, quemadmodũ primus & secundus Præses reijciendi in ea causa bono iure forent: quia primus præses, dum lis (quæ illi cum Parocho S. Fidei intercesserat) adhuc suspensa maneret, curasset ut causam generalis Procurator Regius susciperet, & parochiatus beneficiũ à Parocho ad quendam è filijs suis transiret. Atq; ea ratione duo illi præsides meritò ab hoc iudicio remouendi erant, quũ & inter se cõsobrini essent, & aduersariorum tuerẽtur partes. nam de redditibus illius parochiatus agebatur. Quanuis autem, antequam decretũ uenisset, abundè ipsis perspecta erat hominis innocentia: tamẽ & se purgare, uel ut in foro loquuntur, iustificare, & obiectiones suas probare iuslus est. id quod ille fecit, adhibitis octoginta plus minus testibus, ijsq; grauibus quidem: quos tamẽ alij admittere noluerunt, sed suspectos sibi eos æquè atq; ipsum dicebant, eiusdẽ enim esse sectæ homines: tametsi in eos nunquam inquisitum fuisset.

Carceris diuturnitas.

Octo autem uel circiter nouem mensibus in carcere multas ærumnas pertulit, quibus ille tamen fide ac spe fultus minimè succubuit. Sed cùm interea illi denunciaretur ignis supplicium breui subeundum: nuncios istos tam firmo animo excepit, ut etiam inimicos ipsos attonitos redderet: quia semper idem erat uultus color, atq; in ore uerba Pauli habebat, Cupio separari à corpore, & esse cum Iesu, Christus mihi lucrum est siue uiuam siue moriar. uerùm una hęc res me malè habet, quòd diutius mihi alijs prodesse non liceat docendo, atque talentum à Deo mihi traditum, cum fratribus communicando: quodq; ea non apertius ac plenius exposuerim, quorum mihi Dominus uberiorem notitiam dederat. Attamen si placet eidem me nunc ad se uocare, uoluntas eius fiat, non autem quod desidero. Præterea uitam antè actam multis lachrymis deplorabat, dicens se malè uixisse, non iuxta cognitionem quam à Deo

Deo acceperat. idq; præter cætera maximè dolebat: quanuis eius uita, si homines tantùm ſpectemus, irreprehenſibilis fuiſſet: adeo ut aduerſarij & accuſatores, uitæ ipſius ſanctimoniam prædicare cogerentur. tanta erat huius uiri integritas atque ſimplicitas. Ex quo primò comprehenſum fuiſſe diximus, menſes ferè nouem ad primum & uigeſimum diem Auguſti in carcere manſit, eo quidem die acceptis ludicum delegatorum literis, perrexerunt agere de ipſius condemnatione, poſthabitis iuſtificationibus, ut ipſi dicunt, atque alijs cauſis recuſationum, quas ille aduerſus eoſdem ludices protulerat: qui quamprimùm captus eſſet, nondum cauſa cognita ac perſpecta, præiudicijs eum onerarant, paſsim dicentes, ignis ſupplicio adiudicandum eſſe. Denicq; negocium ita ſubitò in camera ludicum delegatorum confectum referri cœpit, ut ſtatim à prandio Aymondus maioribus compedibus conſtringeretur. Quod quidem ille uidens, præſagium ſibi atq; mortis nuncium eſſe aiebat: minus tamen laborare, quod omnia pro Chriſto libens patereť. Obſecrabat etiã eos qui illum inuiſebant, ne quid celarent eorum quæ de ipſo dicerentur. nam ſi, inquit, is eſſem cui caro dominaretur, meritò reticendi quicquam eſſet occaſio. aſt meam fidem nec mors nec cruciatus nec perſecutiones unquã concutient: conſtans permanebo in eo qui me confirmat, Ieſu Chriſto.

Tormentis cruciantur pij.

Die autem Mercurij proximo, crudeliſsimum in modum tormentis examinatus fuit, nõ de ſua cauſa, nam iam illi mors certa erat conſtituta, ſed ut quos haberet ſocios declararet. ibi tum primarius præſes barba illum prehendens, Dic inquit, homo nefarie, dic: condemnatus enim es, reſtat modò ut tuos cognoſcamus ſocios. Quósnam, inquit ille, ſocios quæritis? equidem alios non habeo ſocios, quàm qui ſciunt ac faciunt uoluntatẽ Dei Patris mei: ſiue ij nobiles, mercatores, agricolæ, ſiue alterius ordinis homines ſint. Atq; his diris cruciatib. uir alioq; tenui ualetudine, ad horas duas uel tres exercitus fuit, ubi ſe his uerbis conſolatus eſt, Corpus quidem hoc morietur, ſpiritus uerò uiuet: Regnum autem Dei manebit in æternum.

Sũma Aymõdi cõſtantia in tormentis.

Porrò inter hæc tormenta paſſus eſt animi deliquium: quumq; ad ſe rediret: Domine, Domine, ait, cur me reliquiſti. Secundus præſes tum ad eum: Improbe Lutherane, tu es qui dereliquiſti Deum. Rurſus Aymondus, Hei mihi, domini, inquit, ecquid me tantum cruciatis? Domine, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciant. Tum idem Præſes, Ecce, inquit, iſtum nefarium, qui pro nobis orat. Cæterùm ne unius quidem nomen ab eo extorquere potuerunt, ita ille omnia patienter & conſtanter perferebat, inquiens, Putabam equidẽ plus apud homines clementiæ reperire: proinde Dominum oro, ut in ipſo miſericordiam inueniam. Poſtea uerò in arctiſsimum carcerem (quæ turris Baronũ uocatur) detruſus eſt in diem Sabbathi: quo quidem die, circiter horam octauam manè pronuntiata eſt ei ſententia ut uiuus uſtularetur. Quod ſanè illum non magis perculit, quàm aliâs cùm idem illi nunciaretur, ſed Deum magnoperè laudabat, quod ipſum eo beneficio dignatus eſſet, ut hora mortis illi ſignificaretur. Protinus itaque miſſum eſt ad C. A. I. M. qui ipſius confeſsionem exciperent. At ille iſtos repudiauit, cupiens ſibi dari quendam ſui ordinis, Parochum nempe S. Chriſtophori: monachis uerò in hanc rationem locutus eſt: Abite hinc omnes, ego cõfitebor Domino peccata mea. uidetis me ſatis perturbatum ab hominibus, uultis adhuc adducere perturbationes? alij habuerunt corpus, uultis & uos auferre animam? abite hinc, obſecro. Deinde acceſſerunt conſiliarius de Longa, & conſiliarius Chaſſagneus, qui ipſum uolebant conſolari: ſed fides atque conſtantia huius tanta erat, ut ipſemet eos conſolaretur. Quum autem uideret interdictum eſſe Parocho Sancti Chriſtophori, ne ſuam confeſsionem audiret: aſſumpſit Carmelitam quendam, monachorum minimum, quem, cæteris abire iuſsis, retinuit, atque remotis

remotis arbitris longo satis tempore unà fuerunt, adeò ut eum ipsum monachum ad ueritatem conuerterit. Ad hæc allato ei prandio, accersi iussit custodem carceris, cum uxore & filia eiusdem, quibus dixit: Obtinui à Deo complementum desideriorum meorum: nam plus minus octo anni elapsi sunt, ex quo Deus, pro sua bonitate, mihi suæ uoluntatis notitiam largitus est: sed repentè uenit in mentem mori Burdigalæ pro ipsius Verbo: quod nunc uerè completum cerno.

Corpus & sanguis Christi in cœna.

Ad horam autem primam à prandio, uenerunt in carcerem primus & secundus præses, Chassagneus, Longa, & plures alij consiliarij. Hic tum M. Aymondus sermonem habere cœpit de Cœna, hanc suam fidem dicens: Quòd scilicet, quotiescunq; Christiani in uera unitate ac concordia conueniunt, docentes eandem omnes doctrinam, atque in fide non ficta & spe certa sumunt panem, reuera corporis & sanguinis Christi participes fiant: ibiq; in eam sententiam citauit locum Pauli 1. Corint. 11, summa profectò cum gratia Scripturam exponens. Ac dum ipsis loqueretur, semel alta uoce exclamauit: Verba quæ uobis loquor, Spiritus sunt & uita. Tandem subiecit, Hæc mea est fides, Domini mei, de qua nunc accusor: sed in primis, omnibus notum esse uolo quid de Cœna sentiam, Omnes nempe Christianos communicare corpori & sanguini Iesu Christi, quicunque fide recipiunt panem & uinum oblatum in Cœna: iterumq; uarios Scripturæ locos in quibus Cœnæ fit mentio, produxit. Sed plenius de singulis differere uolentis sermonem interrupit secundus præses: Audi, inquiens, oportet nobis aperias tuam de Purgatorio opinionem.

Sententia de purgatorio.

Ad hoc ille, Recte mones, inquit, dicam quod sentio, nosti in scriptura synonyma esse hæc uerba, Purgare, Mundare, & Lauare. Habes apud Isa. Dolores nostros ac languores ipse tulit, reuera factus est nostra salus & purgatio. Dico equidem nisi expurgati fuerimus quasi aurum in fornace, nunquam introibimus Paradisum. Tum secundus præses, Videte, inquit, quemadmodum Lutherani isti circuitione utantur. Id minime rogamus: sed dicat aliquis sit locus ubi animæ post corporis separationem purgentur, quando in uita non egerunt debitam pœnitentiam? Cui ille respondit, Eheu mi domine, sine me. Scis enim certò quod in turba & perturbatione dicitur haud posse intelligi. dico iam tibi, Iesum Christum sua morte pro omnibus peccatis nostris satisfeciisse, nosq; in eius sanguine lotos esse, ut est in sacris literis: Ipse lauit uos in sanguine suo, redempti estis non auro, sed sanguine Christi. Non legisti epistolas D. Pauli, in quibus toties inculcatur, nos per sanguinem Iesu Christi mundos esse à peccatis? Epistolæ illæ, respondit secundus præses, pueris ipsis notæ sunt. Quid pueris? inquit Aymondus, uereor ne tu uix eas legeris. Tum quidam monachus, Magister Aymonde inquit, uno uerbo ipsis satisfeceris, si dixeris locum quendam esse in quo animæ quæ ex hoc corpore migrarunt, purgentur. Hoc inquit ille, tibi dicendum relinquo. Ecquid uultis me damnari, & dicere quod nesciam? Ibi denuò idem secundus præses illum aggressus est, Ades, inquit, nónne tu iam moriturus speras adire Purgatorium? & qui moritur in peccato ueniali, rectáne introibit Paradisum? Ad hæc ille respondit, tantam se habere in Deo suo fiduciam, ut eo die in Paradisum iturum esse certò confideret. Rogauit alter, ubinam esset Paradisus? Ibi, inquit ille est, ubi Dei maiestas & gloria residet. Canones, inquit primus præses, faciunt mentionem, ut canon, Animæ defunctorum, & alij: atq; in tuis concionibus maxime semper cõmendabas pauperes. Ad quæ respondit, se uerbum Dei conciona tum fuisse, Canones uerò non didicisse.

Ecclesia sancta quæ.

Excepit mox præses, Credis ne in Ecclesiam? Respondit ille, se credere uerũ esse, qd Ecclesia regenerata per sanguinẽ Christi, fundata in eiusdẽ uerbo, statuisset.

ſtatuiſſet. Quænâm ea eſſet Eccleſia, interrogabat præſes. Cui ille, græca uox eſt Eccleſia, quæ latinis ſignificat Congregationem ſiue Conuentum. Equidem dico, ut promiſsit Chriſtus: Quotieſcũq; fideles congregantur ad honorem Dei, religionisq; Chriſtianæ propagationem, uerè inter eos eſſe ſanctum Spiritum. Ad hoc ſecundus præſes intulit, Sequitur igitur ea ratione plures eſſe eccleſias: ac ſi conuenirent ruſtici, fore eccleſiam. Non eſt quicquam, inquit ille, abſurdi, plures haberi inter Chriſtianos cœtus. ſic enim loquitur D. Paulus, Omnibus eccleſijs quæ ſunt in Galatia: tamen omnes illi cœtus unicã conſtituunt Eccleſiam. Tum conſiliarius de Longa, Eccleſia, inquit, in quam credis, an non ea eſt, quam uocat noſtrum Credo, Sanctam eccleſiam? Ad hoc ille, Confiteor ſane, atq; de ea loquor. Ibi ſecundus præſes interrogauit, quis nam eſſet eius Eccleſiæ caput. Ieſus Chriſtus, reſpondit Aymondus. Nõ autem Papa? ſubdit præſes. Nõ, inquit. Quid igitur? Miniſter, ſi uir bonus eſt: quemadmodum & Epiſcopi miniſtri ſunt, ut teſtatur caput quartum prioris Epiſt. ad Corinth. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros & diſpenſatores arcanorum Dei. Rogatus aũt an crederet Papæ, dixit neſcire ſe quis nam ille eſſet. Iterum rogatus, ánne is eſſet ſucceſſor Petri. Si, inquit, ſimilis eſt Petro, fundatus ſuper ueram Petram Ieſum Chriſtum, credo opera ipſius atque ſtatuta optima eſſe.

Hic præſes, Miſeret me tui, inquit, qa miſer homo exitio deuotus es. Quid? exitio deuotus ais, inquit Aymondus, & ſemel atque iterum repetens ea uerba, exclamauit, O qualem mihi iſte affert conſolationem: at ego contrà ſpero uidere hodie Deum meum, ac Patrem meum: & quis me ſeparabit à charitate Dei? an gladius, an fames, an nuditas? nõ, nihil me ab ea diuellet: ſed me omnium ueſtrũm ualde miſeret. his dictis illi egreſsi ſunt, Aymondus cum monachis ſolus relictus eſt. Non ita multò pòſt exiuit ipſe ad ſupplicij locũ ducendus: atq; in egreſſu canere cœpit Pſal. In exitu Iſrael de Aegypto. ſubſtitit uerò ante cuſtodiam Palatinam, ad captiuos reſpiciens, & clamans, Fratres mei, ſperate in Ieſum Chriſtum, ponite in eo ſpem ueſtram, nec uos quicquam perturbet. Locutus ſum de uobis cum ſecũdo Præſide, oſtendens ei miſerias quas toleratis propter procraſtinationes iudiciorum: qui mihi promiſit ſe uos breui expeditũrũ: fratres mei, uobis iam uale dico. Abeo ad Deum, qui & meus & ueſter eſt communis Pater. precamini illum mecum, ut ſua me gratia digne tur. Domina cuſtos, gratias tibi ago pro tuis in me officijs, tibiq; commendo miſeros captiuos, ut te ipſis mitem exhibeas. Ibi conſcendit rhedam, atq; egrè diens Palatium orſus eſt iſtud: Cæci ſunt & duces cæcorum, aures habent, & non audient: oculos habent, & non uidebunt, atq; ita Pſalmum abſoluit uſq; ad S. Andreæ, ubi illum incitabant ut ueniam peteret à Deo, Virgine Maria, atq; Iuſtitia. Implorabat quidem ueniam à Deo, ipſiusq; iuſtitia: ſed Mariam nulla in re ſe offendiſſe dicebat: atque in quo nulla eſſet offenſa, nullam quoq; ueniam requiri. Inde ductus fuit ad S. Legiæ, totoq; itinere non deſtitit concionari populo, ſeipſum confirmans, atque exultans quòd pro Chriſto moriturus eſſet, qui pro ipſo horrendos mortis dolores perpeſſus erat. Tum quidam ſatellitum, Perge, Perge, inquit aurigæ: concionum plus ſatis habemus. Ad hoc Aymondus dixit, Qui ex Deo eſt, libenter audit ſermones de Deo. Quum aũt præteriret quandam effigiem Diuæ Virginis, magna hominũ turba non ſine contumelijs in eum uociferabatur, quia imaginem nõ ſalutaſſet: & quia unicum Ieſum Chriſtum aſsiduè inuocaret, non autem Virginem Mariam. Quo uiſo ille uocem extulit, Precor te Dñe Deus, ne unquã permittas, ut quenquã præter te ſolũ ad auxiliũ implorẽ. In ipſo ſupplicij iam loco, cùm uellet condemnationis ſuæ rationẽ explanare, non licuit per ſatellites, ſed ferẽ à tortore in terrã detruſus fuit: deſcendens aũt de rheda, Domini mei, inquit, morior

Martyrum cõſolatio.

Magna rabies idololatrarũ.

morior pro Euangelio Iesu Christi,& uerbo eius:ac plenius dicere uolens,orsus est hoc pacto:Christiane,audi me: Quod ut impedirent apparitores, magnos excitarunt tumultus, cum huiusmodi clamoribus, Tolle, tolle, ne quid loquatur.Quid,inquit ille, an non per uos licebit mihi declarare populo, me non ut hæreticum sed Christianum mori? Minimè, clamabant cæteri. Eheu, quidni? Ac tum locutus est submissa uoce ad aurem parui illius Carmelitæ, quem antè cõuerterat.Carnifex dein arreptum iussit conscendere scalas: Hic ille clamare cœpit:Domine,ad auxiliandũ mihi festina,& nequid tarda:opus manuum tuarum ne despicias. Ignosce istis, quia nesciunt quid agant. fratres mei,Domini scholastici,obsecro uos ut Euangelio operam detis:solum enim uerbum Dei manet in æternum. Discite notitiam uoluntatis Dei,ne timeatis eos penes quos tantùm est potestas in corpus,non autem in animam. Postremò dixit,Caro hæc mirificè cum Spiritu luctatur,sed eam continuò abijciam. Domine,in manus tuas commendo animam meam: Domini mei orate Deũ pro me.ac subinde iterabat hanc precationẽ: Domine Deus meus, in manus tuas commendo animam meam. Tandem carnifex eum in scalis quassabat ut præfocaretur: atq; ita uir pius expirauit, corpus autem postmodũ igne consumptum fuit.

Precatio Aymondi ante rogum.

MARTINVS HOEVRBLOC,Gandauus,ibidem martyrizatus 8.die Maij,Anno 1545.

GAndauũ Flandriæ metropolis, urbs amplissima, inter alia quæ accepit bonitatis diuinæ testimonia,maximum hoc meritò numerandum est,q; plurimos uerè Christianos & pios homines habuerit, qui rectã salutis uiam, Iesum Christum scilicet,docere omnino conati sunt.Illa uerò, ut pleræq; omnes faciunt,non modò nullam ex eo gratiam habuit, sed ueritati pertinacissimè semper restitit,ut quos placidè excipere debuerat,crudelem in modũ trucidarit.Quod cùm multis constet exemplis,tum suppliciũ de Martino Hœurbloccio piscium mercatore, religionis ac iustitiæ prætextu sumptum octauo die Maij: M. D. XLV, magnam illius urbis ingratitudinem, atq; insignem crudelitatem satis & super testatur . Nam quum ille in tenebris adhuc manens, omnis generis uoluptatibus indulgeret, libidinum atque aliorum peccatorum,quorum infinitus est numerus particeps esset: obseruantissimus interea traditionum atq; decretorum papæ,omnibus quidem gratus erat,ac pacificè & sine inuidia uiuebat,sub imperio nimirum fortis illius & armati principis degens. Verùm Dominus ille fortior miseri istius hominis misertus,à tyrannide Satanæ eum liberauit,eiusq; oculos cœno illo barbarico oppletos,aperuit. id uerò opera primùm & concione cuiusdam Parochi, qui nonnulla subinde ex purioris doctrinæ fontibus hausta,concionibus suis intexebat,populoq; gelidè satis ac trepidè ministrabat. Martinus quidem ex ijs fructum faciebat,& quicquid boni dicebat, tã auidè arripiebat ut ab illo immutatus fuerit,ac deinceps ab improborum consuetudine recedens,sese ad meliorem uitam conuerterit: pauperum domos tam noctu quàm interdiu frequentabat, consolando & re ipsos iuuans, nec sibi nec facultatibus parcens quò ægroto aut inopi subueniret. Dominus autem in hoc homine mirificè suam gratiam extulit,opusq; suum prosecutus est.nam ex quo cor illius, uirtute Spiritus sui in quadam concione iam dicti Parochi tetigit, domũ ille reuersus res suas omnes composuit,summo studio,quippe ingentẽ sitim iustitiæ explere cupiens, inuestigauit piæ ac sanæ doctrinæ homines, à quibus amplius in pietate eruditi posset.Ac quo melius institueretur urbe egressus,per tres menses uicina loca circumijt,in quibus uiros pios atq; fideles degere intellexerat. Postquã uerò Gandauum redijt multò quàm antea in ueræ religionis doctrina instructior,summam admirationem ciuibus attulit tam subita ac noua in hoc homine uitæ

Martini cõuersio.

ne uitę mutatio. Pauci admodũ nouæ creaturæ effectorem agnoscentes Christum, gloriam ei debitam exhibuerunt: maxima uerò hominum pars, ut fit, diuinum istud opus calumniantes, quod à Spiritu Dei profectum erat, errori atque seditioni attribuebant. Tum etiam Franscani, quibus re salua & incolumi Martinus, adhuc idololatra cùm esset, profuerat, uidentes tam opimam prædam uelut è faucibus ipsorum ereptam, cõspirarunt aduersus ipsum, eò quòd cum illorum superstitionibus & idolomanijs communicare nollet, sed acriter eas reprehenderet. deinde quòd fideles in uinculis audacter adiret, & consolaretur, eosdemq; ad supplicium quum ducerentur, pijs admonitionibus persequeretur, neque cessaret usque ad locum pœnæ destinatum consolari, atq; uerbo Dei eos confirmare: idq; publicè atq; in oculis omnium. Monitus autem per Parochum ut ad sacramentum altaris sumendum ueniret: respondit se uelle sumere sacramẽta Domini nostri Iesu Christi, secq; omnes ecclesias habere pro sanctis, ubi purè uerbum Dei annũciatur. quare, inquit Parocho, si tibi placet (ut istiusmodi ecclesiæ ministrum decet, & pium pastorem) administrare sacramentum ex mandato Christi, gratissimum mihi feceris, & libentissimè accedam. Id autem se nec posse nec audere respõdit Parochus: uerùm multis apud eum precibus instabat, ut contentus consueto more, cum cęteris ad altare accederet. His itaq; rebus compertis, & ad Monachos qui Martino assiduè insidiabantur, delatis, tandem comprehensus & in carcerem cõiectus fuit: paulòq; pòst iam in uinculis interrogatus fuit per ludices, quinam essent suæ sectæ, eosq; ut nominaret precibus minisq; incitabant. Respondit ipse, ea ratione illos in odium & graue periculum uocare sibi uideretur. id quod non putaret licere ullo modo per secundum Legis tabulam. proinde graues tormentorum cruciatus perpeti malle, quàm illorum nomina prodere: Attamen si uestrũm aliquis, inquit, me hac in re aduersus prioris tabulæ præcepta peccare, per Scripturam ostendere possit, non recuso equidem Dei honorẽ præponere fratrũ meorum commoditatibus: paratus facere quicquid nobis in ea præscriptum est, seruatis suo quibusq; ordine rebus. Interrogatus dein à monachis quid de sacramento altaris sentiret. respondit merum esse Deũ panaceum, si ex decreto Papæ administretur. Protinus exceperunt ipsi, Non igitur credis corpus Iesu Christi esse in manibus sacerdotis, quum Missam celebrat? Cùm autem Martinus ad hæc dudum taceret, nec tamẽ cucullati illi, molesti esse desinerent, incitãdo eum ut loqueretur: dixit, Christum tam malè ab ipsis tractatũ, ut in manus eorum redire nolit amplius. Tum isti prosecuti sunt priorem de sacramento altaris quæstionem. Quandoquidem, inquiũt, ais nudum esse sacramentum, cur tanti facis, illud sub utraq; specie recipere? Ad hęc ille: Elemẽta quidem per se nuda remanere, panem scilicet panem, ac uinum, uinum: sed si ex præcepto Iesu Christi exhiberentur, elementa tum sibi esse in sacrosancta signa magni illius mysterij, quod nobiscum communicauit summus ille animarũ Pastor, Iesus Christus. Quòd autem exhibitionem sub utraque specie tanti faceret, id iccirco se urgere, quia neminem putaret mortaliũ tam arrogantem uel temerarium esse debere, qui ulla ratione Christi institutionem immutaret, atq; ad eam aliquid adderet, aut ex ea demeret quicquã: quoniam ipse Deus & uerus homo satis fuisset sapiens ad præuidendum incommoda, quæ acuti Ecclesiæ istorum doctores postmodò effinxerant. Tandem uir pius, post multas habitas magna tormentorum ui quæstiones, ut homines suæ opinionis accusaret, nec quicquã extorquerent carnifices, octauo, ut suprà posuimus, die Maij, deductus est ad consessum consiliariorum Flandriæ, qui in ea urbe suam sedem habent, in Castellum quod Comitis appellatur: ibiq; quòd sæpenumero clandestinos, propter metum Pharisæorum, conuentus & piorum cœtus adijsset: quodq; sinistrè de maiestate sacramenti sen-

Christiani non prodendi.

Sententia de sacramento.

tiret: purgatorium Papæ, & preculas pro defunctis prorsus reiiceret, atq; sub inde de errore admonitus non destitisset, neq; mutare animum unquam uoluisset: his de causis lata est aduersus Martinum sententia, ut ductus ad forum, quod uocãt Pharaelidis (Flandricè de uerle place) uiuus in eo cõbureretur, atq; in cinerem corpus redigeretur, cum amissione omniũ facultatũ. Cumq; iam in theatro staret alligandus ad palum, monachis cinctus, quidam Franciscanus ad illum dixit, Martine, nisi conuertaris modò, ex hoc igne transibis ad ignem æternum. Cui ille modestè admodum, Non est, inquit, tuum iudicare. Importuna autem hæc monachi ad Martinum oratio, tantam populo offensionem attulit, ut postmodò carmina ad ignominiam istiusmodi rasorũ composita, uulgò per plateas decantata fuerint. Hœurbloccius itaq; crudelẽ hanc & probrosam apud homines mortem, pretiosam uerò & gloriosam in cõspectu Filij Dei & Angelorum, mirabili constantia pertulit, ad confusionem hostium ueritatis, & confirmationem Ecclesiæ Domini nostri Iesu Christi, qui è cineribus suorum martyrum (quicquid Satan & ministri eius machinentur) tanquàm è bona semente, frugem ac messem uberrimam producit.

IOANNES DE BVCK ipsiusq; uxor, & NICOLAVS VAN POVLE, Gaudaui martyres facti, 9 Maij Anno 1545.

POstridie autem, qui dies erat nonus Maij, ibidem capite obtruncati fuerunt, Gandaui uidelicet, eiusdem Consilij Flandriæ sententia, Ioannes de Buck professione Sartor, & alter quidam nominatus Nicolaus uan Poule. Vxor item iam dicti Nicolai de Buck, uiua in terram defossa fuit, ob easdem causas, quas in sententia pij Martyris Hœurbloccij recitauimus. Atq; omnes isti præsentissimo animo mortem obierunt. Deo autem immortali honos & gloria tribuatur, à quo solo uirtus hæc admirabilis proficiscitur.

Vrsula & Maria nobiles uirgines in Delden exustæ, Anno 1545.

Sororum constantia.

DEus non modo uiros hoc tempore excitauit, qui doctrinam Euangelij martyrio suo comprobarent, uerum etiam honestas matronas atq; pudicas uirgines. cuius rei gratia breuiter exemplum præsens subijciemus. Erãt in Delden oppido inferioris Germaniæ, tribus milliaribus à Dauentria sito, honestæ duæ uirgines Vrsula atq; Maria, ex optima nobilitate à Becken prognatæ. Hæ ex diligenti frequentatione templorum tandem Euangelij doctrinam nactæ erant, ita ut etiam de primarijs religionis articulis cum aduersarijs conferrent. Ea re cognita statim capiũtur atq; in carcerem collocantur. Ibi de errore Anabaptismi, atq; uia salutis rogantur. Illę uero errores Anabaptistarũ negabant, atq; fatebantur sese solius Christi beneficio per fidem salutem nanci sci, nec opus esse huiusmodi sacrificia & nũdinationes populo obtrudere. Missam enim à Papis, magna Christi iniuria, excogitatã. In ea sententia cùm perseuerarent ad ignem damnatæ sunt. Maria ergo iunior puella primò ad ignem ducta & flammis suffocata fuit. hęc ardenter pro aduersarijs orauit, & Christo domino commendauit animam suam. Hanc eius constantiam iudices admirati Vrsulam admonuerãt ut doctrinam illam abiuret, atq; errores priores reuocet, quo uitam retinere queat. Aut si hoc nolit, saltem petat ut igne omisso capite truncaretur. Quibus respõdit, sese nullius erroris sibi esse conscium, sententiam enim suam sacris literis esse expressam, quæ errare nequeant: in ea sese perseueraturam ad finem uitæ. Quod ad alterum attinet, sese ignem non timere, sed imitaturam exemplum charissimæ sororis. ita quoq; extincta igne fuit.

Miraculum.

Miraculosè tum contigit ut carnifices cadauera nullo igne exurere uel consumere poterant, sed albicantia manserunt integra. Propterea nuda in loco supplicij relicta. Hæc ergo noctu pij quidam Christiani texerunt, & postea sepelierunt, Ita Dñs multoties suam potentiam in media tribulatione ostendit.

RERVM

RERVM IN ECCLE-
SIA GESTARVM, QVAE POSTRE-
MIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENE-

runt, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER QVINTVS.

Memorabilis Historia excidij Merindolij, Cabrieræ, uicinorumq; locorũ, à Ioanne Crispino diligenter congesta, ubi non modo unus atq; alter ob Euangelij professionem, sed certus populus, & maximus numerus utriusq; sexus hominum, unà cum liberis suis, martyrij coronam nacti sunt, Anno 1545.

QVI altius horum hominum genus repetunt, aiunt à CC fermè annis è Pedemontio in Prouinciam profectos, ut ibi habitarẽt, & multa loca inculta ac deserta perpetuæ locationis nomine accepisse: quæ ab illis diligentissimè exculta, maximam frumenti, uini, olei, amygdalarum, aliarumq; frugum ac fructuum copiam protulerũt: in re etiam pecuaria, greges & armenta bona & copiosa habuisse: priusquàm aũt illi eò se cõtulissent, locum Merindolij inhabitabilem desertum atq; sterilem planè fuisse. *Merindolium pagus in Prouincia.*

Sed boni homines, Deum timẽtes, in quibus Deus semper exiguum aliquod pietatis semen conseruare uoluit, quamuis dissipati, atq; ab hominum societate segregati, cum bestijs in terris desertis uitam degere coacti fuerunt: quas tamen Domini benedictione & labore improbo fertiles reddiderunt. Interea tamen mundus eos maximè detestans, ita exhorruit, in eosq; omnia probrorum & criminum genera congesit, ut indigni planè quos terra sustineret, uiderentur. Hi enim uetusta consuetudine pontificem Romanum non agnoscebant, & aliquanto semper puriorem doctrinam habuerunt: ad regem autem sæpe fuerunt hoc nomine delati quasi magistratum contemnerent, ac rebellionem facerent. Varijs itaq; nominibus sunt appellati, pro uarietate regionum ac locorum, quæ incoluerũt. Nam in regione Lugdunensi, Pauperes de Lugduno uocati fuerunt: in extremis Sarmatiæ Liuoniæq; partibus, Lolardi sunt nominati: in Flandria & Arthesia, à loco deserto, ac lupis exposito, Turrelupini appellati: in Delphinatu summo contemptu Chagnardi dicti, quasi aprica rij, & in locis apricis sine domibus tectisq; desiderent. Appellatio uerò Vualdensium maximè omnium peruulgata illis remansit, donec nomen Lutheranorum prolatum, quod inuidia, odio, infamiaq; cætera omnia opprobria superauit. Sed in his tantis calumnijs & criminibus, reliquus populus, qui ad pedem Alpium, & qui Merindolij, Cabrieræq; degit, ita piè ac modestè semper uixit, ut in eorum tota consuetudine ac uitæ ratione, timor Dei maximè eluxerit, summa fides & iustitia perspecta fuerit. In exigua cognitionis luce, quã Dominus eis dederat, in eam unam curam incumbebant, ut id quod habebãt, magis quotidie accenderẽt, nullis rebus aut facultatibus suis parcentes, siue libri Scripturæ sacræ parandi essent, siue homines optimo ingenio præditi in doctrina pietatis instituẽdi, siue huc illucq; mittendi, etiã usq; ad extremas mundi partes, ubi aliquem lucis salutaris radium exortũ esse audiuerant. Nam an- *Vualdensiũ uariæ nũcupationes.* *Lutheranũ nomen.*

Legatio Vualdenſiũ in Germaniam.

nõ M.D.XXX, cùm intellexiſſent, in quibuſdã Germanorũ atq; Heluetiorũ ciuitatibus Euangeliũ annuntiari, ad eas duos ex ſuis miſerunt, Georgiũ Maurelum, Freſsineriæ natũ in Delphinatu, qui apud eos concionatoris munus obibat, hominẽ pium, & quem in ſcolis erudiendũ informandũq; curauerant, & Petrũ Latomum Borgundũ, ut de fidei pietatisq; doctrina cum fidelibus ac prudentibus eccleſiarũ miniſtris cõmunicarent, eorumq; formã rationemq; totam in colendo Deo cognoſcerent, ac priuatim eorũ ſententiã exquirerent de quibuſdã rebus, quæ tum ipſis nonnullã dubitationẽ adferebãt. Quũ itaq; hi duo abunde omnia cõmunicaſſent cum primarijs in Eccleſia Dei uiris, uidelicet Baſileæ cum Oecolampadio, Argentinæ cũ Bucero & Capitone, Bernæ cum Berktoldo Hallero, ac per Borgundiã reditũ inſtituiſſent, Petrus Latomus Diuione captus, in carcerẽ coniectus eſt: Georgius uerò ſolus Merindolium eſt reuerſus, cum libris & literis ac mandatis, quæ ab eccleſijs Germanorũ adferebat. Eò autẽ cùm ueniſſet, omnia legationis ſuæ capita expoſuit, eisq; declarauit publicè, in quot & quantis erroribus uerſarentur, in quos uetteres ipſorũ miniſtri, quos Barbas eorũ idiomate, id eſt, Auunculos uocabãt, eos coniecíſſent, atq; à recta pietatis uia abduxiſſent. Hæc populus cùm accepiſſet, tãto ſtudio eccleſiæ emendandæ cõmotus fuit, ut ex ſocijs quos in Apulia & Calabria habebant, natu grandiores, & uſu rerũ grauiores peritioresq; accerſiuerint, ut cum his de emendatione correctioneq; eccleſiæ conſiliũ caperent. Res autem ita fuit tractata atq; agitata, ut uſq; ad Aquas Sextias, quæ urbs curialis eſt totius Prouinciæ, peruenerit, auresq; Epiſcoporũ, ſacerdotũ, monachorũ, qui ſunt in Prouincia, uehementer cõmouerit. Inter cæteros prodijt quidam monachus ex ordine Dominicanorũ, Ioannes de Roma appellatus, homo ad ſæuitiam & crudelitatem natura diſciplinaq; implicatus, qui ab Epiſcopis, legatoq; Auenionenſi inquiſitionis uenia poſtulata aduerſus eos qui ſectæ Vualdenſis & Lutheranæ nomine ſuſpecti eſſent, ex eo tẽpore nunquam deſtitit fideles homines uexare & affligere omnibus tormentis, quæ ad ſummã doloris acerbitatẽ excogitare atq; exquirere poterat. E multis ab eo exquiſitis tormentis, hoc unum fuit ſingulare, eiq; inprimis uſitatũ, implebat

Tormenti genus inauditũ.

ocreas adipe ferueſcente, quas tibijs eorum aptabat, quos ſcamno alligatos & ſupinos interrogabat: eo modo ut tibiæ eorum ſuper exiguũ ignem ſubiectum dependerent. Primi quos hoc tormenti genere cruciauit, fuerũt Michelotus Serra Cabrierẽſis, Marrus apellatus, & Gulielmus Melius, & multi poſt illos alij, quos poſtremò grauiſsima atq; acerbiſsima morte mulctabat. Itaque Franciſcus rex Galliæ de eius monachi ſingulari atq; inaudita crudelitate certior factus, ad ſupremã Prouinciæ curiã ſeu parlamentũ literas miſit, quibus iubebat illum cẽq; diligentiſsimè comprehẽdi, cauſaq; eius informata & cognita eum ita condemnari, ut ipſe quamprimùm de illius condemnatione certior fieret. Hic Ioannes de Roma, intellecto per fautores periculo ſuo, Auenionẽ ſe recepit, ut frueretẽ ea præda & rapina quã inſignis latro in bonis fortunisq; Merindolenſiũ fecerat. Verùm præter ſpem ſuã ipſe prædo à domeſticis fuit expoliatus, qui ei opima illa ſpolia, latrocinio parta, eripuerunt. Paulò itaque pòſt incidit in morbũ ita grauem & acerbũ, ut nulla adhibita fomenta aliquã doloris leuationẽ adferre poſſent. nullus erat, qui ob fœtorẽ qui ab ipſius corpore manabat, prope eum conſiſtere poſſet: ne ipſi ſodales Dominicani ferre poterant, imò ne ipſe quidẽ iam ferre poterat teterrimũ illum odorẽ, qui è carne corporis exulcerata, ac uermibus ſcaturiente exhalabat. Dolore eum cruciante ac premente, ſæpe ita exclamauit, Quis me liberabit aut occidet? neq; enim uoluntas necis ſibi conſciſcendæ deerat, ſed uis & facultas. Itaque in his tantis cruciatibus doloribusq; corporis, atq; in ſumma horrendaq; animi deſperatione, homo impius & ſæuus, qui alios crudeliſsimè necauerat, uitã ſuam miſerrimè

Horrẽda mors perſecutoris ueritatis.

miserrimè finiuit. Vix etiam inuentus quisquam est, qui eum uellet attingere, ut mandaret sepulturæ, nisi monachus eius ordinis è Nouitiorum gradu, qui pro optimo sepulturę iure atq; honore, correptum & ligatũ pedibus cadauer in foueam ad id paratam pertraxit. Post mortem huius nefandæ belluæ, episcopus Sextiensis persecutionem excepit & continuauit, utens ad eam opera Peironeti officialis sui, multosq; in carcerem conijciendos curauit, quorum nonnulli, magnitudine tormentorum ac dolorum, ueritatem abiurarunt: alij uerò qui firmiores & constantiores inuenirentur, posteaquam hæresis damnati essent, in manus tradebantur ordinarij iudicis, qui tunc erat Meiranus, homo in hoc crudelitatis genere nobilitatus, qui sine ulla causæ informatione & cognitione, eos quos Officialis hæreticos pronunciauerat, ultimo mortis supplicio afficiebat. Is non multo pòst tempore, recepit mercedem suæ iniustitiæ ac sæuitiæ meritam, quemadmodum postea uidebimus. Porrò post obitũ Cuisineti, optimi præsidis, parlamentum Sextiense complures fideles morte mulctauit, quandiu Dominus Reuesti, in ea summa curia locum primi præsidis obtinuit, qui quidem ea iurisdictione ac potestate abdicatus, Reuestũ domum suã se recepit: ubi ea ui morbi & sæuitia correptus atq; agitatus fuit, propter quam uxor ipsius, cæteriq; propius accedere ad eum non audebant. Ita rabie ac furore mortuus, dignas suæ iniquitatis & crudelitatis pœnas dedit. Eius officium & munus in ea iurisdictione, magister Bartholomæus Chassaneus excepit. Quo præside, anno à mortalibus salute restituta millesimo quingentesimo quadragesimo, Procuratore generali Regio in suprema Senatus curia, postulãte, dicta fuit ad sistendum iudicio dies Andreæ Maynardo, Ioanni Cambrio, Francisco Maynardo, Ioanni Bonio, Antonio Palenco, Guilielmo Armantio, Michaeli Maynardo, Ioanni Palenco, Mondono Brumerollo, Facio Bernardo, Merindolij pagi ciuibus, ut quibusdam rebus de quibus in eos inquiri cœptum esset, respondere possent, ad statum ut tempus uadimonium obirent. Ac omnes quidem ad diem præstitutum ut uadimonium obirent Aquas Sestias profecti sunt: egeruntq; cum doctissimis quibusq; patronis, ut haberetur forensi ritu deliberatio, uidereturq; quemadmodum ipsos se gerere, quomodo negotium administrari oporteret. Quibus patroni procuratoresq; responderunt, minimè sibi licitum esse cuiquam ipsorum copiã consilij sui facere, quos à religione desciuisse, atq; in impietatis Lutheranæ suspicionem incidisse cognouissent: tametsi quidem patronorum unus aliquis appellatos seorsum uniuersos ac semotis arbitris admonuit diligenter, non debere eos omnino in Senatũ uenire, nisi fortè sensim igni concremari, igni, inquã, stramineo, idq; ipsum indicta causa, studerent ac cuperent. sic enim ab eodem Senatu cautum atq; constitutum esse. Hac oratione perculsi Merindolienses uehementer obstupuerunt, maximè uerò cùm plerosque uiros bonos torqueri tam inhumaniter, ac cruciari suis oculis ipsi uidissent: nullam ob aliam causam damnatos, depressosque ad supplicij, quàm quòd sermones habuissent Lutheranos, animaduersos à Theologis doctoribus, eosque ad extremũ usq; tutati essent: cùm hi quidem sermones omnes & cum ueerissima essent coniuncti pietate, & locupletissimo Scripturarũ testimonio confirmati. Itaq; cùm patroni illius oratione, tum eo spectaculo perterriti Merindolienses, uadimonio deseruerunt, eoque nomine factum postea Senatusconsultũ est, inde semper Merindoliẽse Senatusconsultũ appellatũ: de quo maxima diuturnaq; fuit Lutetię in Senatu, interposita scilicet à procuratore Regio prouocatione, cõtentio. Hoc Senatusconsulto nõ modò Merindoliẽses ij, quos appellatos à Senatu docuimus, tanquã delati cõuicti q; imminutę humanę diuinęq; maiestatis, flãmæ, quã primũ cõprehendi possent, adiudicati, eorumq; proscriptæ possessiones fisco addictę: uerumetiã omnes quicunq; Merindolij ipsum (quo in loco

Curiæ Sextiensis præsides aliquot.

Senatusconsultum cõtra Merindolienses.

fuisse octoginta circiter urbana prædia feruntur) tum uiri tum mulieres incolerent ac inhabitarent, ne paruulis quidē exceptis infantibus, eidem incendio traditi damnatiq; fuerunt. Eodē Senatusconsulto decretū, ut omnia, quæ tum illic essent, ædificia deturbarentur: uicus totus excinderetur: omnes ad unū ab eo uico lapides, tam oliuæ, q; alius generis arbores (ut ea deserta uagaq; colonia, habitationis in posterū occasio præcidereť) radicitus interlucarentur ac interciderentur. Ac senatusconsultū quidem illud omnib. hominib. adeò mirabile uisum fuit, nullus ut esset in Prouincia tota locus, quo non in loco de eo aliqua semper à patronis ac literatis hominib. excitareť maxima contentione disputatio. Nec deerant qui mirari se, profiteri publicè non uererentur, Senatum illum in tantā insaniā incidere potuisse, decretū uti tale faceret, tam perspicuè iniquū, tam ab omni nō modò ciuili iure & ratione, sed etiā æquabili uitæ statu ipso, cōmuniq; sensu humanitatis alienū. Violato præterea solenni iureiurando illo, quod in omni Curia suprema ab hominibus muneris alicuius forensis publici functionē petentibus fieri cōsueſſet: iusteè se uidelicet æquabiliterq;, ex præscripto diuinæ Legis, popularīq; regni constitutionū esse iudicaturos, eoq; iudicaturos modo, ut suis sententijs Deo quidē ipsi plurimū ad honorem deferreť, ius suum unicuiq; conseruareť ac tribueretť. Alij contrà, qui decretū illud æquum affirmarent, in omni Lutherana causa neminē teneri iudicem iuri ac rationi locū dare, Legū aut constitutionū rationē habere, dicebant: Iudices, utrā in partē statuerent ferrentq; sententiā, errore duci non posse: nimirū id agentes, ut qui Lutheranorū nomine suspecti essent opprimerentur. Excipiebant patroni, cæteriq; nō indocti uiri, ex eo quod hi iam in sermonem intulissent, facilè consequi, Iudices huius ætatis eandē usurpare planè rationem in prosequendis iudicio Christianis eis, qui uulgò Lutherani postulentur, quam olim Sacrificos, Scribas, Pharisæos in insectando, condemnandoq; D. nostro Iesu Christo, secutos Euāgeliū testať. Atq; eo sanè modo illius decreti fama momēto percrebrescebat: neq; usquā aut conuentus fiebat ullus aut celebrabatur cōuiuiū, ubi de eo nō agitaretur ultrò citroq; certatio. Quin etiam duodecimo circiter die postea q; interpositū decretum illud fuit, splendidissimū conuiuium in ea urbe apparatū aiunt: eoq; acceptū Bartholomæū Chassanæum præsidem, complures q; tum Senatores, tum alios uiros clarissimos, summę q; apud populū authoritatis: Archiepiscopū etiam Arelatensem, ipsumq; Aquensem Episcopū: denicq; fœminas urbe tota nobiliores: atq; unā quandā ex eis, quę nuntio rumore populari scortū Episcopi Sextiensis uulgò teneretur. Hæc ipsa, uixdum cùm esset accubitū his uerbis Præsidē adorta, sic ait: Domine præses, num senatusconsultū illud quod in Merindolienses istos Lutheranos superioribus diebus factū est, executioni mandandū iubere uis? Ad hæc, cōniuens, nihil omnino præses. Mox nobilis uir quidā petere cœpit, Ecquod tandem senatusconsultum in Merindolienses factum esset. Illa uerò eodem quo factum esset modo à capite progrediendo ad calcem memoriter ac iucundè recitauit nihil oblita, haud secus atq; si memoriam ipsius longè anteè recordari cœpisset. Audiebatur interim à conuiuis summa cū attentione & silentio, dum sermocinationi suæ finem atq; modum statuit. Ac tum quidem Dominus Alencius, uir & pietate insignis & in literis minimè cōtemnendus homo: Didicisti, inquit, aut hanc ab aliquo fabulā, qui rem in illud uellet adductam iam esse discrimen: aut decretum huiusmodi ab aliquo muliebri senatulo factum & profectum est. Bona uerba domine Alenci inquit senator Senensis: non id, non id inquam, commentitium est, quod audiuisti, sed planè decretum Senatus. Nec uerò tibi crebrius est utendum eadem libertate dissolutioneq; uerborum, nisi Prouinciæ quoq; Curiam concilium senatumq; fœminarum appellari mauis oportere. Alencius tum ipse locum excusationi quære-

Bartholomæus Chassanæus iurisconsultus cōsuetudinū Borgundiæ inter pres.

re,

re, deq; sua perpetua erga uiros illos uoluntate polliceri: profiteri palàm nihil se quicquam uelle dicere unde ullius supremæ Curiæ dignitati detractum esse uideri posset: adduci tamen omnino non posse, uerum id ut esse quod mulier illa commemorauisset, arbitraretur: decreto nempè Senatus (qui quidem in Prouincia haberi cœptus sit) totam Merindoliorum nationem: fœminarũ, proh dolor: impotentiam: miserè uagientes in cunis infantes, hos inquam uniuersos gladio crudeliter adiudicatos: uici totius ædificia omnia, ne qua eius in posterum memoriæ uis existeret, ruinis & incendio: culpa præsertim ac uitio duodecim nescio quorum hominum, quos in Senatu præstò maturè non fuisse, uadimoniumq; deseruisse constaret. Nec ipse quoque inquit D. Belloiocius, persuaderi mihi facilè patior, tale decretum, tam alienum à ratione, tam expers omnis humanitatis, tam impiè Turcicum, tam Geticum crudeliter ex Curia proficisci potuisse: præsertim cùm quantum ego de Merindolijs, quos iam olim me nosse memini permultos, iudicare sanè possum, nihil in eis esse mihi uideatur non cum integritate uitæ singulari, naturæq; bonitate quadam maximè coniunctum. Eximeretq; hunc nobis, si uideretur, scrupulũ omnium optimè D. præses. scitum est enim, muliebri testimonio stari semper, ac fidem haberi non oportere. Mulier interea quæ Senatusconsultum aperuisset, *Mulieris petulantia.* expectandum sibi minimè putauit dum à præside responsum auferretur, sed conuersa quamprimùm ad Episcopũ Aquensem, Mirarer, inquit, nisi prosiluisset hic aliquis, qui sceleratorum illorum statim causam defensionemq; suscideret. Sublatisque oculis in cœlum, ac muliebris iracundiæ tumore feruida: Vtinam, inquit, omnes qui sunt in prouincia Lutherani, ipsa denique tota Gallia, cornua in frontispicio gererent: non deessent ubique cornuti. Cui dominus Belloiocius extemporè, Vtinam scorta sacerdotum omnia loquerentur ea uocis articulatione, qua anseres. tum illa, Non est, ô Belloioci, sic oblo-quendum tandem matri nostræ Sanctæ Ecclesiæ: nullus unquam canis cruci fixo oblatrasse reperitur, qui non idem in rabiem actus aliquando sit. Aquensis tunc Episcopus arridere statim cœpit, leuiterque mulieris humerum percutiens, ac petens dicere: Per ordines sacrosanctos meos, gratissimum mihi feceristi, mea lux. Illa te pstrinxit elegãter, ô dñe Belloioci, retineto, quæso, id qd ab illa tibi prælectum fideliter ac præceptum est. Non moror, inquit Belloiocius (ira paulò concitus magis,) uestrûm utriusq; gymnasium: nihil enim à uobis ambobus quod honestum quidem sit, assequi possum. Itaque licet Episcopos ut plurimùm atq; sacerdotes flagitiosos, adulteros, cæcos, idololatras, raptores fallaces, latrones, depeculatores, impostores appellarem, nihil alienum me dicere, aut omnino conuitium Ecclesiæ catholicæ facere arbitrarer: insectari me quidem infestissimum ac importunissimum luporum, canum, porcorum, eiusdemque generis brutorum animantium quoddam agmen & gregem confiteret: nec uerò propterea rabiem mihi pertimescendam putarem, nisi fortè in rabiem impetu quodam animi ferimur eo tempore, quo testimonium ueritatis amplectimur atque consectamur. Ac tum Episcopus impotenter & furiosè, Male tu locutus es, ô domine Belloioci, loco ac tempore redditurus rationem eorum omnium, quæ tu multa de uiris Ecclesiasticis intulisti. Vellem profectò, inquit Belloiocius, primo quoq; die istud accidere, neq; molestiam ad eam quam tu putas, temporis aliquid mihi prorogari. recipere enim me plura longè uitia sacerdotum, grauiores Episcoporũ noxas in lucẽ editurum, quàm eæ sint adhuc quas attulimus. Supersedeamus, inquit præses Chassanæus, hoc toto genere disputãdi, ô Belloioci, eisq; uestigijs, quæ maiores nostri finxerũt, insistamus. Cui Belloiocius, Nescio me filiũ esse sacerdotis, *Belloiocius defendit causam Lutheranorũ.* beneficiũ ut illud huic hominũ generi debeam, uti scelera quibus affines sunt, mihi tuenda existimẽ hoc tempore. Veros aũt Ecclesiæ pastores ac ministros,

eruditione,uitęq; confirmatione præstabiles in honorem adducendos esse facilè,minimeq; contumeliarum aculeis compungendos statuo. Verùm, heus tu domine Arelatensis, tuq; rursum ô Aquensis, cùm Dominus noster Iesus Christus Hierosolymę sacerdotes,hypocritas,cæcos,latrones,impostores esse diceret,hisq; nominibus illos honestaret, uobis'ne contumelioſus erga eos ac maledicus extitisse uideatur? Minimè,inquiunt. Nec ipse quoq;, cùm Episcopos istos atq; sacerdotes isto modo sum executus,eis iniuriam obtulisse uideri debeo. Sic enim ad eorum sceleratissimæ uitæ commemorationem obstupesco horreoq; totus, uti ne mediam quidem partem earum rerum quas de nebulonibus illis intellexi,audeam in lucem apertumq; proferre.Itaq; si ad comprimendam meretricis alicuius improbæ loquacitatem ueritati subscribo,non uideo quæ tandem ex eo sacerdotum animis afferri iure possit offensio.Obsecro missa isthæc faciamus, inquit Senator Senensis, meminerimusq; eo consilio conuenisse nos in hunc locum,non ut ipsi nos ægritudini dederemus, sed ut perfuncti necessariis occupationibus, ad animi remissionem ludumq; descenderemus.itaq; pro ea qua te complector beneuolentia, Domine Belloioci,non pigebit admonere te trium præceptorum, quæ si quemadmodum quidem ego spero,tu tenueris,& te summum à nobis accepisse beneficium,& tuis omnibus rebus optimè consultum esse iudicabis. Primum illud est,ne quos acceperis esse Lutheranos,eos ulla re unquã aut omnino consilio aut uerbo iuues. Secũdum ne mulieres in eo quod illis collibuisse, in delicijsq; fuisse sentias,tibi censendas unquam palàm, atq; reprehendendas putes. Tertium,ne quid in uitæ genere sacerdotum,quantumuis imbuto sceleribus,quantumuis Christianæ uel professioni contrario,non solùm animaduersione dignum tu, sed ne tantum quidem nefas animo concipiendum esse arbitrere:scitum est enim,Nolite tangere Christos meos. Cui D. Belloiocius ita respondit: Quòd ad primum attinet,ego nec ullos noui Lutheranos, neque quid Lutheranismus sit intelligo: nisi fortè Lutheranos eos esse definitis, qui doctrinam Euangelicam publicè profiteantur. Nec uerò Senatusconsultum illud unquam,quod in absentes,indictaq; causa, maximè fœminas & pueros, ipsos etiam uixdum in hanc humanæ uitæ lucem editos infantes, factum ita sit,ut populum illum uniuersum immanissimè trucidandũ exurendumq; censuerit,æquabile ac legitimum esse meo iudicio potest. ne quid hic de ulla Galliæ totius Curia suprema commemorem,de qua sic statuo, nullam ut inueniri posse profectò quæ decretum eiusmodi fixum ac ratum sit habitura,facilè mihi persuadeam. Quòd autem mulieres reprehendi non putauisti oportere,sanè sicundè rescisco consanguineam ullam meam adeò transuersam atq; fractam,ut omissa rei bene gerendæ occasione uitium inferri sibi à sacerdote aut clerico quem uocant,(Cardinalis ille sit,aut Episcopus) idq; quod antiquissimo loco ducere debeat,sibi turpiter eripi permiserit,non dignabor reprehensione mulierem:sed aut euulso certè, aut illi præciso naso, testatum apud animos omnium relinquam quid egerit. Postremò, quòd in uitam irruere sacerdotum,alienum quoq; à uiri prudentis officio esse uoluisti, non impedio quominus eadẽ oẽs impunitate & licentia uiuant,qua uelint: ea tñ lege, dum meã mihi libertatẽ ipsi cõcedãt,atq; ita posthac in domũ meã uenire desinãt. Certũ est eñ,ibi si quos offendero,detonsum eis sic, rasumq; iri coronã sacerdotalẽ, minimè posteà laborandũ eis ut sit,unde porrectũ ad humeros capitis amictũ inuenire possint. In eãdẽ ferè cũ Senatore sentẽtiã & præses Chassaneus ratio cinatus dicit. Cęterũ egregia illa Aquẽsis Episcopi amica, quã iã altercationis initiũ introduxisse ostẽdimus, Nondũ mihi placebo, inqt, donec uerbũ adhuc unũ cũ dño Belloiocio fecero: Arbitraris ô Belloioci, tot Cardinales & Episc. Abbates & sacerdotes cęterosq; sacrosanctos uiros, ecclesiasticę religiõis alũ

Tria præcepta obseruanda.

Contentio uerborũ uehemẽs.

nos

nos ac ministros, qui in hominũ illustriũ quotidie domibus, regũq; ipsorũ ac principũ palatijs maxima familiaritate uersantur, omnes hoc animo illò proficisci, ut & mereri pessimè de principibus, & in Dei optimi maximi offensionẽ incurrere possint? Equidẽ si semper istius ordinis sententiam tueri uis, nec ab opinione unquã, obstrmatoq; isto animo facere discessionem, nõ dubitem te uocare (si Deo placet) ex iure manu confertũ, accusareq; planè læsæ & humanæ & diuinæ maiestatis. Suntq; hoc in cœtu uiri minime sanè ueriturí, instituti tui rationẽ à te aliquãdo reposcere. Vix dũ eo sermone consumpto, stomachabundus Belloiocius ac feruens, Abi, inquit, ô Herodias, scortum impurissimũ atq; impudentissimũ, siccine tandem hiscere te, hoc hominũ conuentu decet? Intelligerẽne potuisti quid esset humana diuinaq; læsa maiestas? Non deberes satisfactũ tibi iam esse ducere, neq; tantò conuitio sanguinem humanũ effundi curare? His uerbis perturbatior aliquanto mulier, concertandi finẽ factura uidebatur: iamq; factũ omnes qui aderant existimabant: incumbebant in eam curã, uti nulla mora interposita ad facetias urbanitatẽq; conuerso sermone ab istiusmodi contentione discederetur. At mulier impatiens contumeliæ (ut interpretabar) superioris, qua sibi sanguinẽ innocentiũ obiectũ meminerat, omniũ interrupto sermone uociferans ait, Si perinde uir ipsa essem, atq; fœminam natura esse uoluit, experirer ego meherculè duello tecum, Belloioci, iureq; uindicarẽ extremo, neq; eam esse me quam tu tuis uerbis esse uoluisti, neq; cupidã ullo modo respergendi sanguinis innocentiũ. Quod ut ita quidẽ sit, impiorúmne tu sanguinẽ illorum, sceleratorũq; Merindoliorũ, innocentium hominũ sanguinem interpretaris? Desidero profectò, meaq; omnia in hanc rem unã polliceri ac conferre nõ desino, ut peruersissimæ nationis illius statu cõuulso, omnes ad unũ illi nebulones eorumq; subscriptores de medio tollantur: idq; uide e aliquando ut possem, eorũq; cum corporibus extinctã planè memoriã intelligerẽ, quantum gratia, quantũ subsidijs amicorũ efficere licuit, deniq; quoad efferre se meq; uires, facultates effundere potuerunt, tantũ artificio, labore, diligentia mihi perpetuò conandũ existimaui. Internecionẽ igitur & cladẽ Lutheranorũ, ô Belloioci, sanguinis innocentis effusionẽ appellari placet. eia perge uidelicet ut instituisti: ego uerò, fremant omnes licet, honoris mei salua dignitate, proq; eo iure quod ego libenter matri nostræ S. Ecclesiæ debeo, quoties interdiu atq; noctu aut ad sacerdotes exire, aut domos Episcoporũ celebrare mihi licebit, non prætermittã: at eos uicissim ipsa recipiã in domũ omnes familiariter, cum eis initura rationẽ quẽadmodũ istos Lutheranos uniuersos ad cædẽ & uastitatẽ deducere possimus. Belloiocius mulieris garrulitatẽ fastidiẽs, supersedit. erat enim nemo, qui nõ eam iam nũc in contemptionẽ adduceret, ac audiẽdi satietate defessus esset. Interquiescere tum oẽs acceperant, cũ ecce nobilis quidã adolescẽs ioco illã adortus, dicere statim cœpit, Necessariũ est, ô dña, nefarios illos ac perditos homines in offensa esse uehementer apud te, quib. tu tã grauiter infensa pfectò sis. At illa, Equidẽ omni assueratione cõfirmare possum, ex miseris illis ac profligatis hominibus esse planè neminẽ quẽ ego nouerim, quẽ uiderim: longeq; libentius in cacodæmones ipsos decẽ, q̃ in illorũ unicũ incurrerim. nã sic est eorũ sermo uitiosus, fœlices ut existimẽ atq; cũ eis agi præclarè, qui nũquã de eo quicquã intelligere potuerũt. meq; nõ mediocriter erraſſe fateri debeo, atq; meæ culpã imprudentiæ præstare, q̃ D. Aquensem Episcopũ semel aliquãdo cõspicata perturbatũ & anxiũ eo modo, ut cibi ac potionis usum amisisse uideretur, uix precib. ac minis ab illo tãdẽ expressi cãm ęgritudinis ac pturbationis suę, quã intellexi fuisse hãc, Regnare uidelicet hodie passim genus qd'dã hominũ hæreticorũ, nostrã matrẽ S. Ecclesiã petulãtissimis maledictorũ notis inurentiũ. Hac sopita cõcertatione, deductaq; tandẽ ad otiũ, magna posteà consecuta pturbatio

turbatio atq; contentio, terroresq; non contemnendi propositi uerborũ. de quib. hactenus. Longiores enim sunt, q; ut historiæ propositæ angustijs inclu di possint. Interea præses Chassanæus, & senatores simul ac nobiles illinc di gressi diuersis itinerib. proficiscuntur. Ex eo tempore Archiepiscopus Arela tensis, Episcopus Aquensis, Abbates nõnulli ac Priores, Præpositus Aquens. cum quibusdã senioríb. Canonicis, non prius conquiescendũ sibi putauerũt, q; in locum aliquẽ uniuersi conuenirent, ubi de rebus quæ acciderant, delibe rationẽ habere possent. Quo in conuentu constitutũ fuit, ut unusquisq; eorũ pro re nata & suscepta, Merindolien. Senatus c. memoriã charissimam atq; cõ mendatissimam haberet: persequereturq; diligenter omnes uias, quibus illud ad extremũ deduci posset: cõpararet nouas insectationũ faces, easq; ipsas ui uidiores atq; torrentiores, q̃ eę fuissent quas Ioannes de Roma Dominicanus de quo anteà diximus, excitasset. Alioqui enim agitur, inquiũt, status ac digni tas omniũ nostrũm: nemoq; reperietur, cuius in reprehensionẽ atq; ludibriũ non incurramus. Atqui leuis ac momentanea res sit, si præter Merindolios, eiusq; generis idiotas ac rusticos nemo nobis insultaret, non etiã essent qui se rè perniciem Reipublicæ nostræ molirentur: sed præter ordinẽ est, emergere quotidie non paucos Theologos doctores uirosq; religiosos, nonnullos etiã senatores ac patronos, aliosq; reconditioris eruditionis ac ingenij monimen tis præstantes uiros, deniq; bonã partem (si dici licet) illustrioris nobilitatis, sed eius quoq; nobilitatis quæ altissimo loco sita sit in omnium hominũ con spectu, ac Europæ totius oculis, à quib. omnibus despicatui duci paulatim in currimus & cauemus, nõ modò ut omniũ sacerdotiorũ quę nos ampla ac lau ta possidemus, naufragiũ faciamus, ipsiq; proscribamur: uerumetiã ne suis or ba parentib. atq; pastoribus Ecclesia, ad tristes miserabilesq; casus postea pro peratura sit, periculũ esse profectò uideatur. Quamobrẽ in diligentia & cele ritate posita sunt omnia hoc tempore. Hac habita inter ipsos oratione Archi episcopus Arelatens. Hispanicæ calliditatis nondũ oblitus, retulit in eã senten tiam: Aduersus nobilitatẽ nihil temere suscipiendũ, sed applaudendũ omni no. illam enim omniũ Ecclesiasticorũ esse propugnaculũ ac præsidiũ. Quòd quãuis nemini dubiũ esset plærosq; nobiles existere, qui pessimè de eis & lo querent̃ & existimarent: nec ipsi quoq; dubiũ haberent illos ex eorũ hominũ esse genere, qui noui Euangelistæ uulgò dicerent̃: cauendũ esse tamen ne eo rum animos controuersiarũ anfractibus aut delationib. exulcerarent: sed plus iam satis immutatos, largitionib. recolligere potius ac retinere studerent: hoc artificio potissimùm, eorũ se patrocinio, quasi quodã uallo, tutos ac munitos fore: certũ enim esse, si quid aduersus nobilitatis authoritatẽ splendorẽq; moli rentur, ciuiliũ iudices causarũ eius cognitionẽ ad se reuocaturos, nullumq; se hac in re compendiũ facturos ipsos, quemadmodũ quidem clarissimis antea monimentis & exemplis probatũ atq; consignatũ sit. Eleganter id quidẽ & re ctè, inquit, Aquens. Episcopus: at ipse medicinã afferã non uulgarẽ qua mor bus iste sanari facilè posse uideatur. Profundenda sunt omnia, amici tentandi omnes, in eo deniq; cogitationes oẽs nostræ figendæ ac locãdæ, uti tanta Me rindoliorũ & rusticorũ cædes efficiatur, nemo posthac ut sit, quantũuis affini tate ac sanguine regio, q; ad male de nobis, aut Ecclesiastica uiuẽdi cõsuetudi ne loquendũ, uel os ipsum aperire audeat. Idq; ut minori negotio consequa mur, antiquissimũ esse uidet̃ Auenionẽ cõcedere: qua in urbe reperire liceat Abbates & episcopos cõplures, aliosq; in Reipublicæ luce amplissimos ui ros, nõ dubitaturos se nobiscũ ad nostræ matris Ecclesiæ maiestatẽ tuendã su stinendãq; cõiungere. Hoc consiliũ cũ oẽs approbauissent, Arelatẽsis Archie piscopus, Episc. ipse Aquẽsis, cæteriq; cõiuratores nihil prius habuerũt, q; ut reiectis

Episcoporum conuentus.

Episcopi Auenionem cõtendunt.

reiectis omnibus rebus, Auenionem quamprimùm proficiscerentur. Quò cũ uenissent, Episcopos ipsos celeriter, uirosq; totius illius ciuitatis opib. & gratia florentissimos atq; potẽtissimos, uti maturè de negotio deliberaretur, unũ aliquem in locum cogere constituerunt. Orandiq; prouincia Aquensis fortitus Episcopus, traditionum paternarum acerrimus propugnator, in hãc ratio nem exorsus dicitur: Non ignoratis, ô patres fratresq; charissimè tempestate uentorum iactari Iesu Christi nauiculam: procellasq; concitatas, in illam eo impetu ferri, ut strangulata propemodum, parum absit quin ob rui se fluctuum inundatione resorberiq; patiatur. Ipse turbo ab Aquilone profiscitur. quem eundem maximus motus rerum omniũ perturbatioq́ue consequitur. torrentes undiq; procurrunt ac profluunt, summaq́ue iactura uenti, ac propè naufragio nostrarum omnium rerum passim reflant, inq́ue domicilium nostrum sæuiũt. Nam oblationes feriantur, peregrinationes & deuotiones refrigerantur, charitas apud nos otio ferè congelauit, quodq; pessimè nobis cedet, authoritatis nostræ magnitudo non mediocriter inflecti, iurisdictio præuaricari, rei ecclesiasticæ sanctiones infirmari perfringiq́ue cœperunt. at ipsi hoc potissimùm loco constituti, populorũ regnorumq́ue ditionibus præfecti quodammodo ac prærogati sumus, ut etiam abrogare ac dissoluere omnia, ac perrumpere soli possemus. Quamobrem seriò quæso expergefiamus, inq́ue possessionis nostræ iure consistamus, ut Lutheranorũ familiam totam: Lutheranorum, inquam, illorum uulpium, uineam D. non decussantium sed subuertentium: Balenarum, filij Dei nauiculam non constituentium sed submergentiũ funditus, ex hominũ omni memoria deleamus. Incepimus quidẽ certè iam nõ inauspicatò meo iudicio, atq; ut in Lutheranos illos impios Merindolios, Senatusconsl. horrendũ ingens, tandiu Præsidũ ac Senatorũ pectoribus inclusum, aliquando tandẽ erũperet, forasq́ue proijceret, maximo Reip. bono perfecimus: eoq́ue rem planè deduximus, nihil uti cogitandũ hodie nobis sit, nisi ut concinnati iam operis reliquias fortiter diligenterq́ue persequamur. Quapropter, ô uiri, laboremus, efficiamus, occurramus, ne quod interim rebus præclarè gestis impedimentũ inferat, deniq; caueamus ne, si in tam pio christianoq́ue faciundo sacrificio pecuniæ parcimus, aurum nostrum & argẽtũ extremo illo diuini iudicij die nos perstringere suo testimonio possit. Ego quidẽ pro mea parte polliceor, in meq́ue recipio, me cùm maturũ erit, centũ homines armatos rebus omnib. diligẽter instructos Reip. curaturũ, eisq́ue stipendiũ, quoad exitiũ & internecionẽ perditis illis nebulonib. intulerint, propria pecunia numeraturũ. Hæc oratio cũ uehementer multitudini placuisset, Basinetus Dominicanus, D. theologus, referre sic instituit: Consilij magni rẽ esse. itaq; in ea uersari religiosè, neq; temerè quicquã efficere oportere. Si em iniuria miseros illos ac ærũnosos homines morte mulctent, eaq́ue facinoris atrocitas ad Regẽ Principesq́ue perueniat, periculũ esse ne in ipsos idẽ statuatur, quod in Sacerdotes Baal meminit religionis antiquitas. Cogi se nunc de imũ ingenuè fateri (quod ipsi tñ cõfessionis uice dictũ existiment) eorũ qui hę reseos accusati sæpè sint, pleraq́ue causas atq; lites à se leuiusculè, pfectò subsignatas: Deũ tñ qui & nos intueat, & omniũ nostrũm corda scrutet, obtestari posse, ut primũ subsignationũ suarũ tristes euentus ipse uiderit, se uidelicet suiq́ue similib. doctorib. referentibus, ciuiliũ iudicũ sententia capitis dãnatos eos, quos ipsi hæreticos, pnuntiassent, impeditũ cõscientia requiescere ex eo tẽpore nõ potuisse. Perturbationis illius animi sui cãm hanc esse, q; paucis ab hinc mensib. Scripturarũ desiderio cupidior, eas, ppius inspicere cœpisset, ex quib. cõperisset maximã partẽ eorũ propositorũ, quæ tuerent ij qui Lutherani uocarẽt, adeò cõsentaneã & affinẽ Euãgelio, ut ipse qdẽ in posterũ ei reclamare nõ posset, nisi fortè de industria Dei opt. ma. præceptiões impiè petere, atq;

Querela ob imminutã Ecclesiasticorum rem.

Aquensis Episcopi oratio plena minarũ.

Consiliũ Basinetti moderatũ.

atq; hostiliter insectari uellet. Se tamen, quod S. nostræ matris ecclesiæ, S. patris nostri Papæ, ac ordinis commodo facere potuerit, doctorum Theologorum opinionibus hactenus adstipulatum: idq; tum ignoratione, tum ne quid alienum ab Episcoporum, Vicariorumq; generaliũ uoluntate ac libidine quę rere uideretur. Iam uerò commutandam planè illam totam uitæ rationem, delegendumq; aliud hac in re quoddam artificij genus sibi uideri. Satis esse, eos qui fuerint in ecclesiasticis, pontificisq; constitutionibus perstringendis intẽperantiores, pecunia exilioue mulctare. de cæteris ita constituere ut qui blasphemi, hæreticiq; pertinaces Scripturarũ testimonijs apertè convicti deprehendentur, ad mortem profectò illi quemadmodum criminis ipsius ratio postulabit, aut perpetuos certè carceres mittantur. Petere autem se tandem ab illis, ut suam opinionem æqui boniq; consulerent. Hactenus Basinetus: cuius admonitio cùm omnium animos uehementer, tum Aquens. Episcopi magna cum admurmuratione præcipuè concitauit. Itaq; Episcopus, O homo paruæ fidei, quare dubitauisti? Ha ha magister. n. adeon' te rectè fecisse pœnitet? Dictitasti quædam hic tu palàm fasciculos sulphuratos haud dubiè resipientia. Interesse ne tibi uidetur aliquid inter hæreses & blasphemias quæ in scripturas afferuntur, & opiniones matri nostræ S. ecclesiæ, ipliq; diuo P. nostro D. Papæ, in terra Deo uerissimo cõtrarias? tu magister es in Israel, & ista hæc ignoras? Tum Archiepiscopus Arelatensis, Magister noster, inquit, tibi ne uidetur de Iesu Christi nauicula disputari posse rectius à quoquam quàm est à D. Aquens. episcopo disputatum? Sanè, inquit Basinetus, Episcopi reuerendissimi concio expressit elegantissimè mores, uitæq; conditionem hominũ Ecclesiasticorum: fuitq; reprehendendis etiam mortalium huius ætatis uitijs & hæresibus accommodatissima. Itaque cùm primùm de Iesu Christi nauicula fieri mentionem intellexi, tum denique reuocare cœpi memoriã sacrificatoris illius maximi Hierusalem, Sacerdotum, Doctorum legis, Scribarum, Pharisæorũ, qui constituti pastores in Ecclesia Dei, aliquo certè tempore ad gubernaculum illius nauiculę sederunt: at postquã legẽ Dei repudiantes, hominũ constitutionibus ei seruire uoluerunt, iratus ipse hypocritas illos operosos omnib. rebus, euertendos cauit: tum uerò misertus hominum qui ad ouium similitudinem destituti pastore uagabantur, demisit sedulos piscatores, ut homines expiscarentur: in messem suam operarios, in uineam institutores cultoresq;: quæ omnia consecuta maturitatem legitimos ætatis fructus afferent. Secundo loco D. Episcopi orationem audiens, succurrit statim 4. cap. 1. ad Timoth. Emergent, inquit, extremis temporib. desciscentes à fide, spiritus immundos & diaboli dogmata sectantes: subij citq; statim Paulus signa quædã quib. illi cognosci possunt. In eandem quoq; rationem, & D. noster Iesus, ait Matthæi 7, Pseudoprophetas, qui ueniunt ad nos induti uestibus ouium, intrinsecus autem lupi rapaces, ex fructibus cognitum iri. Ex his duobus, alijsq; similibus plerisque locis intelligere procliue est, quinam demum ij sint, qui Christi nauiculã euertere, ac machinis omnibus perfidiosè deprimere conẽtur. Ii uidelicet omninò, qui illam cæno & luto, aquisq; putredine tabescentibus perfundũt: qui Christo, aquæ uiuæ fonti limpido atq; perpetuo, ut puteos interciſos ac hiantes sibi defoderent, nuntium remittere non dubitauerunt. Ii certè, qui se terræ sal esse (saporis habentes nihil) uulgò iactitãt, qui se Pastores appellitant, cùm nihil minus ipsi sint quàm certè pastores, huiusq; cognomenti profectò longissimi temporis præscriptione ius amiserint. Non enim pastum legitimum ouibus impertiuntur: non ipsum uerbi diuini panem discindunt atq; distribuunt. Ac si tanti mysterij piaculum efferre plane licet, nunquid eiusdem hodie miraculi prodigijq; sit, Episcopum nos unum aliquem concionantem audire, ac asinum pegaseo traiectu per aera uolitantem conspicere? Nunquid à Deo diris

Basinetus increpatus ab Episcopis.

diris omnibus defixos eos ac deuotos intelligimus, qui se claues regni cœlorum habere gloriantes, nec ingrediuntur ipsi, nec eos qui ueniunt ingredi patiuntur? Innotescent illi suis sanè fructibus, abiurauerunt enim & fidem, & iudicium, & misericordiam, neq; in illis præter uestimentorum ac lineorum superficiem, speciosum est quicquã ac candidum: intrinsecus autem luxuria ac mulierositate delibuta omnia. Extrinsecus nitidi quidem illi plus satis, in recessu uerò rapinis & ingluuie sordidi supra modum ac uitiosi. Nempè sepulchra sunt dealbata quędam, quæ splendorem atq; uenustatem præ se ferentia, intrinsecus obscœnitate turpitudineq; deformata diffluunt. Innotescent, inquam, suis fructibus illi lupi rapaces, qui prætextu longissimarum orationũ, superstites fugunt ipsos ac mortuos. Itaq; quando progressi eò sumus ut concedendum ueritati sit, meq; magistrum in Israel ipsi dicitis, Scripturarum testimonijs asserere nõ uerebor, magnũ illum gubernatorẽ Papam, ipsosq; uecto res ac remiges Episcopos, similesq; nauiculatores, qui ut scaphas conscenderent, Iesu Christi nauiculam impudentissimè deseruerunt, pyratas, pseudoprophetas, impostores, non Ecclesiæ Christianæ pastores existere. Vix absoluerat Basinetus sermonem institutũ suum, cùm uniuersa multitudo circumfundi statim, editoq; murmure in illũ inuehi cœpit. At Episcopus quidẽ Aquens. inclamans atq; uociferans, Exi foras, inqt, apostata scelerate: nec enim dignus es, qui nobiscum hic sis. Dispereunt incendio quotidie quamplurimi, sed eodẽ tu incendio dignior. Itaq; uidemus nullũ hominũ genus passim in fide constantius, in fide feruentius canonicis doctoribus: estq; primo quoq; Generali concilio futurum operæpretium, edicto publico sanciri, ne quis præter Canonicos doctores uiros religioni manum admoueat, ab istis enim monachis nebulonibus omnia pessundatum, omnia conuulsum iri. Mendici tum reliqui doctores audacter illum incusare, expostulareq; cum eo cœperunt de iniuria, qua ordinem uniuersum homo concitus afficeret, nõ sine maximo utrinq; motu ac tumultu: eoq; tanto, ut tum quidẽ de negotio cõfici minimè potuerit. Ã prandio uniuersi illi uenerandi Præsules concilio habuerunt, Mendicis reiectis minimeq; conuocatis ac monachis, nisi si quis inter eos Abbas existeret: tandemq; interposito iureiurando conspirauerunt daturos se quamprimum operã ut Merindoliẽse Senatusconsl. expediret: pollicitiq; sunt ad unũ omnes, certũ se numerũ armatorũ hominũ singulos effecturos, ac pro parte, quantũ quidem ad Merindoliũ euertendũ satis esset, stipendiũ esse soluturos. Mandauerunt Aquensi Episcopo, Præpositoq; canonicorũ, uti rem sumptibus communib. persequerent: omniq; artificio præsidi atq; senatorib. persuaderent, metu minimè premendã Senatusconsulti quod ipsi fecerint expeditionem, sed imperterritis animis, adhibito tubarũ cantu, prolatis signis, cõductis in rem præsentẽ machinis ac tormentis, in aciẽ quasi prodeundũ. Hac ita conflata, constitutaq; conspiratione, Aquensis episcopus Auenione statim Aquas Sextias, mandatũ effecturus profectionẽ moliebat. Interea tñ cùm rogatus ut lautissimo cuidã conuiuio, quod postridie domi Riuiensis Episcopi parabat, interesse uellet, expectat. Eodẽ cõuiuio & mulieres Auenionenses eæ, quæ cęteras pulchritudine, existimationeq; omnes antecellere ferebant, ad reficiendã ex tot quotidianis Ecclesiasticis laboribus præsulũ istorũ humanitatẽ & conscientiã, accipiuntur. Confecto prandio, ductis choreis, alea ludendi reperto fine, qualia mensas Episcoporum uulgò subsequuntur, reuerendissimi uiri cœnã expectantes, in ambulationẽ ueniendum sibi putauerunt. Itaq; transeuntes uia Mensularia, ducentesq; sub axillis singuli domicellas, quas uocant: conspicati quendã imaginum inhonestissimarum uenditorẽ, eam scripturæ uim præ se ferentium, qua animi ad libidinẽ incẽdi facilè possent, ad illum uniuersi confluxerunt. Coemptæ oẽs ab Episcopis imagines, ac plures

Basinetus à cõsilio excluſus.

Conuiuiũ Episcoporum.

quoq;,si fuissent:tametsi quidē erant ea multitudine, ut multi legitimum onus hominum opinione perficere posse uiderentur. Quòd si quid aut ænigmate obscurius,aut difficultate subtilius ea pictura contineretur,totum ab eruditis ingeniosisq; præsulis in promptu, iucundeq; deridebatur. Erat in eadem uia etiam librarius quidam peregrinus,facturus auctionē Bibliorum, quorundā Latinorum, Gallicorū, quorum ipse numerū aliquē uenditioni iam expositū habebat,libros aūt præterea multos.quē præsules intuentes,mirati sunt,ab eo quę petiuerunt, qua audacia fretus eas merces tali in urbe uenales proposuisset.num talium auctionē librorū interdictā meminisset.quibus librarius,Nunquid & uos,inquit, Biblia saltē in tanto beneficij loco ponitis, tamq; bona & excellentia putatis,quàm illas imagines & picturas,quas ad harū domicellarū uoluptatē cōparastis? Vix postremū librarius uerbū absoluerat,cū episcopus Aquensis eodē uestigio intonuit,Abiuro paradisi partē meā totā,nisi Lutheranus iste sit.Heus,heus,inquit,comprehendat.Mox abreptus in carcerē contumeliosissimè deductus fuit.nā cohors quędā ganeonū ac latrunculorū,quę præsules proximè consequebat,ut illis gratificaret,uociferari statim cœpit,In Lutheranū,in Lutheranum,ad ignē,ad ignem.Mox unus ei pugnū impingebat,alter capillis abreptū præcipitē ferè in terrā dabat, tertius ei barbā auellebat: adeò ut totus cruore maderet miser, antequā in carcerē perductus esset. Postridie adductus in iudiciū præsentibus Episcopis, in hanc rationē interrogatus fuisse dicitur:Venaliáne proposuisti hæc Biblia,atque hæc Testamenta Gallica? Feci,inquit.Nesciebas in toto Christianorū orbe prohibitum,ne Biblia excuderent aut uenderent alia lingua,q; Latina? Sciebam omnino aliud, inquit, quin Imperatoris priuilegio Gallicè conuersos Bibliorū codices permultos à me distractos esse meminerā: nec Imperatoris priuilegio solùm, sed & Regis ipsius,Lugdunensib.typis excusos:nullum se locū inter Christianos audiuisse, nullā esse hodie regionē scire dicebat, in qua nō idiomate populari Scriptura loqui cœpisset.num qui Auenione commorarent,soli essent ex uniuersa Christianorū ratione,apud quos Patris cœlestis instrumentū odio inuidiaq; premeretur.cur impedirent, quo minus authentica monumenta literarum,quibus assertio diuina contineret,uticq; proferrent ac illustrarent. id ne interdicere ac tegere niterentur, q; Christus ipse detegendū, proferendumq; mandaret. nescirent permisisse Christū Apostolis omni linguarū loqui uarietate, ut omni creaturæ nuntiarētur & innotesceret Euangeliū.quin libros atq; picturas, quibus omne genus obscœnitatis ac flagitij ad parendum libidini, Deumq; negligendū comprehenderet,interdicerent.Quę tandē arrogantia, quod fastidiū intolerabilius sit,q; Dei opt.max.scripturas, quib. animi paulò magis tenebris obducti,ad ueritatis lucē adduci: uagi dispersiq;,ab errore ad uiā salutis æquabilē traduci possint,interdicto publico prohiberi. Quæ sæuitia,quæ crudelitas miseris animab.ea quib.aluntur,quib.educātur eripere.At qui reddituros de eo rationē reuerendos præsules qui suauib. rebus amaritudinē,amaris dulcedinē suauitatēq; tribuant, qui deprauatissimorū librorū picturarūque uoluptatē aucupentur: quæ sunt spiritus atq; ueritatis facilè contemnant.Ac tum quidē Episcopi furore impotenter impio disrumpebantur, crepituque dentiū interuallato minimè uerebantur animū suum ipsa maleuolentia ieiunū & inanē insani prodere ludicrib'. Qui cùm furoris impetum illius ferre non possent,conclamarunt oēs una uoce,Quid opus illū interrogari pluribus? mittendus rectà in ignē est,ne quid ipsi de illo uerbosius. Laberius iudex,aliiq; nonnulli qui iudiciū illud exercebant, in eandem cum Episcopis sententiam adduci non poterant. intelligebant enim minimè iustā satis habere se causam rei condemnandi, minimeque ex æquo & bono satis hac in re uersari posse. Itaq; censebant irrogari solùm ei mulctam honorariā, ipsumq;

Historia librarij ob Biblia Auenione uendita exusti.

Iudicium de innocente latū.

Præsules

Præsules eos à quibus in iudicium uocatus esset, ueros esse Ecclesiæ pastores, agnoscere profiteríq; oportere. At librarius id se salua conscientiæ suę religione, facere non posse ostendit, quando flagitiosas ab illis sustineri pícturas atq; libros, uerbũ Dei haberi pro derelicto conspiceret: eaq; se de causa sacrificos illos potius quosdam Bacchi ac Veneris, q̃ Ecclesiæ catholicæ pastores esse exístimare, quamobrem ílico posteà adiudicatus igni fuit, ac eodem ipso díe morte mulctatus. Gestabat autem in signum causæ condemnationis, Bibliorum codices duos: unum à gutture porrectum ad stomachum, alterum à cervice spectantem ad humeros. At in his asperitatibus rerum, uitioq; temporũ, ei solatium dabat Diuini uerbi commemoratio, quam fixam in corde, in ore promptíssimam habebat. Nec uerò cessabat in ipso itineris cursu, eoq; loco ac tempore, quo ad supplicium raperetur míser, populum hortari ac monere ut Scripturas perlustraret ac euolueret: cuius oratione, plerique permoti, ueritatis, quam oppugnabant studium accuratíssimè posteà persecuti putantur. Miscebatur ínterim populo motus ac seditio subobscura quædã, cùm quod eius uiri mors íniquíssimo iudicio pronunciata uideretur, tum uerò quòd sacrosanctos utriusq; testamenti libros ignominia quodammodò notari cœptos magna pars hominum exístimaret. Quod cùm Episcopi animaduerterent, timoreq; proposito populo facílius ímperare possent, proclamandũ prænonis uoce in urbe quidem, comitatuq; Venísiæ toto curauerunt, uti quícunque libros haberent ullos Gallicos, mentionem aliquam omnino Iesu Christi facientes, eos ipsi libros asportarent, manibusq; subíjcerent eorum, qui delegati nominatim ad hanc rem essent: aliter si facerent, atq; penes eos hi libri reperirentur, fore ut morte quoq; ipsi plecterentur. Comparatis ígitur à D. præsulibus, atq; compositis ad Christianorum ínsectationem omnibus rebus, Aquens. Episcopus Senat. Merindolíense persecuturus ex urbe proficíscitur. Aquas Sextias ubi peruenit, accurrit quamprimùm ad præsídem Chassanæũ huíc molitionem quam Auenione fecerint, ostendit: mirificè de præsulum eorum qui quídem in Prouíncia, Auenioneq; sint, omnium erga ipsum uoluntate pollícetur, síquidem Senatusconsc. quòd factum iam sit, nec non ad opus tandem deductum iri planè sperétur, extrema persequi uelit. Obiectis eo modo magnis ab Episcopo, ac ínfinitis propè pollicitationum molíbus, Chassanæus præses respondit, rem neq; parui negotij esse, neq; mediocris deliberationis atq; consilij: itaq; quòd decretum ipsi tale feciíssent, eo consílio factum potius, ut Lutheranis, quorum multitudinem augeri quotídie intelligebant, metus incuteretur, quàm ut reuera id efficeretur quod ipsíus decreti capitib. continebatur. Tum Episcopus, Video inquit, nobíles eos qui aderant nobíscum nuper in conuíuio, facultate dicendi sua consecutos apud te plurimum, saltem iniecísse tibi scrupulum. Cui præses, Merindolíense decretum nondũ planè diffinitiuæ est sententiæ, ut quemadmodum res est ita loquamur: deínde Regni constitutiones eius executionem absq; pluribus lítium instrumentis minimè patiuntur. Mox Episcopus, Si qua te lex, aut constitutio impedit, indemnitatem ipsi uobis, culpæq; præstationem pollicemur. Præses uerò, At impium, effundi sic sanguínem humanum. Merindolensíum quidem sanguis, ait Episcopus, nobis ipsis nostrisq́ue succesforibus adscribatur. Rursum Præses, Non dubito quín si eò progredímur, Rex tantam suorum hominum calamitatem indignissimè laturus sit. Respondebat Episcopus: Si Rex ímpetu primo commouebitur, habemus unde Príncipis animum temporis decursu mollíamus. Accedit omnium Cardinalíũ, maximè uerò Turnonij studium ac uoluntas: quẽ cùm nostræ causæ defensionẽ ultrò susceptur ũ facilè mihi persuadeo, tum níhil ei gratius, quàm Lutheranorum interimendorum occasionem accidere posse certò scio. Quare ne dubitemus, quin eius si cõsílio præsídioúe

Aquensis Episcopus executor senatusconsulti cõtra Merindolienses.

hac in re egebimus, eo nos uti facilè commodeq; posſimus. nam quis Lutheranorum oppugnandorum artifex atq; princeps cum reuerendiſsimo Cardinale Turnonio comparandus? His omnibus, ac alijs huiuſmodi rationibus argumentandi Epiſcopus Aquenſis Præſidibus ſenatoribusq; perſuaſit ſenatuſconſulti Merindolienſis executionem. Vnde haud ita pòſt multò delectus tota Prouincia haberi cœpti: imperatores conſtituti: equitum peditumq; maxima multitudo ſublatis ſignis Aquarum ex urbe paulatim egreſſa, procedere, Merindoliũq; perpetuis itineribus proficiſci cœpit. Quibus de rebus Merindolienſes facti certiores, collachrymari, ſeq; cauſamq; ſuam Deo ſummis precibus commendare: hoc unum perfugij ſibi reliquum eſſe ducere, ut tanquam oues ad carnificinam adductæ, ſic ipſi ſe hoſtium explendæ crudelitati præpararent. Itaq; in ſqualore ac ſitu miſeri mortales, pater uidelicet cum filio ſuo, filia cum matre, uxor cum uiro uerſabantur, quum repentino motu nũtiatur, aciem retroceſsiſſe: & quorſum tandem res euaderet, intelligere neminẽ. cognitum tamen fuiſſe poſteà, dominum Alencium, hominem in Theologia, ciuiliq; iure uerſatum, adductum iuſtitiæ quodã ardore cum Chaſſanæo præſide audacter locutum: Aduerſus Merindolienſes minimè uiribus & armis, in dicta cauſa, nec innocentium à nocentibus facta diſtinctione, contra communem fori conſuetudinẽ dimicare oportere: optare uehementer eum uti præſes ſui cuiuſdam conſilij recordetur, quod ille ei libro conſignarit, quẽ Catalogum gloriæ mundi inſcriptum reliquerit, quo in loco perſecutus fuit litis contestationẽ factam à præfectis iuriſdictioni Epiſcopi Heduenſis aduerſus mures. Nam cùm in iuriſdictione ferè tota Leuſſenſi murium numerus infinitus erupiſſet, totius illius regionis frumenta corrodentium: ſtatutum fuit, uti res ea Officiali Heduenſi ſignificaretur, muresq; qui tantam patriæ uaſtitatem intuliſſent, excommunicarentur. Itaq; audita Procuratoris fiſci poſtulatione, decreuit Officialis antequam ad excommunicationem procederetur, ex iuſtitiæ formula monitione opus eſſe. cauitq; ea de cauſa ut Heduenſi in urbe publicè facta proclamatione ipſi mures ad tertiũ poſteà diem citarentur: Quòd in iudicio ſiſterent, proceſſum iri aduerſus eos, &c. Tribus illis elapſis diebus, fiſci Procurator ipſe ſiſtit: aduerſus mures, quod idem ipſi non feciſſent, uadimonij deſertionem obtinet: eaq; fretus poſtulat ut ad excommunicationem procederetur. Iterum ex æquo cautum, ut quoniam murium tantæ multitudinis exiſtimatio atq; ſalus illo iudicio diſceptaretur, ſeqúe ipſi excluſos exceptione queri poſſent, curaretur eis aliquis, patrocinio cuius eorum cauſa ſuſtinere tur. Itaq; Chaſſanæum præſidem eam cauſam totam egiſſe, patronum tum Regium apud Heduos: ſuperioremqúe citationẽ irritam uarijs nominibus oſtendiſſe. Decretum propterea ſecundam citationem quam de ſuggeſtu pronuntiari oporteret. Qua re perfecta, Procurator idem fiſci ſiſtit, quemadmodum initiò fecerat. at Chaſſanæum ipſum, ſiſtendi tempus muribus præſtitutũ breuius eſſe docuiſſe, quàm rei tantæ magnitudo poſtularet: tot præterea feles in uillis excubias agentes, ut mures abeſſe non immeritò cogerentur: itaq; nullum eſſe contumaciæ locum. Quare non temerè muribus inferendam litem, ſed ea de re tota conſulendas Scripturas, ex præſcripto quarum intelligeretur, quemadmodum ipſos ſe gerere oporteret. Adductos autem ex Scripturis ab eodem Chaſſanæo complures locos, ut ipſe quoq; in illo ſuo libro memoriæ proditum reliquiſſet. Atq; eo patrocinio quidem, quod alioqui parui momenti uideretur, magnam eum laudem fuiſſe conſecutum: perſecutum enim illum iuris anfractus omnes: quos iudices criminalibus in cauſis ex officio ſequi maximè teneantur. Iam uerò, eum qui cæteros ipſe docuerit, num eodem illo ſuo libro uelit eſſe prudentior: quo libro oppreſſus conſcientia conuictusqúe teneatur, ſiquidẽ ulterius progrediatur, miſerosqúe Merindolienſes

Exercitus contra pios cõſcriptus.

Murium cauſa defenſa.

ses, qua cœperit inhumanitate, sibi persequendos arbitretur? Nam quid habeant miseri, quare Christiani uiri non sint? num æquitatis fructum & idem officium ipsi mereantur, quod olim aliquando in causa murium, præses conseruandum existimasset? Hac oratione uehementer illum fuisse perculsum, exercitumq́, qui iam tribus à Merindolio circiter milliaribus abesset, regredi iussisse. Quod cùm Merindolienses intellexissent, Deo quidem primùm gratias egerunt: consolatione se inuicem sustentantes: hortantes, Dei timorem semper ob oculos statuendum, cuius præceptis obtemperare, uoluntati parere debeant subijcientes se prouidentię suæ, expectantesq́ fructum beatorum ac fœlicium, Salutis scilicet æternæq́ uitæ possessionem: sibi proponentes exemplum D. nostri Iesu Christi, filij Dei, qui quidem afflictionibus multis & angustijs in gloriam suam ingressus sit. Hoc modo se Merindolienses ad omnia parabant genera tormentorum & cruciatuum, quæ accidere potuissent, eratq́ semper huiusmodi responsum illorum ijs, qui aut uicem ipsorum commiseratione persequebãtur, aut qui perniciem eis occultè moliebantur. Manabat autem ea fama quotidie latius, cùm propter Senatusconsultum ipsum, quodq́ non defuissent qui illius executionem aggredi nõ dubitauissent: tum uerò propter Merindolienſium animi fortitudinem singularem, atque constantiam: adeò ut pauci essent in Gallia, paulò magis curiosi nouarum rerum, quorum ad aures ea fama non peruenisset. Nec uerò tam hæc leuis causa uisa fuit, quin perlata quoque fuerit ad Franciscum Regem haud ita diu ante eius obitum, Regem, inquã, excellentissimo ingenio, iudicio grauissimo sanè præditum: qui Guilielmo Bellaio Langeio. Proregi Thaurini, urbe Pedemontana, significandum statim curauit, ut quo statu Merindolienſium res essent, maxima diligentia scisciteretur. Itaq́ Langeius expediuit in Prouinciam homines duos, probitate insignes illos, integritate ac fide præstantes: quib. mandauit ut exemplum Senatusconſ. Merindolienſis ad se deportarent, ac simul de omnibus rebus quæ posteà consecutæ essent, inquirerent: intelligerent denique qua uita, quibus moribus Merindolienses tum ipsi, tum alij quibus in Prouincia negotium exhiberetur, instituti essent. Quæ cùm omnia diligentissimè fidelissimeq́ curauissent, exemplum senatusconsulti, rerumq́ omnium quas posteà consecutas intellexissent, ad Langeium detulerunt. Commemorauerunt iniquitates, exactiones, oppressiones, furta, rapinas, tyrannides, crudelitates, quibus singulis ferè diebus ludices Ecclesiastici, ciuilesq́ aduersus eosdem Merindolienses abuti consueuissent. Quòd autem ad ipsorum uitam moresq́ pertineret, retulerunt ex cæterorum Prouincialiũ testimonio & sententia, eos operis laboribusq́ maximè deditos: ducentisq́ ab hinc annis ex regione Pedemontana profectos, in Prouinciæ partem illam commigrasse, quã uacuam hominum consuetudine iniuria bellorum, planeq́ desertam, emphyteutico nomine tenere posteà, possidereq́ cœpissent. Eamq́ue terram ex eo tempore tantis corporis laboribus, sudoribusq́ subegisse, eo artificio coluisse, ut consecuta fœcunditatem, frumento, uino, oleo, melle, amygdalis, pecudibus, armentis abundaret: ex quibus rebus maximarum fructus commoditatum ad Prouinciam totam, aliasq́ regiones quotidie peruenirent. Quinetiã antequam ibi consedissent, Merindolium nunquam pluris annuis quibusq́ue censibus, quàm quatuor aureis conduci solitum: cùm ante urbis ipsius uastitatem quotannis supra trecentos quinquaginta, dissolutis aliarum omnium rerum oneribus, à domino loci conduceretur. Tantundem & de Lormarino alijsq́ue permultis Prouinciæ locis uulgò dicitur, qui tot latrocinijs antequam eos hi uiri celebrauissent, infestabantur, ut summo periculo illac transiretur. Affirmabant etiam Prouinciales, Merindolienses ipsos cæterosq́ ad quos illa calamitosa pestis, tempestasq́ peruasisset, amatores maximè pacis & tranquillitatis:

Exercitus reuocatus ab itinere.

Langæo causa Merindolienſium commendata.

quillitatis: morum ſuauitate confirmationeqúe ſingulari, necnon æquabilita-
te uitæ quadam ac perpetuatione præditos: dictorum conuentorumqúe ue-
ritate & conſtantia commendabiles: nomina, ſi qua feciſſent, aut expungere
omnino ſi tum quidem poſſent, aut certè transferre, eos uerò qui in ære eſſent
ipſorum, nunquam in ius educere ſuetos: atque hac de cauſa potiſsimùm &
ornatos honoribus, & amoris uinculo ſingulari cum uicinia coniunctos. Si
manſuetudinem ac humanitatem quis deſideret: & eleemoſynarum benefi-
cio uiatorum difficultatibus commodantes, & ſuorum egeſtatem, quatenus il
li neceſsitate premerentur, quantumqúe in his ſitum eſſet, humaniter ac pié ſu
ſtentantes: Internoſci quidem ſolitos eos, ab alijsq; diſtingui his nominibus,
quòd temerè nunquam ad iuſiurandum adigi, aut omnino proferendum Dia
boli uocabulum eorum ulli poſſent: quòd nunquam ad ſermonem adduci ob
ſcœnũ ac uitioſum: quin quoties alicubi uerſarent, ubi aut laſciua alicuius cõ-
memoratione, aut blaſphemiarum aliquo genere Deum offendi ab hominí-
bus arbitrarentur, illinc confeſtim ſe ſubmouerent. Verũ quidem eſſe (quem-
admodum ijdem Prouinciales oſtenderent) cùm aut ad nũdinas ad negotian
dum, aut in urbes animi gratia proficiſcerentur, uix unquam eos in templis
conſpici: aut ſi conſpicerentur quidem, tamen Deum orantes, obuerſas habé-
re perpetuò ceruices ab imaginibus, quibus nec cereos offerrent, nec oſcula
pedibus figerent: reliquias Sanctorum aut Sanctarum adorare planè nun-
quam, ac ne dignari obtutu quidem: ſi peregrè profecti in cruces aliquas li-
gneas inciderent, illis quoque nunquam honorem exhibere conſueuiſſe. Te-
ſtabantur deinde Sacerdotes ſuo loco, eos nullas unquam ſibi aut Miſſas, aut
Libera me, aut De profundis iniungere: aqua luſtrali nunquam ſe reſpergere:
quòd ſiquãdo in illos ab aliquo mitteretur, gratias ei nihilo magis agere: imò
animaduerti facilè faſtidiri ab eis genus hoc totum conſperſionum irroratio-
numq;, tantum abeſſe ut eo nomine debere ſe quicquam exiſtimarent. Suſci-
pere uerò peregrinationes, Sanctis uota nuncupare, peccatorum remiſsiones
ære propoſito comparare, quanuis obolo redimi potuiſſent, horum omnium
nihil efficere. Porrò cùm tonaret, cùm coruſcaret, nunquam ſe ſigno crucis in
augurare: tantum ex imò ſuſpirantes, oculos in cœlum alios attollere, quoſ-
dam flexis genibus orare, ſignum crucis aut luſtralem aquam minimè require
re. Denique pro luminaribus, pro confratrum ſodalitio, pro refectione tem-
plorum, pro ſuperſtitibus ac mortuis nihil in peluim inijcere, nullas oblatio-
nes offerre. harum rerum expenſas nullas faciebant, ſed facultates in ſubſidiũ
afflictorum ac pauperum ſeruabant. Atque hæc ſunt omnia, quæ de Merin-
dolienſium, aliorumqúe eandem cum illis uitæ rationem inſequentium pla-
nè, moribus ac ritibus à ſuperioribus legatis miſsis ad G. Langæum perlata
fuêre fideliter: deq; Senatuſconſulto, eiſqúe rebus quæ poſtea conſecutæ di-
cebantur, ſingulatim quoq; ei relata fuerũt. De quibus rebus Franciſcus Rex
Langęi literis factus certior, ex optimi Principis officio expedienda diploma
ta, curauit, quibus nõ ſolùm eos qui deſerto uadimonio capitis damnati fuiſ-
ſent, uerumetiam omnes quorum in tam populari cauſa eadem uideretur eſſe
defenſio, ab omni impoſtorum iniuria ſartos ac tectos iuſsit eſſe:

Senatuiqúe Prouincię mandauit, ac nominatim etiam iniunxit, caueret e-
tiam atque etiam diligenter, ne quid Merindolienſium Reſpublica detrimen
ti caperet: neúe in eodem negotij genere, tantam in poſterum uim acerbitatis
uſurparet, quantam ſuperioribus temporibus feciſſe diceretur. Quòd ſi
quis reperiretur, quem poſt legitimum inquirendi munus atq; tempus igno-
rantia hallucinatum, aut cacodæmonis alicuius aſtu circunuentum, à uera re-
ligionis Chriſtianæ profeſsione declinaſſe conſtaret, huius animus ex infor-
matione diuini uerbi, ac utriuſq; Teſtamenti locorum inductione recolligé-
retur:

Signa quib. internoſcũtur q uulgò Lutherani habentur.

Franciſcus Galliarũ rex à Domino Langæo certior fit de Merindolienſium cauſa.

Diplomata ſeu literæ Regis.

retur: eoque modo sensim adhibito uerbi gladio, uiris in Ecclesiam Domini nostri Iesu Christi restitui curaretur. Sic enim sibi placere, ut qui hæreseos insimulati, eo, quo dictum est, modo conuincerentur, errorem: quo duci cœperint, abiurare cogantur. Ad extremum uerò interdixit Princeps omnibus cuiusuis ordinis hominibus, ne quid aduersus Merindolienses ipsos, eorumque subscriptores alia uia molirentur: sed abrogatis omnibus iudicum condemnationibus atque sententijs, ijs etiam ergastula soluerent, quos in uinculis sectæ Lutheranæ nomine suspectos retinerent. Ea diplomata temporis interuallo quodam obsignata delituerunt: tandemque Aquas Sextias perlata quum essent, petitum fuit à captiuis, num diplomatum eorum (quorum exemplum aureo proposito ipsis exhiberetur) iure uti uellent. Hac ratione miseri homines carceribus emissi fuerunt, deductis sumptibus, factaque fide iudicio se sistendi, quoties Curia mandaret. Scriba interim, cæterique pragmatici sibi inuicem diplomatum illorum nomine gratulabantur, quòd eorum beneficio magnam se pecuniæ uim conflare quotidie uiderent, sperarent que quinq; circiter millia exemplorum exaratum à se iri oportere: quem numerum totidem nummi aurei adæquaturi aliquando putarentur. Cæterùm Merindolienses primùm quidem eam Regis uoluntatem esse cognouerunt, uti diplomata ea in omnibus oppidis ac pagis totius Prouinciæ, publicè pronunciarentur. Itaque supplicem libellum summo Senatui obtulerunt, quo eorum diplomatum promulgationem ex Regij mandati sententia postulabant: quorum item exemplum petiuerunt: simulac ostenderunt, Regis ipsius animum eò minimè pertinere, ut omnes quos odium aduersariorum in Lutheranæ doctrinæ suspicionem uocaret, singuli diplomatum eorum exemplum accipere cogerentur. eam enim exigendi rationem iniquam & nouam, minimeque ab eis, qui se homines esse meminissent, sanè ferendam. Valuit libellus: neminem uidelicet ad exemplum accipiendum cogi posse: si qui tamen requirerent quinque saltem assibus auferret: si qui plus soluissent, reliquum ex edicto reciperent. Constitutum ab eodem Senatu quoque, ut infra tres à promulgatione diplomatum menses, uniuersi qui tum quidem in Lutheranorum suspicionem ueniissent, cuiuscunque essent ipsi sexus, quamcunque etiam ætatem degerent, siue in urbibus siue ruri agerent, iudicio se sisterent. Huic sententiæ uehementer ab utroque Syndico Merindolienſi reclamatum fuit, libellusque supplex secundò propositus, quo continebatur, rem maximæ molis ac laboris esse, sumptus propemodum infiniti, ut uiri, fœminæ, pueri, qui partim Merindolij, partim ruri commorarentur, in Senatum uenire necesse haberent. Orare Curiam, id ut per procuratorem efficere sibi liceret: exceptis ijs aduersum quos Procurator regius ipse concluderet, quorum que potissimùm exceptionẽ desideraret: hos enim uiros promittere uadimonium oportere. Acquieuit Senatus. itaq; octauo postea die incolæ Merindolij duo uenerũt in Senatum tum suo, tum omnium nomine Merindolensium, quorum ipsi nomen ac cognomen in procuratione sua diligenter expressum atq; consignatum secum deportarant: postulantes, ut seruato iudiciorũ forensium more, hæreses quarum nomine suspecti haberentur, in medium adducerentur: his enim se promptissimè uerissimeque in tempore ac loco satisfacturos. Quòd si quid à fidei Euangelicæ syncerítate, officioque uirorum Christianorum alienum asseruisse conuincerentur, expeditos sese ac paratos uniuersos canere palinodiam (ut est in prouerbio) abiurareque omnia quæ quidem ex præscripto uerbi Dei hæreses esse constaret. genus enim hoc disceptationis totum ad illud unum, tanquam ad certam normam, esse dirigendum: tametsi eo sceleris sese progressos minimè profectò arbitrentur. Omnino tamen obire uadimonium eos, ut quibus de rebus accusarentur, quarúmque

Diplomata auro redimenda.

Secundi libelli supplicis exemplum.

rumq; hæresium insimularentur intelligere possent. Porrò Senatus cùm neq; diplomatum Regiorum sententiam percepisset, neque Principis ipsius mentem considerasset, multò uerò minus eorum, quæ se facturos Merindolienses Procuratores spoponderant, rationem habuisset, decreuit ut qui errores suos abiuraturi essent, beneficio Principis uti quidem illi possent: reliqui uerò qui manerent in sententia, eodem supplicio quo hæreseos conuicti afficerentur, nulla amplius informatione habita. Quod decretũ cùm Merindolienses contra ius ac rationem factum animaduertissent, miserunt Procuratores suos Aquas Sextias, ut eorum nomine supplicem libellũ Senatui subijcerent in hanc rationem: Supplicant Franciscus Chay, & Gulielmus Armantius tum suo tũ incolarum Merindolij nomine: quòd cùm ex Regiorum diplomatũ promulgationis sententia, postulati hæreseos, aut omnino sectæ Lutheranæ nomine suspecti, iudicio sistere teneantur infra menses tres post eam promulgationẽ, ipsi quidem procuratorio nomine ut & Regis uoluntati obtemperarent, & diplomatum eius sententiam maximi duxisse uiderentur, munere suo legitimè perfuncti sunt: tamen Senatus neglecta diplomatum mente & sententia, neglecto Merindolienſium iure, quod cum diplomate Regis prorsus conueniebat (qui æquitate uerè Regia consilium attulerat, quo Merindolienses aut affines culpæ, aut ab eadem liberi dignoscerentur.) Senatus, inquam, ipse tamen decretum fecit alienissimum ab omni eo iure, planeq; diplomatum Regiorum æquitati contrarium, neminem uidelicet diplomatum ipsorum beneficio uti posse, præter eos, qui se statim hæreticos esse profiteantur. Itaq; postulare eos, ut decreti superioris sententia reuocetur: simulac legitimis inquisitionibus ostendatur, quænam demum hæreses eæ sint, propter quas ipsi in iudicium hoc tempore uocentur. Idem eos hoc libello polliceri, quod illo superiori fecerint. quòd si in tanta æquitate causæ eos Senatus iure destitutos esse patiatur, profitentur ex diplomatum sententia, querelam suam ad Regem ipsum se delaturos, probaturosq; propriæ uitæ periculo, quicquid aduersus eos statuatur, id non ab ullo religionis studio, sed ab ambitione auaritiaq; proficisci: eoq; maximè pertinere uti facultatũ, quas maximo labore temporisq; diutur nitate cõsecuti putentur, iacturam iniquissimo iudicio facere possint. Id enim ex omnibus litium instrumentis quæ quidẽ aduersus eos scripta sint, esse perspicuum: quorum instrumentorum exemplum ipsi petant, nec non huius libelli supplicis, & formula qua par sit, ut Regi eiusq; consilio fidem facere possint contemptionis & despicientiæ, in quã adducta diplomata sint ipsius, quibus ratio maximè cõtineretur qua causæ propositæ ueritas cognosci posset. Eamq; ueritatem plerosq; Senatores iudicio niti confundere, quòd falsis delationibus obtinuerint, uti bonorum quæ ab optima parte Merindolienſium hominum possideantur, ad eos, aut ipsorum consanguineos proscriptio perueniat: idq; ipsum indicta causa, ciuili saltem & æquabili: sicut negari minimè profecto possit. quinetiam affirmare postulantes ipsos optimo iure libereq; posse non habituros quosdã ex Senatoribus, eorũq; consanguineos unde uictũ uitãq; colerent, si bona non essent miserorũ accusatorũ, quorum in possessionẽ olim irruperint, eoq; consilio miseros homines quocunq; artificio possunt, accusare, calũniari, appetere ignominia contendunt, ut eos aut euertant omnibus rebus, aut certè in exilium proficisci cogãt: sic enim fore, uti bona liberè pacificeq; teneãt, quorũ possessionẽ usurparint. Quãobrem postulãt etiã atq; etiã, ut Senatus miserabilis ipsorũ causę rationẽ habeat, eisq; ius ex præscripto diplomatũ Regis cõstituat: cuius optimi Principis uoluntas ea mandatũq; sit ut ipso iure primũ adhibitis inquisitionum formulis omnib. liqueat, quinam demũ errores hæreses q; sint, propter quas in iudicium miseri rei deferantur. Deinde Euangelica proposita ueritate commoueantur: conuicti

Decretum Curiæ Aquensis.

Supplex libellus Merindoliorum.

conuicti abiurare teneantur: deniq; eo ordine conseruato, quasi postliminio quodam, Ecclesiæ restituantur. Senatus tum censuit, ut libellus patrono procuratoriq; Regio communicaretur, ipsiq; postulantes octauo postea die sese sisterent, ut quid hac de re tota decerneretur, intelligi posset. Audito patrono procuratoreq; Regio, exhibitoq; postulantib. exemplo instrumentorum litis libelliq; supplicis, eodem ipso die Chassanæus præses ac Senatores delecti quidam, procuratorq; Regius postulãtes seorsum allocuti, ostendere cœperunt, nihil opus esse inquirere in errores quos tueantur: neminem enim esse nescium, alienam eos ducere solitos uitam ab ecclesiæ constitutioni bus, nihiloq; ferè plus Sanctiss. Patri, diuo Papæ, quam cuilibet homini popular deferre. quamobrem eos in errore aperte uersari, extra controuersiam esse: abiurandiq; occasionem minimè differre oportere: quòd si faciant, uitam eos in omni quiete tranquillitateq; liberè propagaturos. His Postulantes responderunt, quod etsi literarum ne tenuissimam quidem particulam unquam attigissent, tñ si Præsidi Senatoribusq; uideretur, se libenter fidei suæ capitumq; ac locorũ quos ipse Præses obiecisset, rationem esse reddituros: idq; se nulla mora interposita, omniq; sublata dissimulatione optimè uerissimeq; facturos. Tum Præses atq; Senatores, Eius rei prouinciam à Senatu minimè sibi tributã esse: longè uerò sibi uideri præstantius, ut scriptũ conficerent, quo uitæ suæ genus totum, doctrinæq; ratione quam accepissent à maioribus, diligenter exequerentur: auferrentq; à Merindolienslb. omnib. procuratoriũ libellũ, quo eandẽ illos uitæ rationẽ perpetuò secutos esse nominatim intelligeretur. Postulantes id se curaturos, perfecturosq; responderunt. Profectiq; Merindoliũ, omnia quæ gessissent, quæ Chassanæus præses Senatoresq; constituissent, ordine recitauerunt: protulerunt etiam libelli supplicis exemplũ à Scriba subsignatũ. itaq; magna Merindolienssiũ admiratio cõsecuta, quod nunquã hactenus ullũ instrumentorũ litis exemplũ auferre ab illo Senatu potuissent: quin fuerat etiã interdictũ, ne quis aut Scriba, aut tabellio, ullíue forenses administri instrumentũ ullum litis illorũ accipere describereue tentaret. Quo nomine Regijs quoq; diplomatib. cautũ eis fuit: quib. mandabat ut omniũ litis instrumentorũ exẽpla, quę Merindolienses postularent, eis quam primũ expedirent, ut si quid inesset in illis uitij ad culpæ præstationẽ Senatus ipse cogi posset. Regis igit diplomata postulantes obtinuerũt, à Scriba Curię, sicut initiò diximus, subsignata: nec nõ ab eadẽ Curia mandatũ, quo Tabellionib. omnib. iniungebat, ne litis instrumẽta Merindolienssiũ acciperẽ, describereq; dubitarẽt: quicquid Senatusconsl. aliter antè cautũ fuisset, qd in hoc genere Senatus ipse reuocauisset. Itaq; repentè Merindoliẽses tabellionẽ quẽpiam ex oppido quod uulgò Malemort appellat, acciuerũt: quẽ admonuerũt se ex Præsidis Senatorũq; sentẽtia liberè ꝓfiteri cõstituisse doctrinæ institutionẽ quã hausissent à pueris, cultũq; religionis eius quã à Maiorib. quasi per manus accepissent, ab hinc anno post Christi incarnationem millesimo ducẽtesimo, quemadmodũ ex omni memoria ætatũ ac tẽporũ à ueterib. intellexerint. Quare tabellio quidẽ cũ & diplomata Regis & Curiæ simul alligatũ mandatũ inspexisset, nihil ueritus hominũ inuidẽtiã, facilè eorũ fidei capita omnia atque confessionẽ scripturę suę monumẽtis cõmendauit: fuitq; paulo pòst ipsa confessio ab ipsorũ ꝓcuratorib. delata in Curiã: simulac libellus supplex, quo capita quædã eodẽ ferè pertinẽtia cõtinebant. lis omnib. reb. ex Senatus præscripto diligẽtissimè cõfectis, nõ defuerũt qui cõfessionis eorũ illustriorẽ cõmemorationẽ desiderarẽt. Itaque Merindoliẽses existimãtes operæpretiũ fore requirentib. omnib. fidei suæ reddere rationẽ: reputãtes præterea, quicunque Christum Euangelijq; ueritatem & amplitudinem abiurauerint coram hominibus, eos ab eodẽ Christo coram Patre cœlesti & Angelis abnegatum iri:

Vualdensiũ accusatio.

Anno 1200. religionem suam nacti Merindolienses.

iri: denicp memoria tenentes maiores eorum in Bohemia in capitis adductos periculum idem ipsos aliqñ feciſſe, ſuæcp fidei confeſsionẽ ad Vladislaũ Hungariæ & Bohemiæ Regẽ, à quo premebantur, miſiſſe: hæc inquã, omnia cogitantes ſecum Merindolienſes, uberiorẽ fidei ſuę declarationẽ Cardinali Sadoleto, conſulibus Auenionenſibus, Epiſcopo Cabaglionenſi curauerunt: necnon omnibus hominibus, qui publicè priuatimúe illud ab eis afflagitauerunt. Quin etiam Franciſcus olim Rex, Merindolenſium uitæ rationem noſſe uoluit: cuius in conſpectu Regio ipſorum confeſsio publicè per Caſtellanũ eius Anagnoſten recitata fuit. qua ad uerbũ ferè perlecta tota, Rex ipſe petere cœpit, ecquid in illa cõfeſsione de qua & audiuiſſet antea permulta, & nunc ipſo exitu cognouiſſet, deſiderandum uideretur. At conticuere qui aderant omnes, neqꝫ quiſquam proſiluit qui in illam quicquam auderet adducere. Confeſsio autem fuit eiuſmodi.

Sequitur cõfeſsio fidei Merindolenſium.

De ſacra Scriptura.

Credimus & confitemur uniuerſi, ſanctam Scripturam incluſam ueteri no uoꝫ Teſtamẽto, diuino afflatu planè inſtinctuꝫ cœlitus infuſam: neqꝫ humana aliqua uoluntate demerſam in has terras, ſed ab ore ſanctiſsimorum hominum Spiritus ſancti beneficio impulſuꝫ profectam. Ipſumꝫ Deum ex omni memoria uetuſtatis Prophetarum ſuorum ore loquutum: uerùm extremis hiſce temporibus loquutum profectò per unicum Filium ſuum, cui præſtandã modis omnib. attentionem imperauerit: pereundum ei ut ſit qui docilitatem & attentionem illi minimè præſtiterit. Itaqꝫ qui ex Deo eſt, facilè eius ſermonem audit & auſcultat: qui ſermo formula quædam ſola, certa, perfectaꝫ eſt ipſius ueritatis, uitæꝫ rectè inſtituendæ, utilis ad omnem eruditionem, ad omnem animaduerſionem, ad reprehenſionem, ad iuſtitię informationem, ut qui ex Deo eſt, ad integritatem operum paratus ſit. Hinc conſequitur, Scripturæ ſanctæ uolumina ſatis eſſe fuſa amplaꝫ ad reſtituendam ſalutem hominibus: ad uerum Dei cultum illuſtrandum: ad depellendum errorem eorum qui oppugnant ueritatem: ad hæreſes & uitia, deprauatosꝫ hominũ cenſendos atqꝫ corrigendos mores. His de cauſis ſanctæ Scripturæ ſcientiam auro & gemmis longè magis expetendam eſſe: eiusꝫ diſciplina omne hominum genus ad præceptorum omnium obſeruationem erudiri, ad eius lectionem aſſuefieri oportere. Nec uerò quicquam eſſe tentandum extra cancellos uerbi Dei, cui nec adiungendum aliquid, nec detrahendum omnino ſit: ne qua Dei animaduerſio in nos, aut impoſtoria noxa maximo hominum incommodo conſequatur.

Heb. 1. a. 1.

De Deo Patre.

Ex eiuſdem Scripturæ diſciplina confitemur, & credimus in unum Deum, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, tribus diſtinctum perſonis, ſed eadem una, ſpirituali, æquabili, perpetua, nullum neqꝫ principiũ, neqꝫ diuinitatis exitum habente eſſentia prædituꝫ: qui maxima potentia ſua, infinitaqꝫ bonitate crearit omnia, eaqꝫ uegetet, tueaꝫ, & cõſeruet. Et quãquã maieſtas eius eſt planè tanta, ut eã in hac humanę uitæ luce, cogitatione nullo modo cõſequi poſſimus (quicũqꝫ enim eã inueſtigare ſupra ſortẽ humanę cõditionis, ad ipſamꝫ perrũpere conabit, gloria eius opprimet) tñ inanis præſtantiſsimarũ rerũ teſtimonijs & inſignib. relicta nõ eſt. Inuiſibiles em Dei actiones, eiusꝫ uirtus & diuinitas immortalis, oculis animi facilè ſubijciunt cũ ex orbis uniuerſi conſtitutione, ex harmonia & quaſi cõcentu, cõſeruatione denicp omniũ rerũ quas admirabili, & incomprehenſibili conſilio ſuo & ſapientia creauit, conſiderantur. Illuſtratur quoqꝫ eadem Dei potentia iudicijs ſuis iuſtis & æquabilibus, ſupplicijs hominum pernicioſorum, præſidio liberationeqúe eorum omnium, qui ipſum amore uenerationeqúe complectuntur. Quod ipſum eiuſdem uerbo facilè declaratur, ubi peccantium hominum diluuij tempore ſupplicium animaduerſioqúe, Noah autem eiuſqúe familiæ totius conſeruatio

seruatio describitur. Declaratur item Sodomæ subuersionẽ, & ereptione Lothi: postremò, uastitate submersioneqúe Pharaonis & Aegyptiorum, & contrà liberatione Israelitarum: alijsqúe compluribus historiarum monumẽtis & exemplis, quibus homines instituti Dominum Deum æternum, Regum Regem ac Principem agnoscere cõfiteriqúe debent. Ac testimonia quidem hæc omnia cùm ad præcidendã hominibus excusationis occasionem si minus Deum cognouerint, nec in gloria qua par est, ipsum quoq; posuerint, optima locupletissimaqúe sunt, tum prolixius adhuc ac familiarius nobiscum agens, exprimere se mortalibus in persona Filij sui uoluit: quemadmodum nos in his quæ sequuntur, piè uereqúe confitemur.

Certum habemus, Dei filium in hunc mundum uenisse, & humanæ carnis inuolucro tegi uoluisse: qua in re una Christianæ religionis mysterium est constitutum, eoqúe nomine spem nostrã totam & fidem in Iesu Christo, filio Dei, Domino nostro, Deo admirabili, authori æternæ uitæ, solo saluatore, iustificatore, sanctificatore, solo interprete, & patrono generis humani, solo Sacrificatore, cui successore nõ sit opus: eumqúe uerè Deum, ac uerè hominẽ existere. *De Iesu Christo filio Dei.*

Credimus atq; confitemur Dominũ nostrum Iesum Christum conceptum esse ex Spiritu sancto, opere uirili in totum detracto sublatoqúe, quemadmodum Angelus ante conceptionem ipse nunciauit, idqúe eo consilio potissimùm, uti Sanctus integerqúe nasceretur, cuius procreationem ab omni labe deformationeqúe uacuam esse necessarium esset. *De conceptione.*

Credimus & confitemur Iesum Christũ omni detracta corruptione ex uirgine Maria natũ in Bethleem ciuitate (ex Michæa Propheta) corpusqúe sum pßisse ad nostri planè similitudinẽ, excepto peccato, cui obnoxius esse minimè potuit. Angelorum autem naturam noluisse suscipere, sed seminis Abrahami, quod testimonio Prophetarum omnium prædictum fuit, ut in peccatorum humanorum expiationem & sacrificium offerretur. *De incarnatione.*

Credimus & confitemur Iesum Christũ sub Pontio Pilato passum, crucifixum, mortuum, sepultum pro peccatis nostris. Illum enim unum Agnum uerè Paschalem esse, in uictimam oblatum, ut nos ex Diaboli faucibus eriperet, quemadmodum adumbratum id fuit per serpentem Aeneum in deserto erectum: quoniam qui Christum crucifixũ aciem oculorum direxisset, omni morbo leuaretur, maledictioni, ac morti eriperetur: passioneqúe sua ijs qui in eum crederent salutem & uitam restitueret. *De Passione.*

Credimus & confitemur descendisse illum ad inferos: nõ tantùm enim corporea morte defunctus est Christus, uerùm etiam oportuit eum cum inferorum copijs æternæqúe mortis horrore quasi consertis manibus luctari. *De descẽsu ad inferos.*

Credimus & confitemur Dñm nostrum Iesum Christũ tertio postea die suscitatum à mortuis, ad iustificationẽ nostrã uerissimũqúe testimoniũ salutis & consecutionis æternæ uitę eorũ qui libenter in Christo fideliterqúe moriunt. *De Christi resurrectione.*

Credimus, & confitemur Dominum nostrum Iesum Christum quadragin ta post resurrectionem suam diebus in cœlum ascendisse, corporeamqúe præsentiam suam ex his inferioribus locis submouisse, quemadmodum prædixerat discipulis suis Ioan. 16. & sicut Angeli quoq; testati sunt. *De ascẽsione.*

Credimus, & confitemur, sedere illum ad dexteram Dei Patris omnipotentis: in omnia quæ sunt in terra & in cœlo imperiũ habentem, constitutũ Dñm omnib. ditionib. ac dominationib. hostes suos nostrosq; duxisse captiuos in triumphũ: eisq; exinanitis omnib. reb. populũ suũ diuitijs omnib. & opib. auxisse: ingressum etiã in Sanctuariũ, humano artificio minimè factũ atq; constitutũ, ubi patronus & mediator generis humani perpetuò consistit & apparet. *De sessione ad dexteram Dei Patris.*

Credimus, Iesum Christum iudicatum uenturum superstites ac mortuos semel aliqñ extremo ipso iudicij die, qui quidem soli Deo perspectus exploratusqúe

De secundo Christi aduentu.

tusq; sit: Venturum, inquam, eum in Regia sua maiestate, Angelorum comitatu septum, ad iudicium orbis uniuersi constituendum atq; pronũciandum.

De spiritu sancto.

Credimus in Spiritum sanctum, tertiam eiusdem cum Patre & Filio diuinę essentiæ personam, ex eodem Patre Filioq; manantem, utriq; eorum æqualẽ, depulsorem molestiarum omnium, consolatorem unicũ humani generis: cuius instinctu sancti Patriarchæ, omnes Prophetæ Apostoliq; Domini nostri Iesu Christi loquuti sunt: per quem sancta Ecclesia omni tempore constituta & gubernata fuit. Hic est doctor syncerus, cuius afflatu omnes Christiani ueritatis cognitionem habent: hic Spiritus in ipsis habitat, regenerans eos in uitã nouam, ueterem hominem in ijs mortificans, eosdemq; uiuificans ad omne opus bonum, in afflictionibus consolans, conformãs in ærumnis, qui suis adest in rebus aduersis, testificans eos esse filios Dei per adoptionẽ, cœlestis hæreditatis cum Iesu Christo participes.

De sancta Ecclesia.

Credimus ac confitemur sanctam Ecclesiam catholicam, quæ est congregatio & cœtus omnium uerè credentium, fidelium, & electorum Dei qui fuerunt à principio mũdi, & erunt usq; ad finem: cuius quidẽ Ecclesiæ Iesus Christus est caput, concilians eam sibi per suum Spiritum, eamq; sceptro uerbi sui regens, una eademq; uoluntate ac spiritu eam coniũgens uinculo fidei & charitatis. Omnia itaq; Ecclesiæ membra coniuncta, unum Deum, & caput unũ ac mediatorem Iesum Christũ agnoscunt, unam fidem ac legem habent, unus ijs est Baptismus, & eadem mensa spiritualis, in qua idem cibus ac potus spiritualis proponitur. Pro hac Ecclesia Christus seipsum tradidit ut eam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in uerbo: ut sisteret eam sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam tale: sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Sola corporis, carnis & ossium ipsius membra in sancta censentur Ecclesia: exulant hinc superbi Pharaones, pertinaces Pharisæi, & Simones magi. nullum est membrum putridum, corruptum, aut alioqui infectum: nec in ea locum habent Iudæ similes, Caino, aut malo Diuiti: recipiuntur in eam tantum oues & agni: putidi uerò ac fœtidi hœdi remouentur & excludũtur. Atq; hæc differentia est inter Ecclesiam quæ aliâs capitur pro congregatione bonorum & malorum, & Ecclesiam quam nos credimus, quę sancta uocatur, sanguine Agni illius immaculati mundata atq; sanctificata, extra quam non est salus. Quare in eam qui sunt uerè Christiani conuenire debent, nam eadem Ecclesia est communio sanctorum, qui omnes sunt membra capitis sui Iesu Christi: ita coadunati, ut simul corâm uisuri sint conspectum Dei. Hęc est egregia fraternitas, in quam cooptati & conscripti sunt quicunq; uerè sunt fideles, uocati à Deo ad communionem Filij sui Iesu Christi.

Eph. 5. d. 26. 27.

Sanctorũ communio.

Remißio peccatorum.

Credimus & confitemur remissionem peccatorum gratuitam, à misericordia & mera bonitate Domini nostri Christi profectam, qui mortuus est semel pro peccatis nostris, iustus ille pro iniustis, qui tulit peccata nostra in corpore suo ad crucem: qui est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Is est Iesus Christus ille iustus, qui noster est aduocatus apud Deum: ipse est pretium reconciliationis nostræ: fidelis & iustus ut nobis omnem iniquitatem condonet, sanguis eius delet chirographum quo obligati eramus, & mundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ut seruiamus Deo uiuo, qui solus peccata condonat, & abolet iniquitates hominum, ut conuertantur à uita mala, & deponant iniquitatem quæ in manibus ipsorum est, ut tristitiam habeant, quæ est secundum Deum, quæ gignit certam pœnitentiã ad salutem. cuius rei exempla habemus, Dauidem, S. Petrum, filium prodigum, Peccatricem illam, ac plures alios Iudæos. Vt non est inter homines qui macula careat, & se iustum præbere possit natus ex muliere: ita nec est quisquam per se innoxius coram Deo. Quum stellæ nõ sint mundæ in conspectu eius: quanto minus homo in

sua

sua putredine, & filius hominis, qui nihil est q̃ uermis? Omnes facti sumus ue lut immundi, & iustitiæ nostræ quasi pannus mulieris menstrualis, &c. proinde singuli gratia Dei per Christum oblata opus habent, qui solus pro fidelib. satisfecit, quib. peccata nõ imputantur, quemadmodũ incredulis atq; reꝓbis.

Credimus resurrectionẽ carnis benedictorum Dei, ad possidendũ regnũ cæleste in æternũ: maledictorum uerò Dei, ad ignem & cruciatũ perpetuum, ubi erit ploratus, &c. Credimus item animas esse immortales: fidelium aũt ac filiorũ Dei animas quamprimũ ex hoc corpore migrarunt, ad gloriã cœlestẽ transire, in qua Dñs noster Iesus Christus residet. certi enim sumus cùm hæc nostræ cõmorationis in terra domus destructa fuerit, restare habitationẽ diui nam, ac domũ æternam in cœlis, quæ non est facta manib. Infidelium uerò ac reproborum animas, cùm è corporibus discedunt, ad inferorum cruciatus se conferunt usque ad diem iudicij & resurrectionis carnis, ut ibi corpore & anima in perpetuum torqueantur in gehenna ignis inextincti. *Carnis resurrectio.*

Credimus uitam æternam, nobis gratia Dei per Christum oblatam, qui uerè uita est, ac mortem confecit, ut fideles uitæ æternæ hæredes fiant. nam quot quot in ipsum credunt, & mandata eius seruant, nunquam morientur: neq; est ulla condemnatio ijs qui sunt in Iesu Christo, qui non ex carne, sed ex Spiritu ambulant: ij non subeunt reatum, sed transeunt à morte ad uitam. Qui enim credit in Iesum Christum non condemnabitur: qui uerò non credit iam condemnatus est. Hæ sunt duæ (quas nobis ob oculos Scriptura ponit) uiæ, nec ullam nouimus tertiam: quarum altera ampla quidem est & spatiosa, atque ea ducit ad interitum, quam magna multitudo & frequentia hominũ celebrat: altera uerò arcta, quæ ducit ad uitam, ac pauci admodum per eam ingrediuntur. *De uita æterna.*

Credimus & confitemur, Dñm nostrum Iesum Christum abolita Circunci sione instituisse Baptismũ, per quẽ in populi Dei Ecclesiã recipimur, ut Dño consecremur, & segregemur ab alijs omnib. qui uarias & diuersas religiones colunt: quæ nota est & signũ uisibile. Baptismus uerò exterior, aliũ quoq; interiorẽ nobis exhibet, gratiã scilicet Dei, quæ cerni his oculis non potest, & beneuolentiam qua nos prosequitur propter Iesum Christũ, qui nos suo Spiritu baptisat, lauans, purgans ac mundans animas nostras ab omnibus pollutionibus & iniquitatibus, renouãs corda nostra: atq; eas explet consolatione, fiducia paternæ ipsius bonitatis, ex ueteri nouã efficiens creaturã, uasa iræ in uasa misericordiæ mutans. idq; uirtute Dei inuisibili sic in nobis operante. nã Christi sanguis lauacrũ est animarũ nostrarum, non aũt elementũ aquæ. Forma aũt baptisandi præscripta est à Iesu Christo, qui dicit: Ite, & docete omnes gentes, baptisantes eas in nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Ioannes Baptist. Apostoli atq; alij ministri Ecclesiæ baptisant, prolato uerbo Dei ad sacramentum, ac signum uisibile tantùm donant: Dominus uerò Iesus Christus ἀρχηγὸς solus incrementum dat, & facit ut res signatas percipiamus: gratijs & donis quæ sub uisum non cadunt suos ornat. Quæ sacrifici ad Baptismum addiderunt, præter sacræ Scripturæ authoritatem: ut sunt, aquæ coniuratio, chrisma, sal & sputum, mera sunt hominum commenta. Errant etiam grauiter qui pueros Christianorum à Baptismo remouent. *De Baptismo.*

Credimus & confitemur Dñm nostrum Iesum Christum deinde ordinasse sacramentum Cœnæ, quæ gratiarum est actio, & memoria mortis ac passionis Iesu Christi, in cœtu populi Dei ritè celebrata. in quo quidem panis & uinum distribuuntur & sumuntur, ut uisibilia signa & monimenta rerum sacrarum: corporis uidelicet & sanguinis Iesu Christi suspensi atq; in cruce oblati pro peccatorum nostrorum remissione, & generis humani cum Deo reconciliatione. Quisquis credit Iesum Christũ tradidisse corpus suum, & profudisse *De sacra Cœna.*

De Cœna Christiana opinio

ſanguinẽ ad remiſsionẽ peccatorũ, ille comedit carnẽ & bibit ſanguinẽ Dñi, & utriuſq; fit particeps: conſiderans conuenientiã earũ rerũ quæ oculis ſubijciuntur, & cibi quo corpus iſtud ſuſtentatur, cum ijs rebus quæ non uidentur, atq; cibo ſpirituali. Etenim ut corpus in hac uita pane corroboratũ, uinũq; cor hominis recreat: ita etiã corpus Ieſu Chriſti morti traditũ, eiusq; ſanguis pro nobis effuſus nutrit, confirmat, & reficit animã triſtem & afflictã. Cæterùm ne quis exiſtimet ſignũ uiſibile cum re per id ſignificata, quæ eſt inuiſibilis, adeò coniungi aut conglutinari, ut diſiungi aut diſſolui nequeant, quin unum ſine altero eſſe poſsit. Nam Iudas ſignum quidem cœpit, rem uerò ſignificatam & fructum non percepit, nec unquã corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti particeps factus eſt: ſed infidelitate ſua partẽ ſibi apud Sathanã eſt conſecutus, & membrum Diaboli factus. Probet itaq; ſeipſum homo, an ſyncera fide & pœnitentia cum charitate Chriſtiana coniuncta, ad hanc ſanctã menſam accedat: nam alioquí reus erit corporis & ſanguinis Dñi, dum mortẽ Ieſu Chriſti, & conſilium Dei pro nihilo ducit, quí non temerè ſacroſanctũ iſtud ſacramentũ inſtituit, ſed nos hac ratione excitare ac perducere uoluit ad ardentem ſui & fratrũ noſtrorũ dilectionẽ, ut uerè efficiamur tẽpla Dei, quí in nobis habitare digna
Ioan.14.c.23. tur, quemadmodũ apud Ioan. teſtatur Dñs, Si quis me amat, ſeruabit uerbum meũ, & Pater meus illũ amabit, & ueniemus ad eum, atq; cũ eo habitabimus. Atquí iſtud non eo modo accipiendũ quo nonnulli opinati ſunt, uerũ Chriſti corpus & naturale, carnẽ & oſſa in pane illo Cœnæ eſſe ac deliteſcere, aut in eum conuerti. nã hęc opinio pugnat cũ uerbo Dei, & fidei noſtræ articulis eſt cõtraria, in quib. clarè habemus, Chriſtũ aſcendiſſe ad cœlos, ſedere ad dexteram Dei Patris omnipotẽtis, unde & uenturus eſt ad iudicandũ uiuos & mortuos. ſed Dñs Ieſus Chriſtus ſacramẽto Cœnæ adeſt potẽtia, uirtute, atq; præſentia Spiritus ſui in cordib. electorũ ſuorum & fidelíũ. Nullus igitur Chriſtianus carnalẽ quandã inter Chriſtũ & eius electos cõmunitatẽ atq; unitatẽ imaginẽt, quãuis reuera coadunati ſint corpori ac ſanguini illius, utpote carnis & oſsium eius membra. myſterium enim coniunctionis & communionis Ieſu Chriſti magnum eſſe norunt fideles, atq; hæc ratio copulæ cùm ſit ſpiritualis, hominis ingenio nec percipi nec intelligi poteſt. Chriſtiani autem corporali Domini præſentia non opus habent. Incarnatio eius & paſsio, ad ſalutẽ mor-
Ioan.16. d.28. talium prorſus neceſſariæ fuerunt: id quod ipſe teſtatur, dicens, Exiui à Patre, & ueni in mundũ: rurſus relinquo mundũ & uado ad Patrẽ: quare certũ eſt impoſtores eſſe quí docent panẽ Cœnæ eſſe propriũ & reale (ut loquũtur) Chriſti corpus. Errant etiã qui affirmant, in Cœna Chriſti corpus comedi corporaliter. caro enim comeſta nihil prodeſt: Spiritus eſt quí uiuificat. Fideles igitur uerè Ieſu Chriſti carnem edunt, & ſanguinẽ bibunt ſpiritualiter in ipſorũ cordibus. Quapropter ſacrilegí meritò cenſendi ſunt, qui iſtud Sacramentũ contemnunt: pij uerò credunt & confitentur uno ore omnes, Cœnam Dominicã publicum eſſe conuentum ad teſtificandum Ieſum Chriſtum panem eſſe uitæ, qui de cœlo deſcendit. In Cœna complementum eſt ac ueritas Agni illius & ſolennitatis Paſchæ: participatio nempe corporis & ſanguinis Chriſti: memoria mortis & paſsionis eius: confeſsio fidei ſub ſymbolis atq; inſignibus uerí Regis: ſeparatio & ſegregatio ab omnibus ſectis: coadunatio in unum corpus: mutua inter Chriſtianos charitatis obligatio, neruus ac uinculum fraternæ illius coniunctionis: exemplum ac monimentum poſteris: arrhabo miſericordiæ Dei figura Cœnæ æternæ.

De cultu Dei. Credimus & confitemur ſyncerũ Dei cultum conſiſtere in eo, ut uoluntati eius pareamus, atq; oẽm noſtram diligentiã, operam, ac ſtudium conferamus in hoc ut, quoad in nobis erit, eã ſequamur. Regula uerò obſequij quod Deo præſtandũ eſt, in Præceptis diuinę Legis nobis prę ſcripta eſt, quib. docemur quid

quid Deo primùm, deinde quid proximis noſtris debeamus. Porrò finis præcepti eſt Deo obedire in uera charitate, ex puro & integro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata. Hæc demùm eſt ratio ſuum Deo honorem tribuendi, qui nec ex noſtro ingenio aut hominum traditionibus coli, nec quod cuiq; bonum & æquum uidebitur, ſed quod ipſe præcepit tantùm fieri uult. nam omnia bona opera, quæ præparauit Deus ut in ijs ambulemus, in Mandatis ipſius habemus. 1. Timoth. 1. a. 5

Confitemur agnitionem peccati ab ipſa Legis intelligentia proficiſci, quæ noſtram nobis quaſi digito oſtendit imbecillitatem, quum nemo ſit mortalium qui eam implere ualeat. Omnes enim homines peccatores ſunt: Legis neutiquam obſeruantes: natura filij iræ: iuſto Dei iudicio obnoxij, & quouis reatu ac morte æterna digni. Vnde ſequitur nullum reſtare aliud remedium quàm ut ad gratiã Dei & miſericordiam ueniamus, quæ nobis in ſolo Chriſto offertur: ſicut ſcriptũ eſt, Verbum propè eſt in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt uerbum fidei, quod prædicamus. Quòd ſi Dñm Ieſum ore tuo confeſſus fueris, & credideris in corde tuo q; Deus ſuſcitauit illum ex mortuis: ſaluus eris. corde enim creditur in iuſtitiam, ore fit confeſsio in ſalutẽ. omnis qui credit in eum, non pudefiet. Nam Dei promiſsiones fide apprehenduntur, quæ certa eſt cognitio amoris Dei erga nos, in gratuita Dei promiſsione, quam in Ieſu Chriſto habemus, fundata: deinde per Spiritum ſanctũ in cordibus noſtris confirmata atq; obſignata, qua gratis ſaluifimus: nec id à nobis, ſed dono Dei, non autem operibus, ne quis gloriari poſsit. Proinde Paulus omnia ſibi detrimento eſſe duxit, nec pluris q; ſtercus æſtimauit, ut ſibi Chriſtum lucrifaceret, utq; in Chriſto inueniretur indutus non iuſtitia Legis, ſed fidei, quæ quidem iuſtitia à Deo eſt. Præterea idem alibi infert: Nos itaq; ſcientes hominem non ex operibus, ſed per fidem iuſtificari: credimus etiam in Ieſum Chriſtum, ut per fidem in eum, non ex operibus Legis iuſtificemur. Eadem eſt doctrina Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui quærentibus diſcipulis, ecquis igitur ſaluus fieret: reſpondit, apud homines id quidem eſſe impoſsibile: apud Deum uerò, omnia eſſe poſsibilia. Vbi itaq; reſtat gloriatio? prorſus excluditur. Qua tandem lege? Operum ne? Non: ſed per legem fidei, quæ reputatur ad iuſtitiam. De Lege. Rom. 10. b 8. 9. 10. 11. Quid ſit fides. Matth. 19. d. 26. Rom. 3. c. 27.

Confitemur bona opera, quæ Deus pręparauit ut in ijs ambularemus, quęque in uerbo eius propoſita ſunt, fieri debere atq; ſtudioſè adimpleri: non quidem ſpe promerẽdi aliquid apud Deum, aut metu æterni exitij: ſed ex officio atq; amore quo communem omnium noſtrũm Patrem complecti oportet, ut obſequium noſtrum ad ipſius gloriam & proximi ędificationem ſpectet: utq; uera ac uiua fides, tanquam arbor à bonis fructibus, dignoſcatur. Huc tendũt uerba Petri, cum ait, Quamobrẽ, fratres, date operam ut bonis operibus certior reddatur electio ueſtra, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, ut in quo detrahunt de uobis tanquam maleficis, ex bonis operibus uos æſtimantes, glorificent Deum in die uiſitationis. Quoniam autem frigidi & pigri ad omne opus bonum impij in hoc ſe excuſant, quòd Lex ſit impoſsibilis carni, atq; ita ducti falſo gaudio, ſibi in peccatis placent: certum eſt quod qui ueram fidem habebunt, fructus illius & opera quoq; producent: incredulí uerò mala opera perpetrabunt, necnon hypocritæ qui tantùm fidem mortuam iactitãt, quos Diuus Paulus inquit, ore quidem confiteri ſe Deum noſſe, operibus uerò negare: quandoquidem abominabiles ſunt, infideles & ad omne opus bonum inutiles. De bonis operibus. 1. Pet. 2. c. 12.

Credimus & cõfitemur, ſobrietatẽ & continentiã nobis ex præceptis diuinis, in omnib. rebus ſeruandam. Ieiuniũ quoq; nobis in Scriptura iniunctũ eſt quod corporis afflictione atq; humiliatione conſtat, non id quidẽ ut tantũmodò caro affligatur, ſed ut alacriores, magiſq; ad precandũ idonei reddamur. De ieiunio.

Vnde facilè patet, uerum ieiunij usum his temporibus negligi, imò prorsus aboleri. quod quidem Isaias reprehendit in Iudæis, atq; ostendit qui nam ieiunio abutant, Esa. 57. a. 4 Nolite inquit, ieiunare quemadmodū ad hunc usq; diē fecistis, &c.

De ciborū quorundam ab stinentia. Confitemur etiā in ueteri quidem Testamento certos cibos fuisse prohibitos, quorum tñ apud Christianos liber mansit usus per Iesum Christū, qui nos plane immunes ac liberos fecit istiusmodi ceremonia atque seruitute Legis. Qua de re omnia munda mundis, contraq; impuris & incredulis nihil purum esse potest, quorum mens & conscientia impura est. Atqui esca nos Deo gratiores non reddit. nam quod per os intrat, nequaquam hominē inquinat: omnis creatura Dei bona est: proinde nec aspernanda, modò cum gratiarū actione utamur: sanctificata enim est uerbo Dei & oratione. Sed diligenter nobis uidendum est, ne libertatem hanc ad carnis uoluptatē traducamus, atq; in primis cautio adhibenda, ne corda ingluuie aut ebrietate, aut solicitudinibus & curis huius seculi impediantur, ac penitus obruantur.

De Magistratibus. Confitemur Reges, Principes, ac magistratus personas esse à Deo constitutas, ut gladium gestent ad bonorum defensionem, atq; punitionem facinorosorum. Ideoq; ijs obedientia debetur nō modò propter iram, sed etiam propter conscientiam. Reddendum enim suum cuiq;, tributum, uectigal, honorē & alia pro suo cuiq; iure persoluenda censemus. Ad Regem in primis obediētia pertinet, utpote qui cæteris dignitate præstet: ad Duces uerò quòd ab illo missi sint. Omnibus deniq; proceribus ac magistratibus parendū, quòd Deus in hoc ordinauit, ut præmio bonos, sceleratos uerò pœna afficiant.

De pastoribus & ministris. Confitemur ministros & Ecclesiæ pastores, exemplo gregi, & fidelibus esse oportere: in sermone, consuetudine, charitate, fide & castimonia alijs prælucere, concionando Verbum Dei, & perseuerando in syncera doctrina. Cōtrà uerò pastores auari, q turpis lucri causa sub prætextu nihilominus cultus Dei falsas doctrinas comminiscunt, istiusmodi mercatores, propolæ, qui suarum rerum aspectum atque eandem rem plus millies uendunt, qui templum Dei prophanant, ut speluncam latronum efficiant: qui pecunia se animas, è Purgatorio ut uocant, redimere posse confirmant, atq; accepto precio uenia & peccatorum remissionem promittunt, qui mala opera uenditant: tales inquam, impostores, sacrilegi, atq; idololatræ, de gradu demouendi Regum ac Magistratuum authoritate, aliiq; in ipsorum locum substituendi forent. Quanquā hoc tempore pleriq; se à Principum obedientia non modò subtraxerint, eorūq; iuga plane excusserint: sed etiā ambitione ac tyrānide diabolica totius fere orbis dominatum sibi attribuerint. Principū potentiā atq; authoritatē usurparint, derelicto proprio officio, quod erat gregem Dei pascere, prouidere ei non inuito, sed alacri & prompto propter Deum animo: non autem occupare imperium in Clericatū, quemadmodum satis declarat triplex illa Antichristi corona, regnum etiam Episcoporū atq; Abbatum, qui tandem stipendium iniquitatis suæ recipient. Sed cum ἀποκαλύψει ille uenturus est, qui fideles serui inuenti fuerint, coronam gloriæ incorruptam accipient.

Confessio oblata parlamēto. Hæc confessio fidei primùm oblata fuit summę Curiæ seu Parlamento Pro uinciæ, deinde additis aliquot articulis tradita & exposita latius fuit Episcopo Cabellionēsi, ut ipsemet petierat. Tum etiam totidem capitibus descripta & exhibita fuit Cardinali Sadoleto Episcopo Carpentoractensi, ascripta quadam postulatione in hanc sententiam: Incolas Cabrierę in comitatu Venissiæ, officiose postulare, ut æquo animo reciperet atq; perlegeret doctrinā, in qua patres eorum & ipsi à longa temporum serie instructi fuerant: quam quidem iudicabant, cum ueteris ac noui Testamenti doctrina congruere. Ac quoniā Cardinalis ille peritus & studiosus sacrarū literarum habebatur, Cabrierenses ab eo petebant ut notaret propositiones eorū, quæ sibi à doctrina Dei discrepare

pare uiderentur, & si quid esse contrarium ueræ religioni probare posset: se non modò non recusare quin ad eius abiurationem adigantur, uerumetiam subituros uel capitis uel fortunarum omnium discrimen. Ad hæc si quis esset iudex in comitatu Venissæ qui certa inquisitione affirmare posset, eos fouisse doctrinam impiam, aut aliam religionem coluisse quàm in articulis Confessionis eorum contineretur: rogabant ut is cum ipsis communicaret, seque uicissim æquo animo obtemperaturos pollicebantur.

Ad hanc postulationem, Cardinalis Sadoletus respondit epistola manu Secretarij sui scripta, propria uerò manu obsignata, atq; ipsius sigillo cõfirmata, quam plures, etiamnum superstites, uiri graues legerũt, in hanc ferè sententiã:

Sadoleti iudicium de Merindoliorũ doctrina.

Postulationem uestram accepi, & cõfessionis uestræ articulos perlegi, ampla profectò est materia, nec uos de alia doctrina accusari unquam intellexi, nili quam ipsi confitemini. Certum quidem est leues homines quædam de uobis sparsisse in uulgus, quæ reprehensionem acrem merebantur. sed ubi accuratius inquisitum est de re ipsa, meras calumnias & falsas criminationes fuisse compertum habuimus. Cæterùm in uestris articulis nonnulla uerba rectè mutari posse uidentur, ita tamen ut ne quid uestræ cõfessioni detrimenti accidat. Præterea non necesse habebatis (meo quidem iudicio) tam apertè in Pastores ecclesiæ inuehi. Quod ad me attinet, ego uobis benefieri cupio, contraq; malè me profectò haberet, ac uehementer ipse angerer, si, quod alijs de uobis uastandis decretum est, exequerẽtur. Atq; ut quantum uobis faueam certius cognoscatis: ego breui profecturus sum ad prædium quod habeo propè Cabrieram, eò uobis integrũ erit ad me uenire: idq; siue pauci siue plures numero, absq; uestro incommodo aut malo facere poteritis, ibiq; quod in rem uestram, quodq; ad salutem tuendam faciendum censeo, ingenuè exponam.

Eo quidem tempore, anno scilicet *M.D.XLII.* Vicelegatus Auenionensis, hortatu Cabellionẽsis Episcopi delectum militum habebat ad destruendam Cabrieram: cumq; exercitus ad milliare unum prope Cabrieram accessisset, Cardinalis Sadoletus summa festinatione obuiam iuit Vicelegato, eiq; ostendit postulationem Cabrierensium: & fidei eorum confessionem cum eo communicauit, additis conditionibus, quibus illi se staturos receperant. Quò factum est ut eius rogatu exercitus inde recesserit, nec ulla sanè tum Cabrierensibus iniuria illata fuerit. Postea uerò Sadoletus Romam iturus, priusquam se uiæ daret, plures Cabrierensium cum suis uillicis quos sciebat ex eorum numero esse qui Lutherani appellãtur, accersi iussit (nec enim alios in tota ditione sua uillicos sibi dari optabat) his, inquam, pollicitus est se ipsorum memorem fore, ac quamprimùm Romam peruenisset, totam confessionem, eorũq; articulos communicaturum cum Cardinalibus. hacq; ratione sperare futurũ ut Concilio aliquo melior instituatur reformatio: quæ res ad gloriæ Dei amplificationem, & ad Christianæ concordiæ conseruationem perquàm foret utilis ac necessaria, nec dubitare quin eodem modo abusus saltem qui nimis sunt crassi & noti omnibus, corrigerentur. Interea etiam monebat eos, ut prudenter se gererent: uigilandum ipsis diligenterq; ac seriò precandum, quoniã hostibus undiq; cingerentur acerrimis. Hæc autẽ Sadoleti oratio Cabrierensibus magnæ consolationi fuit, qui huius sedulitate, breui aliquod responsum ad confessionem ipsorum redditum iri sperabant: attamen postquam Roma reuersus esset Cardinalis, intellexerunt eum illic res omnes usqueadeò deprauatas offendisse, ut nulla inde reformationis ac correctionis spes foret, sed potius crudelis belli apparatus aduersus eos qui Ecclesiæ Romanæ ordinationes atq; traditiones non sequerentur: facilè quidẽ perspici abusus tam crassos diu durare nõ posse, cũ præsertim multitudo hominũ cuiuslibet nationis qui sacræ doctrinæ notitiã sunt consecuti, in tantũ numerũ excreuerit. Tantundẽ

Sadoleti admonitio ad Cabrierenses.

quoq; dicebat Thesaurarius Carpentoractensis, qui licet pecuniam suppeditaret ad persoluēda stipēdia militibus, quorū delectus habebat ad euertendā Cabrierā, occultè tñ ipsi opem ferebat: uerū nō potuit adeò tectè rem gerere, quin ad Vicelegatū delatus fuerit, qui illum festinanter recedere coegit.

Episcoporum nouum conatus

Episcopus autē Aquensis & Cabellionensis, sedulò instabant ut decretum Merindolense executioni mandaretur. Vnde à Senatu ac Parlamento Prouinciæ constitutū fuit secundū Regis diplomata, ut Ioan. Durandius consiliarius Curiæ, cum quodam Secretario & Episcopo Cabellionensi, ac Doctore aliquo Theologiæ, Merindoliū ipsum adirent, eiusq; incolis errores & hæreses, quas in confessione fidei ipsorum agnouerint, ostenderent, certisq; rationibus falsas eorum opiniones arguerent, conuictos deinde per Verbum Dei, abiurare cogerent suas hæreses: id qui facerent, ipsos omni pœna ac reatu liberarent. Quòd si Merindolienses hæreseos cōuicti, oblatam abiurationem præstare recusarent: tum eorum omnium quæ gesta fuerint scribi oportere, ut tandem Curia quid agendum sit statuat.

Promulgato hoc decreto, Episcopus Cabellionensis non expectauit diem executioni à Senatu prefixum, sed ipsemet doctore Theologię assumpto Merindoliū uenit, ut eos ad abiurationē adigeret. Qua de re per Merindolienses reprehensus fuit, quod præter authoritatem Senatus, negotium susciperet, dicentes id eum non habere in mandatis. Nihilominus haud destitit eos urgere ut abiurarent, idq; si facerent, aiebat in tutela sua ac protectione, uelut sub alis gallinæ latent pulli, fore tutos, nec amplius ab ullo hostili incursu ipsis metuēdum. Merindolij incolæ petierūt, ut ea explanaret quorū abiurationē fieri uolebat. Respondit Episcopus, non opus esse ullam instituere disputationem: se solùm postulare uniuersalem quandam errorum omnium abiurationem, qualem uel ipsemet facere non admodū grauaretur. idq; etiam ipsos sine ullo suo incommodo facere posse. At Merindolienses negabāt se uiolaturos ulla in re Senatus arestum, aut Regis literas, quibus ille diligenter cauerat declarandos primùm errores quorū rei aguntur: ut uerbo Dei edocti, Regij diplomatis argumento satisfacere rectè possint. alioqui enim simulationē tantùm & turpē hypocrisin fore, imò contemptū iuris sibi à Rege præscripti. Itaq; quod anteà sępius professi sunt, id etiā nunc confirmant: nempe, si idonea inquisitione habita probentur in aliquo errasse, aut ex uerbo Dei hæreseos conuincantur, se absq; ulla cunctatione abiuraturos esse quicquid in ipsorum confessione reperietur quod cum sacrosancta Dei doctrina non consentiat. contrà, si ipsos nullo errore ductos, nullaue hæreseos nota uel macula infectos, constet puram Euangelij doctrinā semper docuisse & coluisse: nō esse consentaneū se ad cauendā palinodiā errorum, quib. obnoxij nō sint, impelli aut ulla ui cogi. Tum Episcopus Cabellionēsis mirū in modū excanduit nullā admittens mentionē uerbi Dei, quo errores Merindolienſiū arguendos Rex & Senatus ipse decreuerant, sed tanquā amentia quadā correptus, diris imprecationib. deuouebat qui primi hanc rationē excogitassent. Tandē Doctor theologus, qui illuc cū Episcopo uenerat, rogabat quinā essent articuli, quos Merindolij incolæ proposuissent (Episcopus em̄ eos cū Theologo nō cōmunicarat) Hic Merindolienses: Episcopus, inquiūt, Cabellionensis eos quidē habet: attamē nobis alterū ad manū est eorū exemplū. Tū Episcopus Cabellionensis tradidit Theologo doctori confessionē integrā: uixq; eā perlegerat, quū ipse Episcopus inclamaret: Quid quæris testimonia? aut quid disputationib. egemus? omnia hæc sunt hæreseos plena. Cedo, inquiūt Merindoliēses, quonā in loco? Episcopus aūt nō habebat quod respōderet. Doctor uerò theologus postulabat sibi tēpus dari, quo articulos istius cōfessionis exactius expenderet: atq; examinaret nū à Scriptura dissentanei essent. quocirca Episcopus summo cū animi dolore

Cabellionensis Episcopi infamia.

lore illinc re infecta digressus est. Post octiduum iussit Episcopus accersi Doctorẽ, ut ex eo cognosceret qua potissimũ uia uti posset ad demonstrãdas hæreses quę in illa cõfessione haberentur. Ad hoc Doctor aiebat, se nũquã ita fuisse attonitũ ꝙ quũ articulos expendisset, & diligenter contulisset testimonia sacrarũ literarum, quæ ad confirmationem eiusdem confessionis adducta in ea fuerant. fatebatur etiã liberè, tota se uita tantum in diuinis scriptis non profecisse, quã illis octo diebus, quibus Scripturæ locos in ijs articulis citatos excutere coactus fuerat. Paulò aũt pòst Episcopus Cabellionensis, comitatus tantummodò famulis suis, Merindoliũ uenit: ibiq; pueris grandiusculis simul & paruis ad se uocari iussis, pecuniã singulis largitus, blandè præcepit ut orationem Dominicã cum symbolo Apostolorũ Latino idiomate ediscerẽt. Plericq; eorum excipiebãt, se Latinè quidẽ nosse Pater noster, & Credo: non posse tamen reddere rationẽ eorum quæ recitarent nisi suo, id est Gallico idiomate. Quibus tunc Episcopus dixit, nõ requiri tantã in ipsis scientiã, satis esse modò ea Latinè tenerent: neq; ad salutem conducere tam exactam fidei rationem atque intelligentiã: multos Episcopos, Parochos, quin etiam Doctores theologiæ inueniri, quibus satis negotij exhiberet uel tenuis ac rudis expositio orationis Dominicæ, aut symboli Apostolici. Hæc audiens Merindolienſis Præfectus Andreas Maynardus: Quid, quæso inquit, proderit uerba non intellecta proferre, & psittaci more recitare Pater noster aut Credo? mentitur certè, & Deum irridet quisquis absq; intellectu usurpat hæc uerba, Credo in Deũ: & quid ipsa ualeant ignorat. Intelligis ne tu, inquit Episcopus, quidnam ualeat Credo in Deum? Cui præfectus, miserum sanè me deputem, nisi intelligerem: ac tum ordine rationem fidei reddere cœpit. Qua quidem re Episcopus perculsus, ei dixit, Non putassem mehercule Merindolium tantos habere doctores. Quid? inquit Præfectus, etiam infimæ sortis homuncio qui Merindolium incolit, rectius multò quàm ego fidei capita tibi enarrare poterit: sed periculum fac, ac percontare, amabo, pueros istos, aut istorum aliquem: ut rectène an perperam instituti sint, ipse iudices. Episcopus qui neq; respondendi neq; interrogandi scientiam tenebat, fremitu atq; indignatione pudorem obtegens nihil respondit. Quod facilè perspiciẽs alter Syndicus Merindolij, cui nomẽ erat Perronius Regius, Domine, inquit, si uelis ut paruulorũ aliquis suos interroget sodales, nõ ægrè id præstabit. Permisit Episcopus. Ibi tũ unus è pueris interrogare cœpit alios summa grauitate, ac singulari gratia: dixisses planè præceptoris partes illum agere. Alij uerò uicissim pueri, quærenti adeò aptè & commodè respondebant, ut ea res auditoribus non mediocrẽ admirationem afferret. gesta enim fuit hæc res coram multis. inter quos erant etiam religiosi quatuor, qui nõ ita multò antè à Parisiensi Academia redierant, quorum unus sic Episcopũ allocutus est: Necesse est, inquit, ut uerum fatear, me sępius quidem disputationib. theologicis Sorbonæ interfuisse, nunquã tn ex ijs tantùm profecisse, quantũ nunc audiendo istos puerulos fructus percepi. Cui tum quidã Gulielmus Armãtius dixit, Legisti ne unquam quod apud Matth. scriptũ est de Iesu Christo, Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentib. & reuelasti ea paruulis: Sanè Pater, quoniam beneplacitũ tuũ est eiusmodi. Omnia hæc uerba, atq; responsa, quæ dabant Merindolij incolæ, cunctis summę admirationi fuere. Episcopus cùm hac nõ succederet, alia aggressus est uia, & conatus est blãdis uerborũ lenocinijs Merindolienses in suam pellicere sententiã. Remotis itaq; extraneis, seorsim fassus est perspectũ quidem habere minus in ipsis mali esse ꝙ multi arbitrarentur, sed ut persequẽtibus satisfieret, leui quadã abiuratione opus esse, quam generatim corã ipso præfectus & syndici Merindoliẽses cõmuni ciuiũ nomine facerẽt, nullo adhibito actuario aut notario, q eã scripto exciperet. Ita

Fidei ratio etiã paruulis Merindolij cognita.

Episcopi blanditiæ.

ipſos amorẽ atq; fauorẽ uel apud hoſtes conſecuturos eſſe, nulla inuſta infamiæ nota. nam ad Papã tantummodò Curiamq; Prouincialẽ negotium relatum iri. Quinetiam ſi qui poſtmodò factum illud uitio uerterẽt, aut forſan hoc prætextu moleſti ipſis eſſe uelint, ſanè omnino negari poſſe quod nec literis nec teſtibus uerè probaretur. Atq; ut rectius hæc tranſigerentur, rogabat ut conuenirent & inter ſe deliberarẽt. Præfectus aũt ac ſyndici, aliíq́ue plures ex ſenioribus uiciſsim reſponderunt, iandududũ deliberatũ ac conſtitutũ ſibi eſſe non conſentire ulli abiurationi, niſi (quæ ſemper eorũ fuit exceptio) ex uerbo Dei hæreſes arguerentur. mirari quoq; admodum ſe dicebant, quòd Epiſcopus eos adigere uellet ad mentiendum Deo & hominibus. His dictis Epiſcopus magnis animi perturbationibus agitatus illinc diſceſsit. Paucis uerò poſt diebus Epiſcopus Aquenſis aſsiduè inſtabat apud Ioannem Durandiũ ſummæ Curiæ in Prouincia conſiliarium, ut mandatum quod à Senatu habebat perſequeretur: de quo mãdato & iam antè ſæpius & mox etiam dicemus. Durandius itaq; incolas Merindolij certiores fecit de die quo illuc cum Epiſ. Cabellionenſi, eiuſdémq; comite doctore Theologo, & quodam Scriba uenturus eſſet, ne quis ſtato die ibi deſideraretur. Accurrerant etiam tunc temporis undiq; uiri nobiles & docti, & alij cuiuſuis ordinis homines, eò tantùm cõſilio ut huius executionis ſpectatores eſſent. Merindolienſes quoq; prænoti fuerant ne ſe unà omnes iſterent, ſed iuxta templum ſtarent, ut uocati eo ordine ac numero, quo ipſis indicaretur, in medium prodirent. Poſtquam Durandius conſediſſet ubi iudicia ſua exercere ſolebãt Merindolienſes, iuxtáque illum Epiſcopus Cabellionenſis, Theologiæ doctor, & Scriba: accerſebantur Andreas Maynardus præfectus: Ienonus Romanus & Michelinus Maynardus ſyndici: Ioannes Cabrius, cum Ioanne Palenco ſeniores Merindolij. qui cùm acceſsiſſent, unicuique honore exhibito: Durandius orationem ſuam ita eſt exorſus, Non ignoratis, inquit, areſto ſummę Curiæ Prouincialis, uos cum uxoribus atq; ipſis pueris ad unum omnes igni & incendio adiudicatos, domos uerò ueſtras ſedibus ſuis cõuellendas ac diruendas, ut pagus omnino inutilis habitationi reddatur, &c. attamen placuit Regi, clementiſsimo noſtro principi, literas mittere per quas rebus ueſtris conſuluit, ne ſummo iure actio gereretur, ſed ex decreti ſui moderatione: quod tum ibi prælectum fuit. Poſt multas itaq; conſtitutiones, uiſum fuit Senatui, ut ab Epiſcopo Cabellionenſi doctoréque Theologiæ coram me de erroribus admoniti, conuictiq́ue hæreſeos, quam uos fouere dicimini, doctrinæ falſæ renuncietis: imò publicè ac ſolenniter abiuretis errores priſtinos, prout res ipſa poſtulat. Quod ſi feceritis, gratiam à Rege principe noſtro in uos collatam conſequemini. Quare neceſſe eſt ut nunc obedientiam Deo, Regi, & magiſtratui exhibeatis. Quo dicto, rogauit quidnam illi ad ea quæ propoſita erant, reſponderent. Præfectus autem Andreas Maynardus facto ſigno indicauit ſyndicis Merindolij ut reſpõderent: ſyndici contrà, id ex Præfecti officio eſſe ſignificabant. Tum Conſiliarius Durandius ad Præfectum, Tuum eſt, inquit, primò reſpondere qui magiſtratum geris. Præfectus uerò, dixit negotium iſtud ad commune totius pagi pertinere: proinde ſyndicorũ fore primò reſpõſum dare. ſed quoniam, inquit, tibi ita placet, uelimus aliquem nobis aduocatum dari, qui, ut mos eſt forẽſis, de toto negotio certior factus cauſam noſtram agat. nam nos homines illiterati ſumus & rudiores quàm ut pro rei dignitate reſpõſum reddere poſsimus. Conſiliarius autem dixit ſe nec ſcripto nec per aduocatũ cauſam hanc, ſed ex ipſorũ ore audire uelle: haud recuſare tamen, modò nullus extraneus deteris conſiliũ, quin inter ſe deliberarent quid dicturi eſſent, ac dein uiciſsim ipſi dicãt. Præfectus conditionẽ accepit, ipſeq́ue cũ ſyndicis & ſenioríb. aliquandiu conſultatũ ſeceſſere, nec aliud illorum fuit conſiliũ, q̃ ut ſyndici primò, deinde

Durandij oratio ad Miran/dolienſes.

Præfectus

Præfectus, poſtremò ſeniores, quod cuiq; Dei gratia ſuggeret, eloquerentur: ac quamprimùm redierunt: mirabatur Conſiliarius, quòd tam citò deliberaſſent. Michelinus Maynardus ſyndicus Merindolienſis, rogans Durandium & Epiſcopum ſibi ignoſcerent, utpote ruſtico & rerum forenſium imperito, ſi minus eleganter diceret: in hanc rationem reſpõdit, Magnas profectò Deo gratias agere debemus, quòd ad alia beneficia quæ in ſummo diſcrimine ab illo accepimus, iſtud etiam dederit maximum, quum Regis animum ita affecit, ut iure nobiſcum agi præciperet, omnem uim & uiolentiam ſuo diplomate reprimens: qui exemplo Dauidis & Solomonis non dedignatus ſubditorum miſerrimos reſpicere, iſs prouidit ut bonum principem decet: quo quidem nomine nos illi ſummam in Chriſto felicitatem optamus, deinde gratiam habemus ſummo Prouinciæ Senatui, quia ius adminiſtrarit nobis ex mandato Regis, principis noſtri: & tibi quoq; domine Durandi, qui huc cum mandatis Curiæ ueniſti propterea quòd uiam nobis monſtraris facilem, quæ in hoc negotio tenenda ſit. quocirca uelim equidem hæreſes declarari, de quibus accuſor: ac ſi ullum me ſermonem in quo Dei maieſtatem læſerim, uſquam habuiſſe conſtet, libens reuocabo, & pœnam pro tuo arbitratu non inuitus dabo. Poſt hunc Ienonus Romanus, uir admodum grandis natu, ſyndicus Merindolienſis dixit ſe ſententiæ Collegæ ſui accedere, Deoq; laudem tribuere quòd in extremo ætatis ſuæ tempore, lætoſ iſtos nuncios & audiret & uideret quibus allatũ erat ut cauſa religionis ex Sacrarum literarum authoritate tranſigeretur. id enim iuris nunquã obtinere potuiſſe maiores, apud ullos iudices contra perſecutores ſuos. Præfectus autem Maynardus dixit Commiſſario, Scribam ipſius ſtultum adoleſcentulum nihil quàm ridere, nec quicquam eorum quæ dicerẽt chartæ mandare. Quod ægreferens Commiſſarius, acriter Scribam obiurgauit, & ſingulari memoria quæcunque ante dicta fuerãt repetens deſcribi iuſſit: ac poſteà rogauit, nunquid aliud uellet dicere. Cui Præfectus, Quum mihi poteſtatem facis liberè dicendi quod ſentio, nulla profecto hic mihi uidetur eſſe iudicij forma, cùm non ſit qui accuſatoris partes agat, ut niſi probare poſsit ea de quibus nos accuſamur, pœna afficiatur qua falſos accuſatores puniri iubet Scriptura. In eandem rationem locutus eſt Ioan. Brunerollus Merindolij ſuppræfectus, poſtulans exhiberi inquiſitiones certas, quibus conſtaret incolas eius loci in errore uerſari. aut ſi id nõ facerent aduerſarij, ipſi ut innoxij iudicis ſententia abſoluerentur, illi uerò moleſti eſſe deſiſterent, ac deinceps nec capitibus nec fortunis ipſorum manus intentarent. Commiſſarius autem eò quòd prandij tempus inſtaret, rem in horam primam pomeridianam reiecit. ibi cùm urgerent Merindolienſes ijdem qui manè reſponderant, ut errores & hæreſes de quibus accuſarentur, in medio ponerent aduerſarij, Epiſcopus Cabellionenſis & theologię doctor, rogati per Commiſſariũ ſiquid contrà haberent, aut ſi articulos ab iſtis propoſitos impugnare uellent: Epiſcopus non auſus apertè loqui, diu multumq; in aurem Conſiliarij ſuſurrauit. quos quidem ſuſurros cùm diutius ferre non poſſet, Conſiliarius ad Merindolienſes ſermonem conuertit, Epiſcopum dicere nihil opus eſſe inquiſitionibus, ſed eiuſmodi de ipſis undique ſpargi rumores. Doctor uerò theologiæ nullum articulũ confeſsionis, quę tum recitata fuit, impugnauit, ſed pleraque Latinè cum Commiſſario loquebatur. Merindolienſes qui aderant in iudicio, petebant ut Conſiliarius in ſua renunciatione, quam proceſſum uerbalem uocant, accuratè deſcribi curaret tam ipſius Epiſcopi quàm Doctoris tergiuerſationes. Promiſit Conſiliarius nihil ſe omiſſurum quod in rem eorũ fore exiſtimaret. addebat inſuper nõ neceſſe eſſe reliquos Merindolienſes uocari, ſi nihil aliud cõtra eos afferri uel ꝓbari poſsit. Habes hic ſummã eorũ quę in hac diſceptatione geſta fuerunt. Quotquot aũt audiendę diſputationis ſpe

Reſponſio Merindolienſiũ.

ducti

ducti undiq; concurrerant, mirabantur admodum uidentes Episopũ & doctorum Theologum uictos planè obmutuisse. Atq; ea res multis utilitati fuit, qui exempla confessionis Merindolienſium secum asportãtes ad sanioris doctrinæ cogitationẽ animũ appulerunt. præcipuè uerò tres illi doctores, qui ſę pius Merindolienses ad defectionem à uera fide solicitarãt, ui ueritatis conuicti, pristinis superstitionibus abiectis, syncerã amplexi sunt religionẽ, eorũq; ministerio usus est posteà Dominus ad Euangelij sui prædicationem.

Iudices piorũ grauiter à Deo puniti.

Post tam uarias & graues has forenses conflictationes, tandem Deus grata ocij & requietis uicissitudine, Merindolienſium ac sociorum animos refecit: idq́ue incusso hostibus eorũ terrore propter exempla quæ in sceleratos eius populi uexatores adeò luculenta ediderat, non tantùm in repentina præsidis Chassanæi morte, uerumetiam in pleriſq; alijs Prouincialis Curię primarijs uiris, quorum quidẽ horrenda mors multos perterrefecit: inprimis uerò ea quã Ioanni de Roma impurissimo homini omnes accidisse nouerant: quemadmodum antea commemorauimus. Itaq; crudelis aduersariorum rabies multis interpositis impedimentis aliquandiu repressa fuit: uiq; atq; executio crudelissimæ illius aduersus Merindolios latæ sententiæ tantisper interpellata fuit, dũ Ioannes Minerius recutiti patris ut ferebatur, soboles, munus primi in ea Curia prędes obtinuit. Is cùm antea papali magistratu, quem Viguierum dicũt, Cabellione fungeretur, ex depresso loco ad summas opes & dignitates repentè euectus est. nam ad præsidentiæ authoritatẽ accesit etiã præfecturæ Regiæ dignitas. Grinianus enim à rege in Germaniam erat ablegatus, ut suo nomine interesset comitijs, quæ anno hoc 1545. Vuormatiæ statibus imperij erãt indicta. Hanc itaq; opportunitatem Minerius nactus omnes uires opesq́ue suas eò contulit, ut sanguinolentum illud Curiæ arestum antea factum, non confirmaret solùm, atq; ipsa re præstaret: uerumetiã ut Sathanæ administer & infestissimus carnifex ad eius crudelitatem permultum adderet: quemadmodum ipsa executione declarauit. Itaq; dño Griniano, à Prouincia tum absente, egregius hic præses Minerius, obseruatis omnibus rationibus atq; occasionibus, quibus posset quod susceperat, perficere die duodecimo Aprilis senatu conuocato recitat regis literas, quibus executio mandabatur latæ sententię. has autem literas Tornenij cardinalis commendatione dicitur impetrasse Minerius per idoneum sollicitatorem Philippum Cortinum. Hisce literis lectis aliqui è senatu ordinati qui rem exequantur. Illis Mineruis sese adiutorem futurum profitebatur. Propterea Massiliæ, Aquis, Arelatæ cæterisq́ue in locis frequentioribus militiam omnibus, qui possent arma ferre imperat. Præterea oẽs copias Regis (quæ tum è Pedemontio in Prouinciã uenerãt uela daturæ Massiliæ ad expeditionẽ belli Anglici) coegit, easq́ue coniunxit cum eo exercitu quem Papæ legatus Auenione atque in toto Veniſſę comitatu contraxerat. Atque ita magnanimus dux, oblitus sui officij, infestis signis progredi cœpit, ad excindendum uastandumq́ue Merindolium & Cabrieram, aliaq́ue oppida, & pagos numero uiginti duos euertendos ac delendos. Atque ut id facilius efficeret, militibus potestatem fecit diripiendi omnia & incendendi, atque etiam homines, mulieres, infantesq́ue trucidandi. Antequàm autem perueniret Merindolium, incendio atque direptioni dedit oppidum Rupem nominatum, S. Stephanum, Villelaurum, Lormarinum, Mottam, Cabrierettam, S. Mattinum, Pipinum, aliaq́ue loca ultra montem Lebronem posita. Eorum autem locorum incolę, quorum maior par se Merindolium receperat, cùm uiderent tantam inimicorum immanitatem, secesserunt in syluam Lauram appellatam, quoad eorum uis & furor, quasi tempestas quædam sæua uiolenta q́ue illata præteriret.

Minerij disciplina militaris.

Merindolani

Merindolani etiã cùm ardere omnia circumspicerent relictis sedibus in syluas confugiunt, & ad uicũ Sanfalesium maxima cum formidine pernoctant. Huius aũt incolæ iam & ipsi fugam parabant. Cauillonensis enim Episcopus, pontificij legati uicarius negotiũ dederat nonnullis ducib. ipsos contrucidandi. Postridie paulo progrediuntur longius tecti syluis. nam undiq; periculum erat, & Minerius capite sanxerat ne quis eos ulla re iuuaret, sed ut promiscue cęderentur omnes, quocunq; loco deprehensi. ualebat idem edictũ in locis finitimis pontificiæ ditionis, & Episcopi quidẽ eius regionis ferebant alere magnam copiarũ partẽ. Ibant ergo difficili & molesto itinere gestãtes pueros in humeris & brachijs, inq; cunis, & quidẽ mulieres aliquot grauidæ. Cumq; ad constitutũ locũ uenirent, iam eò confluxerãt multi, qui rebus perditis fuga salutem quæsierãt. Non multo post nunciatur Minerium aggregare simul omnes copias ut ipsos inuadat, fuit hoc sub uesperũ. itaq; re deliberata consiliũ ex tempore capiunt, & quoniam iter faciundũ erat per loca impedita & aspera, mulieres, puellas, & infantes ibi relinquunt, paucis quibusdam adhibitis, & in his Ecclesiæ ministro. Cęteri sicut constitutũ erat oppidum Mussium petunt. hoc autem ea spe faciebant, fore, ut hostis in imbellem turbam, & omni præsidio destitutam misericordia uteretur.

Anno 1545 Januarii

Eguẽ cauillonen. et Aniniensis adueniũt

Nulla oratio explicare posset gemitus, dolores animi, fletus, quæstusq; promiscuos, q in hoc acerbissimo discessu digressuq; editi fuerũt: cũ uir à charissima uxore, pater à iucundissimis liberis ita abstrahi auelliq; cogeretur. Tamen habita concione à Ministris, precibusq; usitatis uespertino tempore adhibitis, uiri ea nocte discesserunt, ut maius incommodum ac periculum uitarent. Postero die manè, copiæ pedestres infesto animo propius accesserũt ad eum locum ubi mulieres à uiris relictæ erant. Aliqui tamen eorum qui in Minerij castris erant, beneuolentia in eos aut misericordia aliqua permoti, ab exercitu præcedentes, eum in locum properarunt, ut eos, qui ibi erant, de infesto hostium aduentu certiores facerent, quos quidem omnes offenderunt, unanimiter orantes, post consuetam concionem, quæ manè habita fuerat. Porrò ut primùm exercitus eò uenit, omnia bona, quæ miseri homines salua ex prioribus rapinis inimicorum ac latrocinijs reseruarant, statim direptioni exposita fuerunt: mulieres ac puellæ expoliatæ, quædam uiolatæ, ac uerberibus cæsæ, atq; omni cum contumelia petulantiaq; tractatæ: aliæ uerò uenditæ, atq; omnibus opprobrijs iniurijsq; expositæ, harum erant circiter quingentæ. Interea Minerius uia, quam uocant, regia Cadeneti, cum equitatu Merindoliũ contendebat, per mediam Laurensem syluã. Quò quum esset peruentũ, præses quendã nactus adolescentem, iussit eum alligari ad oleam, globulisq; tormentorũ missilibus, crudelẽ in modũ à suis confodi & confici. Hoc in supplicio & martyrio, iuuenis oculos semper suos habebat in cœlũ erectos & intentos, cum maximo clamore piæ inuocationis indice. Vltima eius uox hæc fuisse dicitur, Dñe Deus, isti quidẽ homines uitam mihi ærumnosam miseramq; eripiunt: sed tu per Iesum filiũ tuũ uitã mihi tribues sempiternã. Merindolium igitur sine ulla repugnãtia captũ ac direptũ fuit & incensum, ac per fossores belli asseclas solo æquatũ. Vastato igitur Merindolio, postea uicesima die Aprilis eodẽ anno, Cabrierã omnib. uirib. obsederunt, quã cùm uehementer machinis bombardisq; oppugnassent, neq; possent expugnare: Minerius cum dño ipsius Cabrieræ & Polino earũ copiarũ duce, interposita fide promiserunt, se curatoros, ut eorum causa in iudicium ciuile, ab omni armorũ uiolentia uocaretur, neq; ulla eis uis & iniuria adferretur, si portas oppidi uellent aperire. Ea fide data propugnatores statim portas aperuerunt, Polinumq; & Dopedã cũ exercitu receperũt. Sed homines nõ minore perfidia, q; animi sæuitia præditi, cùm ingressi in id fuissent, oẽm fidẽ fefellerunt aç uiolarunt, Dopeda quidem uiginti-

Auulsio miserãda.

Merindolium funditus destruitur.

Cabriera x quadragesima

uigintiquinque ex ijs quos selegerat, comprehendi iussit, uinctosq; extra urbem in pratum quoddam deduci suburbanum, ubi milites eos crudelissime omnes contrucidarunt. Ac ne quid sceleris aut crudelitatis intentatum relinqueret, in sexu quoq; muliebri experiri uoluit. mulieres etenim quadraginta, quarum quædam erant grauidæ, comprehendi iussit, easq; in horreum includi: deinde quatuor ex angulis ignem subijci. Ac cùm iam flamma inualuisset & horrendum in modum clamores undiq; exaudirentur, tantum abest ut hostis ulla misericordia tactus fuerit, ut etiam mulieres quæ semiustulatæ ab incendio sese proripere conabantur, contis hastisq; militū undiq; propellerentur, atq; in ignem adigerentur. id quod factum est die Aprilis uicesimo. Complures etiam reperti sunt in caueis, qui bini uinculis constricti, in aulam arcis Cabrierensis ducti fuerunt, ubi acerba & indigna cæde, militibus ludibria fuerunt. Postremò ductores lenonum latronumq; Auenionensium templum ingressi, & maximum mulierum, infantium, puerorumq; numerum nacti, nullū crudelitatis genus prætermiserunt, nullique sexui aut ætati pepercerunt. Reliqui uerò, qui eodem tempore aut deinceps, uario mortis genere interierunt, circiter mille numero fuerunt: in quos quidem omnes, sine ullo discrimine ętatis, sexusq; infesta inimicorum libido grassata est, uel potius summa cum petulantia debacchata. Ad monumentum autem tam præclaræ rei gestæ partæq; uictoriæ, administri Papæ columnam Cabrieræ erigendam curauerūt, in qua dies & annus oppidi capti ac direpti, per Ioannem Minerium Dopedæ dominum, Curiæ Prouinciæ primum præsidem, incisis literis notatus fuit, ad memoriam tam fœdæ atq; horrendæ immanitatis, non solùm nouæ ac inusitatæ, sed etiam inauditæ. Interea ij, qui paulò antè è Merindolio secesserant, locisq; in circuitu uicinis per montes ac rupes, in summa inopia & rerum omnium ad uictum pertinentiū destitutione uagi, aut abditi uersabantur: qui quidem ante eam calamitatem importatam, priusquam inimici eò sceleris furorisq; progressi, à præside per homines apud eum aliquam gratiam authoritatemq; habentes contenderant, ut ipsis iter pacatum & tutum daret, quò recipere eò se possent cum uxoribus ac liberis, quò Dominus ipsos uellet conducere, solum indusium habentes, quo carnem suam aliquo modo contegerent. At præses amicis suis ita respondit, Ego, inquit, scio quid mihi agendum sit. Ne unus quidem meas effugiet manus, ego mittam eos in regionem inferorum, ut ibi cum diabolis habitent. His alijsq; minacibus atrocibusq; utens uerbis, quibus duces exercitus præsentes, ad omnem acerbitatem & sæuitiam incitabat, eosdē fortis ille imperator hortabatur ut omnia oppida, domos, locaque aperta, infirma & iam diruta, hostiliter inuaderent, diriperent, uastarent, in quib. ne minima quidem ad resistendum uis aderat. Sed egregius sanè uir, qui à iudicio & foro ad bellum atq; imperium, toto animi impetu se contulerat, quanta esset sua potentia, uel potius naturę ferocia & immanitas in hominum innocentiū, Deumque piè colentium imbecillitate inopiaque experiri uoluit. nam eadē crudelitas ac uastitas, & ab istis oppidis & pagis in Costam oppidum, quasi tempestas quædam sæuissima & calamitosissima delata est. Eius oppidi dominus ciuibus anteà suaserat ut omnia arma in arcem conferrent, & murum etiā aliqua parte diruerent, ut in eos præsidio destitutos, clementius hostis ageret. Quum uerò ipse Costa discessisset, non longè progressus, obuios habuit Minerij milites, rectà in urbem tendentes. nihil tamen primo impetu effecerunt: postero tamen die, incensis circùm ædificijs suburbanis, urbem crudelius oppugnantes, ui capiunt: plæriq; enim superiori nocte, deserta urbe profugerāt delapsi funibus. Capta urbe ac direpta, post stragem editam excurrunt milites in locum castro proximū, ubi mulieres ac puellas quæ trepidantes eò confugerant promiscuè constuprant: & quum aliquandiu detinuissent, adeò inhu

Crudelitas plusquam Scythica.

Tropheum Dopedæ.

Merindolanorum postulata.

Costa ui expugnata.

man iter

maniter tractarunt, ut eæ quæ gerebant uterum, & natu minores puellæ non multò pòst extinguerentur. Sanè impossibile esset omnes acerbos ac luctuosos exitus euentusq; susceptæ tam crudelis persecutionis in Merindolios ac socios enarrare, adeò nullum sæuitiæ genus prætermissum fuit: ac qui euaserant perq; syluas & rupes oberrabant, intercepti, uel ad triremes mittebantur, uel confodiebātur: multi qui speluncas ingressi sub rupibus latitabant, alij ine dia, alij iniecto igne enecati ac fumo suffocati fuerunt. quæ quidem amplius cognosci possent ex forensibus actis, aduersarijsq; orationibus in primariæ classis Curię Parisiensis auditorio, apertis ualuis magnaq; hominum frequentia habitis, à duobus celeberrimis & frontis prorsus panegyricę Causidicis, altero quidem cui Aubrio cognomen erat, Minerių præsidem in uincula coniectum accusante: altero uerò qui Robertus nominabatur, defendente. Hæc uerò omnia iussu atq; authoritate Henrici II. Galliarū Regis ea potissimùm gratia Lutetię, ueluti in summo totius regni theatro geri dicebant, ut patrē Francisco rē, cui successerat, ab ea crudelitatis nota uindicaret, quę multorū Principum animos offenderat, ut ipse Carolus V. imperator in publicis omniū ordinum Germaniæ comitijs eum perstrinxisse dicatur, quod subditum populum nulla sexus aut ætatis ratione habita integrum uastasset. Hæc uerò causa quum quinquaginta plus minus audientijs ultrò & citro habitis peragi non posset, in fumum Palatinum abijt, tandemque Minerius uinculis solutus, in integrum restitutus fuit ea conditione ac fide data Carolo Lotharingo Cardinali, ut nouos istos Christianos (sic enim appellant ueritatis Euangelicæ studiosos) tota Prouincia expelleret. Reuersus itaq; in Prouinciā maiora quàm antè crudelitatis specimina dedit: neq; prius extrema quæq; in homines innocentes tentare destitit quàm morbo correptus horrendas pœnas admirabili Dei iudicio Dedit. Etenim inusitata per posticam corporis partem sanguinis emissione, ac graui ἰσχιάδι paulatim illi inguina computruerunt. Ac quum nullum morbo remedium inueniretur, & iam intestina uermibus arroderentur, accersitus fuit clari nominis Chirurgus natione Gallus, qui Arelate cōmorabatur cognomine La Motte uir non minus pietate quàm arte insignis, qui quum ἰσχιάδος molestia Minerium leuasset, ac iam plurimùm authoritatis apud eum conciliasset: antequàm alias putidi cadaueris partes attingeret ut penitius exquireret morbi causas, petijt ut qui Minerio in cubiculo aderant, paulùm secederent. Illis semotis cœpit pluribus Minerium hortari, iam tempus esse ut ob tam horrenda scelera, maximè uerò ob innocentem sanguinem manibus ipsius effusum, ueniam à Deo per Christum poscere: eam demùm esse causam inusitatæ profusionis sanguinis quem emittebat. Hæc sanè adeò impuram hominis conscientiam pupugerunt ut morbo grauiorem molestam tulerit. Adeste, inclamat, comprehēdatur Chirurgus hæreticus. Lamotteus, has monitiones tyranno dictas quauis mercede potiores existimās, protinus Arelatem se recepit. Reuocatus tamen precibus ac præsidio ab amicis fide obfirmato Lamotteus ad Minerium redijt, quum iam omnia conclamata essent, & crudeles ac horrendas uoces impuro ore animam agens emitteret. Vt certò cognoscamus Deum huiusmodi piorum persecutores, suo tempore, potenti brachio confundere, & ad nihilum redigere, cui laus & gloria in perpetuum.

Minerij horrēdus exitus.

Si quis plura de hac historia scire desideret legat lib. 15. Iohannis Sleidani de statu Religionis.

Petrus Clericus, Steffanus Manginus, Iacobus Bauchobecus, Ioãnes Briſelanus, Henricus Hutinus, Thomas Honoratus, Ioannes Baudouinus, Ioannes Fleſchus, Ioannes Biquerius, Petrus Piquerius, Ioannes Mateſlonus, Philippus Paruus, Michael Cailous & Franciſcus Clericus ob Euangelij doctrinam Meldis uiui exuſti, Anno

1546.

Meldæ Euangelio illuſtratæ.

INter multas regni Galliæ urbes, quibus gratia cœleſtis per uerbum Dei communicata atque impertita fuit, oppidum Meldenſe primo loco numerandum eſt, quod in Bria poſitum ad Matronam fluuium, milliaria decem Lutetia abeſt. nam perpaucæ reperientur ciuitates ſub pontificiorum dominatu, in quibus ueritas uerbi Dei tanta fide annunciata, tanto ſtudio ardoreq; recepta, tanto aucta incremento, ac ſubitò amplificata, tanta conſtantia defenſa & conſeruata fuerit. Ratio autem qua Dominus hanc urbem illuminauit, quæ nullo ferè alio hominum genere, quàm opificum ac mechanicorum frequentatur, huiuſmodi eſt: Gulielmus Briconnetus eius urbis fuit epiſcopus, homo optimis literis eruditus, ac tum quidem admirabili quodã ſtudio ueritatis tum cognoſcendæ, tum etiam alijs declarandæ inflammatus. Is initiò epiſcopatus, cùm eccleſias diœceſis ſuæ adiret, atq; ut uerus paſtor, inſpectorem ageret, reperit populum cognitione Dei planè deſtitutum, eumq; à Franciſcanis cæterisq; manticarijs mendicis ea ſolùm doceri, quæ ad cœnobium illorum, ac uentrem explendum pertinerent. Itaque Epiſcopus eorum impoſturis ac fallacijs intellectis, ſanctiſsimo animi ſtudio permotus, eis in uniuerſa diœceſi ſua prædicationem interdixit, atque in eorum locum uiros alios uocauit, ſumma cum uitæ probitate tũ etiam pietatis doctrina atq; intelligentia probatiſsimos. In quib. fuit Iacobus Faber Stapulẽſis, Michael Aradẽſis, Martialis, Gerardus Rufus, quorũ cũ fide & diligentia, tũ etiã ſingulari ſtudio feruoreq; Epiſcopi (qui ipſe tum ueritatem Dei annuntiabat, nullíq; parcebat ſumptui, quo libri ad eam rem utiles parari poſſent) cognitio Euangelij longè lateq; cœpit propagari, & præclara huius tanti boni & ſolatij à Deo profecti fama per totam Galliam diffundi: quibuſdam in ſuauem uitæ odorem, alijs uerò contrà in offenſionem. Tamen hoc ſemen Euangelij ea in eccleſia iactum, quotidie magis efflorescebat, atque ad electorum conſolationem, ſalutem q; maximum fructum afferebat, donec ſathan, princeps tenebrarum, & ſalutaris huius lucis inimiciſsimus, cùm uideret ruinam regni ſui inſtare, uſitata ſua incitauit mancipia, ipſos nempe Franciſcanos, qui epiſcopum Briconnetum in iudicium & crimen hæreſeos ad ſummam Curiam uocauerunt: cum quibus Sorbonici doctores cæteriq; ueritatis inimici ſe facilè coniunxerunt. Primùm igitur ſathan his utens inſtrumentis, facilè Epiſcopi fidem expugnauit, eumq; ad defectionem adduxit. deinde cæteros maiore ui aggreſſus eſt, quos in fide firmiores & conſtantiores inuenit: horum quidã fuerunt combuſti: quo in numero fuit Iacobus Pauanius, cuius mentio antea facta, qui quidem tanto animi ardore & ſtudio ueritatem docere cœpit, ut primus Lutetiæ crematus fuerit, nomine eius potiſsimùm doctrinę quam de Cœna pauci tum cognouerant. Alij uerberibus cæſi, aut in theatro cum ignominia conſtituti, aut miſsi in exilium, atque ipſo ex regno profligati. Denique hoſtes Euangelij nunquam deſtiterunt, quoad libertas ueritatis publicandæ erepta, eaq; lux & cognitio ſalutaris, quæ paulo antè erat exorta, planè oppreſſa extincta q; fuerit. Nam Franciſcani quidem, cùm conciones maximis ſtudijs, ambitioſisq; rationibus ſolitas recuperaſſent, ſua uſitata mendacia cœperunt iterum populo obtrudere. Neque tamen cùm omnia maximè quidem conarentur, id ſunt aſſequuti, ut cognitionem ueritatis in multorum cordibus infixam impreſſamq; euellerent, aut eam planè delerẽt. Nam pij homines,

Fr̃aciſcanis interdicta concio.

Bricõnetus ab Euangelio deficit.

mines, in quorum animis timor Dei cum illa cognitione insederat, cùm uiderent ueritatem publicis ex locis profligatam, una cum libertate Dei purè inuocandi, cœperũt conuentus inter se occultos habere, exemplo Prophetarum, qui sub Achab extiterunt, & eorum Christianorum, qui in ecclesia primùm nascente, proprer horribiles persecutiones huiusmodi loca secreta ad orandũ opportuna quæsiuerunt. Ita isti homines Deum reuerentes, ut opportunitas facultasq; eis dabatur, modò aliquam in domum, modò in reductam uallem aut speluncam, interdum in dumetis aut syluis conueniebant. Eo in conuentu ac cœtu is qui in Scriptura sancta maximè omnium uersatus atq; exercitatus uidebatur, uerbo Dei alios consolabatur, docebat, hortabatur: eoq; mune re perfecto, omnes unanimiter ardenterq; Deum comprecabantur: alentes perpetuò ac fouentes eam spem, quòd ipsa Gallia breui reciperet Euangelium, neque diutius Antichristi dominatum perferret. Postremò, cùm post longam expectationem uiderent tantum abesse ut religio repurgaretur ab in quinamentis, ut fœditas superstitionum atq; omnium abominationum à Papa in Ecclesiam introducta, magis in dies magisq; augeretur & confirmaretur: plerique eorum qui spiritu erant feruentiore, & qui à primo doctrinæ receptæ tempore, se puros atq; impollutos ab omni Missarum idololatria conseruarant, anno M. D. XLVI. deliberarunt certam inter se piæ ecclesiolæ formam instituere. Ad id autem faciendum, imprimis fuerunt permoti exemplo ecclesiæ Gallicanæ quæ tum Argentinæ præclarè instituta, apud omnes fama religionis celebrabatur, & quam quidam ex ipsis adierant, ac diligenter inspexerant. Præcipui authores totius eius negotij ac moderatores erant, Stephanus Manginus, uir sanè bonus, grandisq; natu, & Petrus Clericus, arte sua ac professione carminarius: sed in sacris literis apprimè exercitatus, eo quidem genere sermonis, qui Gallorum proprius est. Hi cum alijs quibusdam quadraginta aut quinquaginta consilium ceperunt, ministri alicuius ex ipsis eligendi, qui eis uerbum Dei annuntiaret, & Sacramẽta administraret. Quod quidem ab illis non temerè leuiterq; factum est: nam cùm uno eodemq; animo aliquot dies ieiunijs precibusq; impendissent, Petrus Clericus summo omnium consensu minister electus est. qui munus susceptum diligentissimè obire cœpit, eosq; in domum Mangini diebus Dominicis festisq; colligere. Eo in conuentu exponebat eis Scripturam, pro ea gratia & facultate quæ ei à Deo tributa erat. ibi omnes unà preces atque orationes ad Deum adhibebant, Psalmos canebant & cantica spiritualia. Ibi posteaquam testificati essent se nunquam Papisticis idololatrijs adhæsuros, sacram Cœnam semel aut bis celebrarunt, ut à Christo Domino est instituta. Itaque hæc parua ecclesia, exiguo temporis spatio huiusmodi fecit incrementum, ut trecenti aut quadringenti reperirentur, tum uiri tum mulieres ac cuiusque ætatis homines, qui eò confluebant: non ex urbe modò, sed etiam ex pagis quinque aut sex milliaribus in circuitu. quæ fuit causa ut statim detecti atque obseruati per quosdam homines improbos fuerint. Ea de re admoniti quidem fuerunt ab amicis quibusdam & beneuolis hominibus, ut ab insidijs, quæ eis parabantur sibi cauerent. uerùm hi responderunt: Etiam capillos capitis sui numeratos esse, atque id futurum quod Domino placeret. Octauo igitur die Septembris, anno M. D. XLVI. quem diem natalitijs uirginis Mariæ celebrandis consecrarunt, hora septima matutina accessit quidam delator ad magistratum, eos cœpisse iam congregari. Eo nuntio allato, magistratus eius urbis, & præpositus cum suis satellitibus atque ministris, simul etiam is qui tota in regione latronibus comprehendendis puniendisq; præfectus est, magna satellitum caterua stipatus, ad domum ipsius Mangini accesserunt. Petrus Clericus, tum exponebat eo

Ecclesiola Meldis instituta.

Verus Cœnæ usus.

1546

in cœtu locum quendam primæ epistolæ Pauli ad Corinthios. Satellites cœnaculum ingressi, in quo omnes congregati erant, aliquandiu quasi attoniti summo cum silentio constiterunt. Tandem Quæsitor rogauit, quid agerent ibi tot homines, qui suas parœcias non adirent. Id quidem quod ipse uides, inquit Clericus, sed æquo animo expecta, quoad nos ista absoluamus. Tum cæteri è magistratu, Eundum uerò, inquiunt, est in carcerem. Eamus, inquit ille, si ita Domino uisum est. Et simul se ligari constringiq; passus est, eandemq; manſuetudinẽ cæteri omnes, tum homines tum mulieres, numero sexaginta duo, sunt imitati. In his puella erat, quæ propter ætatem intelligere nondum poterat, qua odij magnitudine ueritas uerbi Dei premeretur. ea cùm se propterea duci ab illis uideret uinctam, quòd in cœtu & cõuentu tam sancto honestoq; deprehensa esset, dixit magistratui, Si uos me in lupanari deprehendissetis, aut in loco pudendo, nunquã me his uinculis constringendam curassetis. At magistratus imposito ei pro authoritate sua silentio, totam multitudinem in urbis carcerem duci iussit. Res digna admiratione uisa est, cùm tot homines in utroq; sexu, à tam paucis summa uolũtate ac manſuetudine ducerentur. Nam si aliquam resistendi uoluntatem declarassent, facilè à parentibus & propinquis, qui in ea urbe erant, liberari potuissent: sed tantum aberat, ut hi uim aliquam aut rebellionem cogitarent, ut contrà læti atq; hilares, per uicos urbis irent Psalmos canentes, in quibus præcipuè LXXIX, Deus, uenerunt gentes, elatis uocibus canebatur. His in carcerem inclusis, cœptum est inquiri in eorum sabbatha & conuenticula, ita enim inuidiosè ac criminosè sanctissimum eorum cœtum appellabant. Inter alia crimina, hoc ipsorum iudicio grauissimum obijciebat, quòd Cœnam Domini facere ausi fuissent. Qua in re, quid opus est quærere, quantoperè ordo monachorũ ac sacerdotum hoc uno uerbo fuerit offensus & irritatus, quum uiderent suam existimationem aboleri, atq; authoritatem, quam tandiu tamq; studiosè inuiolatum conseruassent, delabi in manus imperitorum: opimumq; sacrificium, non tam ad memoriam Christi celebrandam, quàm ad culinam uentris colendam tuendamq; comparatum, iam in fumum euanescere? Postquam omnia, quæ ad causam innocentiamq; eorum premendam pertinebant, diligenter essent expiscati, curribus uinctos imposuerunt nullo superiecto stramine, in quo possent aliquo modo quiescere: atq; ita sine ulla itineris intermissione ac remissione Lutetiam summa celeritate portandos curauerunt. Ac tametsi plerique eorum iam ætate ac laboribus confecti, ipsaq; itineris contentione currusq; agitatione fracti essent, non tamen destiterunt in uia sese mutuò adhortari atq; consolari: ac cùm Parisiensem urbem ingressi essent Psalmos canere dum ad Palatinum carcerem peruenirent, quo excepti nouis tormentis miserè diuexati sunt. Ea autem non leuia, remissaq; extiterunt, sed acerrima maximeq; exquisita, præsertim in reos quatuordecim, qui à summa curia Parisiensi capitis damnati fuerunt, sicut satis constat ex ea iudicum sententia, quæ deinde Lutetiæ ad perpetuã rei memoriam publicata fuit. Id quidem arestum summam iudicij acerbitatẽ complectitur, præsertim in quatuordecim uiros, qui, ut firmissimi in confessione fidei piæq; doctrinæ, ita etiam grauissimè omnium accusati. Hi autem fuerunt, Petrus Clericus, Stephanus Manginus, Iacobus Buchebecus, Ioannes Brisebarus, Henricus Hutinotus, Thomas Honoratus, Ioannes Baudouinus, Ioannes Fleschus, Ioannes Piquerius, Petrus Piquerius, Ioannes Mateflonus, Philippus paruus, Michael Caillous, & Franciscus Clericus, qui omnes fuerunt condemnati ut crate ad locum supplicij pertracti, uiui cremarentur apud magnum forum Meldense, loco Mangini ædibus propinquo. In reliquos, qui in doctrina pietatis suscepta minus firmi & constantes extiterunt, pœna non ita acerba,

Spectaculũ angelis & hominibus admirandum.

Meldenses Lutetiã abducti.

Nomina xiiij. exustorum.

acerba, ea tamen uaria constituta fuit, atq; in utrunq; sexum peruagata. Nam alij fuerunt cæsi uirgis atque in exilium missi, alij uerò eorum *XIIII*, quos supra nominauimus, acerbissimæ mortis spectatores, summa cum ignominia constituti, in quibus etiam unus sub axillis suspensus, laqueum habens collo ligatum, grauissimum illorum casum intueri iussus est. Mulieres uerò quædam iunt condemnatę, ut supplicium in uiros constituendum, ignominiosè spectarent. Deniq; ab eadem Curia decretum fuit & constitutum, ut domus ipsius Mangini, in quam illi conuenire soliti esse dicebantur, ad sempiternam memoriam tanti sceleris, ut ipsi iudicabant, solo planè æquaretur, eoq; in loco sacellum extrueretur, in quo Missa singulis diebus Iouis celebraretur: cui prouentus necessarij suppeditarentur ex eorum bonis ac fortunis, quibus omnia cum uita crudelissimè eriperent. Hæc sunt illa præclara Areopagiticæ Curiæ Parisiensis monimenta, quæ quàm sint iniqua, etiam qui aliquid habet sani iudicij, facile iudicare poterit. Sed uideamus quemadmodum hæc res ab illis ita decreta & constituta, postmodum administrata fuerit. hac sententia à Consiliarijs eius cameræ pronuntiata, Sathan non contentus innocentum sanguine, uidens nihil planè factum esse, quod regno prodesset suo, sed potius se uictum & confusum, sibi constantes in confessione susceptæ ueritatis permanerent, eos omnibus rationibus à proposita, sententia abducere, eorumq; constantiam inflectere conatus est, cùm nulla ui eam posset infringere. Itaq; omnium malorum author ac fabricator Petrus Lisetus primus tum Curiæ præses reliquis Senatoribus iudicibus persuadere conabatur, ut quatuordecim, qui capitis erant damnati, per monasteria separarentur alij ab alijs, atq; ita seorsim singulorum fides & constãtia perspiceretur. sed cùm omnia experti uiderent infractos esse, neq; eos posse ullo modo à suscepta sententia deduci, tandem Aegidio Bertheloto, qui latrunculatoris tum officio fungebatur, Meldas ad supplicium reducendos tradiderunt, quatuordecimq; illos seorsim in currum imposuerunt. Vt autem eos omni molestia afficerent, ac priuarent consolatione, duo Sorbonici doctores, Maillardus & Picartus, mulis insidentes, currus eorum obequitabant, qui non desinebant odiosissimis latratibus aures illorum obtundere, ut à ueritate abducerent: adeò ut Petrus Clericus indignatione commotus Picarto dixerit, Recede à nobis sathan, neque impedias quò minus memoria recolamus Dei nostri erga nos beneficia. Interea cùm hoc iter omnium molestiarum plenũ conficeretur, res diuinitus accidit planè memoranda, quæ miseros homines, omnibus tum animi tum corporis laboribus affectos, & quasi uiribus exhaustos erexit & confirmauit. nam cùm transirent per syluam Liurensem, quæ ab urbe Lutetia tribus milliaribus abest, obuiam eis prodijt è pago proximo, qui Couberon appellatur, quidam telæ texendæ artifex, qui currus sequens, eos ad confessionem ueritatis retinendam hortari cœpit, Bono inquiens, & forti sitis animo, fratres mei atq; amici, neq; fatigemini, ut testimonium, quod uos debetis Euangelio, constanter detis. Quoniam autem currus summa celeritate ferebantur, ut ab ijs qui præcedebant, non facilè posset exaudiri, sublata in cœlum manu exclamauit, Fratres, sitis memores eius, qui suprà in cœlo est. Tum satellites, cæteriq; administri, qui Latrunculatorem sequebantur, arbitrati illum esse Lutheranum, nulla inquisitione habita constrinxerunt, atque ita uinctum in currum in quo quatuordecim uincti erant conijciunt. Hæ sunt uiæ Domini admirabiles ac nullis cognitæ, nisi ijs qui eius uoluntatem & prouidentiam experiuntur, quibus ipse infirmitatem suorum in maximis ærumnis consolari solet. nam hic homo eo animi zelo ac recenti ardore diuinitus in ipso itinere oblatus non modò eorum uires refecit, sed etiam noua promissionum Dei prædicatione animum reddi-

Barbara sæuities in ædificia

Maillardus & Picartus, Achilles Pontificij.

Exhortatio Christiana rustici hominis.

dit, confirmauit, ac planè instaurauit, quod sanè quidam ex ipsis confessi sunt, inexpectato eius hominis aduentu atq; occursu, quasi Angeli è cœlo missi nouas collegisse uires: & qui mœrore tacebãt oppressi, caput tum erigere ac gaudere in Spiritu sancto cœpisse. adeò hic homo mechanicus, prodiens è solitudine syluestri, eos ad causam Domini nostri Iesu Christi tuendam animauit. Paulò post ad pagum Liurium nominatum peruenerunt, ubi populus ex locis undiq; propinquis, ad uiam qua ducebantur, effusus hominem eum qui se obtulerat, facilè agnouit. Quidam etiam ex illis Lutheranum eum esse clamauerũt, supplicium q; ignis magis meritum, quàm eos quibus tum additus fuisset, id quod Latrunculatorem atque eius satellites commouit, ut arctius eum constringerent. Consimilis huic historia memoratur in primitiua Ecclesia, de quodam Martyre, qui summa uoluntate se obtulit ad mortem cum ijs, quos ad pœnam mortis duci uiderat, & quoniam ille homo incognitus fuisset, Adauctus est appellatus, quod numerum sanctissimorum Martyrum testium q; Iesu Christi adauxisset. Cùm peruenissent Meldas, in carcerem omnes inclusi sunt: ac tum quærere tormẽtis extraordinarijs, ut uocãt, cœperunt: præsertim in illos *xiiii.* ad accusandũ eos qui eandem doctrinam fouerent, quorum tamen nullus eorum ore accusatus aut nominatus fuit. In ea quæstione, cùm crudelem in modum tortores membra eorum distraherent, ac tantum nõ dilacerarent, quidam ex ipsis animo confirmatior, carnificibus clamasse dicitur, hortatus q; fuisse, ne misero corpori parcerent, quòd tantoperè spiritui uolũtati q; Creatoris sui restitissent. Postero die quo erant supplicio afficiendi, disputationem cum ijs doctores theologi renouarunt, præcipuè de sacramento Cœnæ Domini. Sed Picartus & cæteri, incerti quid dicerent, planè obmutescebant cùm Clericus quæreret ab eis, in quo fundata esset ipsorum transubstantiatio, & an cùm panem ederent aut uinum biberẽt, aliquem carnis sanguinisue gustum perciperent. Postremo hæc illis conditio oblata est, ut qui uellent in aurem sacerdotis insusurrare, quod illis est peccata confiteri, ij aliquid gratiæ obtinerent, nec linguæ eis præciderentur. Itaque ex *xiiii.* quos suprà nominauimus, septem eam conditionem acceperunt, aut quòd id non magni momenti esse arbitrarentur, aut q; eo pacto beneficium uocis redimere se posse existimarent. id q; maximo dolore cęterorum, qui nullis nec minis nec promissis flecti, à sententia q; deduci unquam potuerunt. Hora autem post meridiem secũda, quæ supplicio dicta erat, cùm è carcere educerentur, carnifex linguam primùm à Stephano Mangino postulauit, quam ille præbuit libenter atq; exeruit: qua præcisa, sanguinem euomens, loquutus est, ita ut satis intelligeretur, huiusmodi uerbis ter precatus, Sit nomen Dei benedictum. mox q; super cratem tractus fuit, quemadmodum & Clericus: cęteri uerò plaustro impositi deportabantur. quos quidem ij qui non fuerant damnati capitis, proximi pedibus sequebantur usq; ad forum magnum. Quo in loco quatuordecim patibula forma circulari erecta erant, atq; è regione domus Mangini posita. Et aliud patibulum separatum ab alijs ac paulò longius remotum, in quo sub axillis suspendendus erat adolescẽs, Michael Piquerius nominatus, quem propter æstatem quò minus cremarent, pudore impediebantur. Tum uerò carnifices, eos non secus atq; agnus sacrificio destinatos alligarunt. Quoniam autem ij quibus lingua erat præcisa, etiam blæsa uoce Dñm inuocare non desinebant: cæteri uerò qui linguę beneficio fruebantur Psalmos canebant. Sacrificuli & monachi qui ibi aderãt quasi amentes furore q; correpti decantare ipsi quoq; cœperũt, O salutaris hostia: deinde, Salue regina, aliasq; huiusmodi blasphemias neq; antè nefarium hunc & insanum cantum intermiserunt, q; sanctissimæ hostiæ in suauissimum odorem igne consumptæ fuerunt. Porrò sequenti die aduersarij,

Virtus humana superior.

Maginus præfecta lingua lotus.

uersarij, quasi rem suã benè gessissent, ac ueritatẽ uictam captiuamq; in triumphum ducerent, magnificã instituerunt pompã in qua panaceũ illud suũ idolũ circunferebant, innumerabilib. tædis cereisq; medio die accensis comitatũ. Quũ aũt uenissent ad supplicij locũ, in quo adhuc ignis ardebat, idolũ ibi suũ collocarunt. Tũ Picartus in medio foro suggestũ ascendit obtectũ conopeo seu integumento aureo quo splendidius & sine ulla molestia delicati hominis caput à solis radijs obtegeret. Ibi theologus iste insignis cœpit pro suo more in eos, qui supplicio affecti erãt, debacchari, & quod splendida bilis dictabat, planè affirmare, necessariũ esse ad salutem credere q; illi usq; in profundũ infernum damnati essent, Angelũq;, si de cœlo ueniens secus diceret, reijciendũ esse, imò uerò Deũ ipsum nõ fore Deũ, nisi eos in perpetuũ damnaret. Veruntñ uxores eorũ qui cõbusti fuerant, ad eam de maritis existimationẽ adduci nunquã potuerũt, etiã cùm è carcere dimitterent. Hoc enim responso potius contrà pugnabant, q; eo toto uitæ tẽpore, quo cũ illis uixerant, eorũ summã integritatẽ in timore Dei ac uera pietate perspexissent, quę potius uitæ ęternæ comes esse solet. Horũ aũt hausto sanguine inimici nõ contenti atq; exatiati, omne suũ studiũ & conatũ eo contulerũt, ut gregẽ Dñi dissiparent, occiderent, ac planè delerent. Itaq; multi ex illis magnitudine & sæuitia eius persecutionis, p fugi se ad urbes tum propinquas, tũ remotas contulerũt. Quæ Ecclesię dispersio ac dissipatio, nõ sine magno Euãgelij incremento facta est. Nã unusquisq; suũ officiũ & studiũ præstabat, ut oblata occasione ad confessionẽ ac testificationẽ ueritatis uteret, quemadmodũ Faronus Mãginus, uir maximo spiritus ardore, Aureliæ alijsq; in locis faciebat: sic Petrus Bompanius uocatus, se gerebat Aubigniaci, qui paulò pòst Lutetiæ combustus ex. Hæc ex lib. 6, Ludouici Rabi Germanico in Latinam linguam conuersa sunt.

Supplicatio ad puluinaria deorum.

Vtilitatis ex dissipatione fidelium.

FRANCISCVS SAN ROMANVS, HISPANVS. Burgis in Hispania uiuus exustus Anno 1542.

QVanquã Hispani prę ter cæteras Europę totius gentes, papisticis superstitionib. supra modum addicti fuerint, adeò ut è Romanis unus aliqñ dixerit, Germaniã atq; Angliã se quidẽ amisisse, Hispaniã uelut unicã filiam castam & intactã uirginẽ adhuc retinere: Dominus tamen nationẽ etiam istam respexit, suæq; bonitatis ac misericordiæ testimoniũ locuples edidit in sanguine Martyrũ ibi pro ueritate asserenda profuso. Fuit aũt inter alios quos in Hispania Christus habuit Martyres Franciscus San Romanus natus Burgi oppido in Castilia Hispaniarũ, ortus parentib. uitæ honestate claris, sed omni idololatria & superstitione, ut ea tempora & loca requirebant, adeò delibutus, ut ipsius conuersio maiori admiratione digna esse uideatur. Anno *M.D.XI*, quidã mercatores Bremenses, cũ stato die ad nundinas Antuerpianas nõ uenissent persoluturi certã pecuniarũ summã, quam mercatorib. Hispanis debebant, ui sum fuit ijs aliquẽ Bremã Ostlandiæ oppidũ mittere, qui nũmos à debitorib. exigeret, nec uerò ad obeundũ negotiũ prõptior nec magis idoneus quisquã inuentus est, q; Frãciscus iste cui mercatores Bremenses noti erãt. Is igitur cũ altero quodã Hispano, qui idem in mandatis habebat, Bremã proficiscuntur. Bremæ cũ essent, pro more solito templũ adeunt eo ipso tẽpore quo M. Iacobus concionabat, qui olim Antuerpiæ Prior Augustinensiũ fuerat, uir certè pietate & doctrina insignis. quãuis aũt San Romanus nõ exactè linguã Germanicã teneret, magna tñ animi attẽtione concionẽ auscultauit, curiosè scire cupiẽs quę nã illa esset Germanorũ doctrina, à qua tãtopere abhorrerẽt Hispani. Dñs aũt miris modis istũ hominẽ affecit. nec enim solũ cõcionẽ ipsam intellexit: sed cõcione absoluta, posthabitis negotijs ob quæ illuc uenerat, ad ministrũ accurrit: Minister uerò benignè illũ excepit, domũq; suã deduxit, ubi Frã-

ciscus concionem ipsius ad uerbum memoriter recitauit. Vera narramus, quę etiam homines fide digni ab ipso Bremensi ministro acceperunt. Atqui Franciscus tanto ueritatis studio flagrabat, posteaquã ea in concione primùm eam degustauit, ut nec disputandi nec percontandi de ea doctores, quo ampliorẽ cognitionem sibi compararet, finem faceret. Minister uerò ardens istud studium subitamq; hominis mutationem admiratus, monuit ut modestius paulò atq; prudentius se gereret, & simul ei scientiam salutis pedetentim instillauit: quam quidem tam auidè arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut totum triduum apud Pastorem hæserit. negocium quod cum Bremensibus habebat, socio committens. Ipse interea adeò studiose diligenterq; de pietatis doctrina cum pastore differebat, ut quæ illi proponebantur, cuncta memoriæ mandaret. In quo Pastor facilè perspexerat, istius conuersionem extraordinaria quadam & inusitata ratione accidisse. Nam quum communis hominum natura sit sensim in cognitione progredi: hic noster exiguo temporis spatio ac momento præcipuos religionis articulos perceperat: quotquot ibi reperit libros Gallicè aut Germanicè scriptos, diligenter perlegit: frequentes etiã sermones habuit cum pastore eius loci Magistro Iacobo, & capita doctrinæ enumerabat. deinde cum D. Machabæo, qui tum ibi erat, à quo se plurima didicisse postea professus est. Interea misit illinc ad Hispanos suos Antuerpiam prolixas literas, quibus Deo gratias agebat quòd ipsum ad ea loca perduxisset, ubi & cognitionem Christi Saluatoris sui & sacrarum literarum intelligentiam adeptus fuerat: quam certè multis laudibus ad cœlum efferrebat. Deplorabat insuper crudelitatem Hispaniarum, & cæcitatem suæ gentis quę nec oculos ad lucem Euangelij aperire, nec aures præbere Deo cunctos ad pœnitentiam uocanti dignaretur. ideoq; sibi in animo esse dicebat Antuerpiã redire, ut amicis quoq; gratiam diuinitus sibi datam impertiretur: deinde Hispaniam cogitare, ut parentes suos atq; totam ciuitatem Burgensem quæ Idololatri submersa esset Dei fretus auxilio ad ueritatis notitiam, Deiq; purum cultum pertraheret. Scripsit præterea unam atq; alteram epistolam ad Imperatorem Carolum v. quibus illi Reipublicæ Christianæ calamitates, Ecclesiæq; miserum statum explanabat: ipsum deinde Cæsarem hortabatur ut utriusque rationibus consuleret atq; prospiceret: nisi turpiter ingratus in Deum esse uelit, cuius beneficio ipse ea quæ hominum opinione sunt maxima, & monarchiam consecutus erat: officium enim Cæsaris esse tumultus Reip. Christianę componere: gloriam Dei in omnibus tueri: Hispaniam, aliasq; suo imperio subditas regiones, hominũ peruersis traditionibus deprauatas, ex uerbo Dei emendare atque corrigere. Confecit ad hæc ibidem Catechismum & nonnullos libellos Hispanicè, in quib. ueræ religionis articulos exponebat. Quæ quidem omnia, unius mensis spatio composuit, dum scilicet suarum literarum responsum ab Antuerpiẽsibus expectabat. Illi uerò ex literis re ut acciderat perspecta, blandis illum uerbis reuocarunt, dolis scilicet & arte Hispanica instructi, spem ei fecerunt, quæ scripserat, modò quam primùm ipse rediret, facilè & rectè curatum iri. Hac itaque spe ductus San Romanus Antuerpiam reuertitur. Hispani interea Antuerpiæ illi insidias struunt, & subdolè monachos subornant, qui istum aduenientem excipiant, ac de fide interrogent, ut nisi in singulis cõsentiret, interficiendum curarent, aut in dirum carcerem conijcerent, ubi uiuum in terram defossum lenta nece trucidarent. Miser ille, horum omnium ignarus, lætus spe sua Antuerpiã uenit, uixq; urbem ingressus erat, quũ illi qui studiose diẽ quo uenturus esset obseruabant, & monachi quos suborarant, in hominẽ ruunt, atq; ex equo demissum abducũt in domũ cuiusdã mercatoris. Franciscus aũt ardore quodã animi inflammatus, quũ se pręter opinionem

nem ac ſpem captum uideret, magis hoc facto efferbuit. Domũ quum uenis-
ſet ubi detinendus erat, monachi raptim manus & pedes ei loris conſtrinxe-
runt: ſarcinas eius aperuerunt, in quibus libros quoſdam Lutheri, Melanchto
nis & Oecolampadij repererunt, & nonnullas etiam imagines ad ignominiã
Papæ depictas. Tum monachi oculis ad ipſum conuerſis, Verè, inquiunt, ma-
gnus hic eſt Lutheranus. Ille non mediocriter ob inauditam eam iniuriã com
motus negauit ſe Lutheranum eſſe, ſed doctrinam filij Dei profiteri, quam ho
ſtili animo & capitali odio proſequerentur Papæ adminiſtri: cõtraq; ſe depra
uatam eorum religionẽ, ineptias uidelicet & nugas, quibus ſibi adeò placent,
prorſus deteſtari. Intererant his diſputationibus aliquot Hiſpani, qui mona-
chis fauebant. quæ res ſanè ipſis animum addidit, ut liberius in hunc fæuirent,
ſuiſq; cauillis hominem uexarent uehementius. Quum à noſtra, inquiunt, ab-
horreas religione, & te Chriſtianum dicas, quænam eſt tua religio? quę fides?
Iam, inquit, falſus ſum me tantummodò Chriſtum eumq; crucifixum prædica
re: mea fides eſt ea quam Chriſti Eccleſia per uniuerſum orbem diſperſa, om-
ni tempore confeſſa eſt, atq; inſtituit. Vos autem corrupiſtis & planè peruer-
tiſtis ſynceram doctrinam, qua nobis Ieſus Chriſtus crucifixus proponitur:
atq; aliud uitæ genus abominabile ſuſcepiſtis, ueſtraq; impietate magnã mun
di partem in extremas miſerias conieciſtis. Sed quò plenior meæ fidei conſtet
ratio, Credo in Deum Patrem, qui omnia creauit: Credo in Deum filium Ie-
ſum Chriſtum, qui ſuo ſanguine genus humanum redemit, dum illud è fauci-
bus inferorum & diaboli tyrannide eripiens, in Euangelij libertatem uindica
uit: Credo in Deum Spiritum ſanctum, qui occulta quadam & diuina uirtute
credentes ſanctificat. Credo propter Filium me gratuitò peccatorum omni-
um remiſsione potitum: Credo me ſolius Chriſti mediatoris beneficio, nullo
meo merito, nullaq; operum ſatisfactione, aut Papali indulgentia præmuni-
tum atque præfultum, uita æterna fruiturum. His dictis, Cucullati ſciſcitati
ſunt an crederet Pontificem Romanum, uicarium eſſe Chriſti, caput Eccleſiæ
in terra, qui omnes Eccleſiæ theſauros in poteſtate ſua habeat, penes quem ſit
arbitrium ligandi & ſoluendi quicquid libitum fuerit, cui etiam nouos articu
los facere, & eos quos nunc habemus abolere fas ſit. Franciſcus reſpondit, ſe
nihil eorum credere, ſed contrà affirmare Papam Antichriſtum eſſe, ſatum pa
tre diabolo, quippe qui ſit inimicus Ieſu Chriſti, ſibi uendicans diuinum cul-
tum, quiq̃ue œſtro patris Sathanæ percitus ſurſum deorſum omnia uerſat, &
ſacra prophanis miſcet ut fallacias ſuas tueatur, quibus uelut lupus rabie agita
tus gregem Chriſti diſsipat, ipſas denique oues Domini dilaniat & deuorat.
Ac tum primùm Hiſpani reuera blaſphemum iudicarunt. nam hactenus in
confeſsione fidei nihil à monachis diſſentire uidebatur, donec Papæ maieſta-
tem læderet, Miſſam & Purgatorium paruipenderet, bullas atque indulgen-
tias acriter inſectaretur. Monachi porrò illum mortis & ignis ſupplicio terre-
re cœperunt. Quibus ille reſpondit, Non equidem dubito mortem ſubire ad
defendendam Dei mei cauſam, imò id mihi magnæ gloriæ fore ſpero quòd
ſanguine meo dem teſtimonium doctrinæ Filij Dei, qui ſuum pro me miſe-
ro peccatore ſanguinem in cruce profudit. Sed quámnam exiſtimatis eſſe ue-
ſtram potentiã? nõ poteſtis ſanè aliud mihi eripere quàm hanc miſeram carnẽ
& peccatricẽ, eamq; (ſi uelitis) igni tradere. at ego timere didici eũ qui in cor-
pus ſimul & animã poteſtatẽ ſummã habet. Beatũ certè me deputem, ſi & ce-
lerrimè ueſtra tyrãnide liberer, ut ueſtrã cõſuetudinẽ impurã relinquẽs, in æter
nã Dei gloriã & Angelorũ ſocietatẽ recipiar. Hæc uerò Frãciſci intrepida ora
tio tantũ dolorẽ monachis attulit, ut igni accẽſo corã libros ipſius exuſſerint.
Ipſe uidens impuros iſtos homines ne nouo quidẽ Teſtamento parcere, mirũ

quanta

quanta in illos dicta ingesserit. Hispani hisce auditis, hominem mente captum esse rati, curarunt in turrim quandam deducendum, quæ Antuerpia sex milliaribus distat, ubi in profundam fossam demissus octo miser cruciabatur mensibus. Interea plures illum uiri graues inuisebant, qui hortabantur ut mutaret opinionem, & modestius loqueretur. Respondit Franciscus se nullam sinistram opinionem habere, nec ullam hæresim tueri uelle. Quod si uero uehementior fortasse aduersus Monachos fuisse, hoc non sibi, sed ipsorum importunitati ascribendum, sese in posterum cautiorem futurum. Tandem Hispani, illum ad saniorem mentem redijsse arbitrati, dimittendum censuerunt: dimissusq; fuit circa id tẽpus quo Imperator comitia Ratisbonæ habebat. Anno 1541. Liberatus itaque hac molestia San. Romanus uiginti plus minus dies Antuerpiæ commoratus est. Inde Louanium profectus ad quendam amicum & ciuem suum Franciscum Dryandrum, multa cum eo de uarijs religionis capitibus disseruit: qui uir amicus hunc liberè monebat ne temerè mercaturę statum, quem antè susceperat, cum alio uitæ genere commutaret: cùm præsertim mercaturam honestè & salua conscientia exercere, & prodesse plurimis ea posset. Quod ad religionem attinet, sedulò ac seriò hortatus est, ne quid aut diceret unquam aut faceret in gratiam uel fauorem hominum, quo quidẽ Dei gloriam imminui posse sciret: attamen etiam in hoc requiri sanum rectumq; iudicium ad normam Verbi diuini conformatum, ne sibi usu ueniret id quod plerisq; solet accidere, qui incõsiderato zelo acti, deserentes uocationem propriam, dum ædificare student, omnia prorsus destruunt, seq; temerè in periculum conijciunt. Deum curam habere suæ ecclesiæ, atq; ei fideles ministros ordinare, nec cupere tales qui non uocati sese temerè ingerant. Vnde certam uocationem expectandam. San. Romanus hanc beneuolam amici monitionem non repugnanter accepit: sed reiecta culpa in monachos quòd primo impetu concitatior paulò fuisset. postmodò se attentius omnia & consideratius actu rum promisit. Atqui promisso nõ stetit. etenim postquam à Dryandro discessisset (ut quidam itineris ei comites narrarunt, & exitus ipse cõprobauit) è uestigio Ratisbonam profectus est. Quò quum peruenisset, ac tempus Imperatorem conueniendi nactus esset, libera oratione ipsum compellauit, ac monuit ut regiones suas falsa religione solueret, ac uerum Dei cultum restitueret. Demonstrabat etiam, Principes Germaniæ, qui tum Protestantes dicti sunt, meliorem tueri causam, eorumq; de pietate sententiam infinitis partibus rectiorem esse quàm Hispanorum, qui densis ignorantię tenebris immersi prorsus ad lumen ueritatis cæcutirent. Addebat & alia eodem pertinentia. Imperator patienter quidem ipsum audiuit, & responsum dedit satis placidum, sibi nempe totum negotium cordi esse, idq; diligenter curatum iri. Hæc Cæsaris tam lenis responsio non mediocrem Francisco spem attulit: quam licet exemplа crudelitatis à Cæsarianis in ea urbe edita facilè imminuerant, non tamen animo deiectus est: sed iterùm ac tertiò Imperatorem adijt, liberè cum illo agens, nec unquam certè asperius ullum à Cæsare responsum accepit. Tandẽ cùm audentior instaret, & iam quartò Cæsarem conuenire uellet, exceptus fuit ab Hispanis, qui (ut sunt impotenti animo) protinus hominẽ sine ulla causæ disceptatione in Danubium deiecissent, nisi Imperator ipse cauisset ne quatum illi iniuria fieret, atq; iuxta leges Imperij iudicandum pronuntiasset. Inclusus itaq; in custodiam fuit, donec cum alijs rerum capitalium condemnatis in curru catenis ligatus hac illac non sine suo magno malo circunuectus est, aulam sequens Imperatoris, qui tum in Aphricam contendebat. Cùm uero unus ex Comitibus Frãcisci, cui prius notus Louanij erat, eum inter captiuos detinere uideret, atque magna admiratione ex eo huius rei causam peteret, respondit

Mira Caroli V. lenitas erga San. Rom.

respondit. Vincula illa coram hoc mundo censentur ignominiosa, sed coram Deo loco magni triumphi ea æstimo, speroq; me breui coronã uictoriæ ad uitam æternã reportaturũ. Vbi in Hispaniã uentũ est, confestim ad inquisitores Pintiã (quæ urbs hodie Vallis oletana dicit) deportatus est. Ac primũ illi Frãciscũ in specũ subterraneã abdiderũt, ut ipsum horrore tã diri carceris terrerẽt. Sepius quoq; illũ in publicũ produxerunt, ubi palàm ipsorũ & iniurias & cõtumelias pati cogebatur. Accesserunt ad hæc mala indocti monachi, qui illi sua importunitate, & qua pollent maximè impudentia assiduè molesti erant, ut si fieri possit, à uera fide deducerent. Sed ille tantis cruciatibus non modò nec uictus nec debilitatus fuit, ut contrà multò quàm antè constantior, atq; in dies spiritu feruentior euaserit. nec enim unquã hostibus suis cessit, quin quas illi nugas ad cœlum laudibus efferebant, ipse ad inferos usq; deprimeret: quæ uerò aduersarij hæreseos condemnabant, Franciscus ut orthodoxa defenderet. Doctrina autem quam ad extremum usque spiritum palàm atque apertè profitebatur, fuit eiusmodi: nempe, quòd negaret hominem uirtute propria uitam æternam consequi, aut bonis operibus salute potiri, aut suo merito iustum aliquem in conspectu Dei stare posse: sed sola Dei misericordia affirmabat salutem mortalibus exhiberi: non ope humana, sed Christi Mediatoris sanguine, quo nos impuros mundauit: cuius denique sacrificio unico & æterno Pater cœlestis nobiscum pacificatus est. Præterea Missæ sacrificium, quo uiuis & mortuis ex opere operato, ut loquuntur, remissionem peccatorũ acquiri dicunt Papistæ, horrendam abominationem esse dicebat. Confessionẽ uerò auricularem ad enumerandam omnium peccatorum seriem institutam, Satisfactionem, Purgatorium papisticum, Indulgentias, Sanctorum inuocationem, Imaginum adorationem, meras in Deum uiuum esse blasphemias: manifestam quoq; profanationem sanguinis Domini nostri Iesu Christi fieri in illis Papæ præstigijs contendebat atque asseuerabat.

Sa. Romani dõctrina ob quã cõdẽnatus est.

Inquisitores autem cùm uiderent hominem nulla ratione de gradu, quod aiunt, deijci posse, sententiam ipsi publicè tulerunt, ut uiuus pro hæretico obstinato atque in sua opinione obfirmato combureretur. Plures uerò qui huic tam tristi spectaculo aderant, testati sunt quemadmodum Iudæi & alij scelerũ admissorum rei simul cum ipso in theatrum ad populũ producti fuerint, quibus dimissis in ipsum solum ignis supplicium constitutum sit. Hic igitur solus Euangelij causa populo exosus, ad locum supplicij extra urbem ducitur, coronam chartaceam in capite gerens, atris cacodæmonum figuris (id quòd olim & Ioanni Husso Constantiæ contigit) undique pictam. Portam urbis egressi quum uenissent ad quandam ligneam crucem iuxta iter, ut mos est in Papatu, erectam: ibi Franciscum ut crucem hanc adoraret cogere uolebant. uerùm Franciscus nullo pacto induci potuit ut id faceret: quin prompto atq; intrepido animo respondit, Christianos non adorare lignum: se uerò Christo nomen dedisse, Deiq; opem intus sentire, quem corde suo summa cum reuerentia adoraret. proinde urgebat inquisitores ut pergerent ad locum pœnæ destinatum. Magnus tum populi clamor ortus est, quòd ligneæ cruci nullum exhibuisset honorem, atq; ut procliues sunt ad mendacia idololatræ, cruci diuinitatem repentè affinxerunt, quòd se ab hæretico adorari passa non esset. de inde quasi nescio quod in ea miraculũ diuinitus apparuisset, strictis turba gladijs certatim accurrens crucem in frusta secuerũt, adeò ut se quisq; beatum iudicaret, qui particulam eius sacri ligni auferret. Cęterùm in ipso supplicij loco Franciscus cũ esset, nec desisterent ipsum monachi solicitare ad palinodiã, præsenti animo rogauit eos ut mox sententiã executioni mandarent, ne & tẽpus perderent, & operã uociferando luderent. Protinus itaq; Frãciscо in lignorũ struem impositо ignis undiq; accẽditur, utq; flammam sentire cœpit, ceruicẽ

Inquisitores San. romanum condemnãt, sed cinoroſos dimittunt.

Ingenium hominum procliue ad idolomaniam.

nonnihil

nonnihil erexit, fumo fortaſsis aut alia re præpeditus. Quo uiſo inquiſitores raptim ab ipſa ſtrue attolli iubent, ſperãtes ipſum doctrinam quam fuerat profeſſus, reuocare uelle. Franciſcus ita ab igne ſublatus, Quenam, inquit, uos modò dementia cepit, inuidetis ne magno meo bono? Aduerſarij tum ſpe ſua fruſtrati, in mediam flammam iterum conijci iuſſerunt, à qua dicto citius conſumptus fuit.

Poſt mortem autem huius Martyris, inquiſitores publicè affirmabant eum inferorum cruciatibus addictum, ac propterea neutiquam fas eſſe ulli pro eo orare: quinimo hæreticos eos cenſebant qui de eius exitio dubitarent. monachi etiam ſequebantur opinionem inquiſitorum, dicentes: ſanctos patres non poſſe errare, quia qui ſecus faceret, directè (ut loquuntur) in decreta: eccleſiæ peccaret, quæ rata haberi in cœlo perinde atq; in terra neceſſe ſit. Fuerunt tamen aliquot ſatellites Imperatoris, qui Franciſci cineres collegerunt. quin legatus ipſe Regis Angliæ, qui tum aderat, curauit ſibi afferri particulam oſsium eius quem uerè Chriſti martyrem eſſe cognouerat. Sed res iſtorum adeò tectè geri non potuit, quin ea ad aures inquiſitorum atq; ipſius Imperatoris perueneriț, cuius mandato ſatellites in carcerem incluſi fuere. Legatus uerò Regis Angliæ ad tempus ab aula recedere coactus fuit. Habes hiſtoriam, partim ut oculati teſtes memoriæ tradiderunt: partim ut Franciſcus Encenas (qui & Driãder dictus) Hiſpanus in tractatu ſuo de martyribus fideliter deſcripſit & publicauit, cui hic martyr à pueris & poſtea Antuerpiæ notus fuit, adeo ut de huius hiſtoriæ fide nemo ambigere debeat.

Franciſcus & Nicolaus Thieſſen fratres Mechliniæ in Brabantia exuſti 23 decemb. Anno 1545.

Andreæ pietas

HI duo fratres ex Andrea Thieſſen ciui Mechlinienſe prognati ſunt. Is enim ex Catharina uxore tres filios & unã filiam habuit. Cùm uero Euangelij doctrinam agnoſceret, & religionem papiſtarũ paruipẽderet ſacerdotes & Monachi eius loci uehementer inſidiati ei ſunt. Propterea Andreas in Angliam profectus, ut ad tempus odium illorũ declinaret, atq; ibidem mortuus eſt. Paulò poſt filij eius duo in Germaniam tendunt, ut melioribus literis ingenium excolerẽt. Cùm uero ſatis fœliciter profeciſſent, in patriam reuerſi ſunt, ubi matrem & fratrem cum ſorore inuenerunt, quos etiam in fide Chriſtiana diligenter inſtituerunt, ita ut & ipſi Euangelium amplexi ſint. Hac re cognita Paſtor urbis ad S. Catharinam ad ſeſe Rubertum Tapertum Doctorem atq; alios magiſtros & Monachos euocat, atq; rem ordine ut acta eſt cõmunicat: ne itaq; hoc dogma latius per eos ſerpat unà cum Vilhelmo de Klericken prefecto conſilia conferunt, & decernũt matrem cum quatuor liberis in carcerẽ collocandam. Separati autem omnes fuerũt ut id quod cuperent rectius poſſent efficere. Ibi demum omnem diligentiam adhibuerunt ut eos à propoſito abducere, & ad huius religionis abiurationem redigere poſſent. Quoniam autem duo Iuniores, ſcilicet filia cum fratre minore, ætate & doctrina infirmiores eſſent, cum ipſis quod uoluerunt impetrarunt. Cùm uero mater conſentire nollet, ad perpetuos carceres damnatur. Tum demum ad Franciſcum & Nicolaum peruentum, omniq; cura cœptum de fidei capitibus ordine diſſerere. Primò Franciſcum ſeniorem fratrem, rerum uſu & doctrina præſtantem aggreſsi ſunt. Ille uero conſtanter aſſerebat Romanam Eccleſiam non eſſe illam Chriſtianam Catholicam: Sacramentum cœnæ domínicæ ſub utraq; ſpecie offerendum omnibus: Confeſsionem auricularem nullius eſſe momẽti: Inuocationem ſanctorum omittendam: purgatorium ignem nusbiam exiſtere, & alia huiuſmodi. Cùm etiam rogaretur de iterando Baptiſmate, reſpõdit, Chriſtianum primo Baptiſmo contentum eſſe: ſicq; infecta re ab eo diſceſſerunt.

Franciſci confeſsio.

Poſtea uero ad Nicolaum pergunt, qui in alio carcere includebatur, huic uero

uero cùm consilia Monachorum essent notissima, apertè eos hypocritas uocat, atq; eorum minas contemnit. Cùm itaq; disputationibus & blanditijs nihil efficerent, tormenta adhibuerunt, idq; potissimum ideo ut Magistrum & socios suos proderent. Illi uero Christum uocarunt suum magistrum, qui iam antea martyrij coronam susceperit, atque discipulis suis patientiæ exemplum dederit: socios autem sese habere multa millia in omnibus regionibus dispersos. Hinc ad Iudices producti, articulos publicè prælectos confessi sunt, atque testati sese in ea fide semper perseueraturos. Eo audito hæretici declarati, ad ignem damnati, atq; præfecto traditi. Cupiebant quidem sese humiliter excusare atq; hæc religionis capita certis testimonijs scripturę confirmare, sed quę erat præfecti immanitas eis negatum fuit. Cùm etiam ad supplicij locum ducerentur, atque in itinere populum instruerent, & suam innocentiam declararent, globi lignei in os immissi, ne uox emitteretur. Verum illi loquendo globos denuo expellunt, atq; per Dei misericordiam petunt, ut uox eis ultima uitæ hora concederetur. Tantus autem strepitus à turba excitabatur, ut audire non possent. Hinc alta uoce canebant, Credo in unum Deum, &c. Ad palum dum ligarentur orabant pro inimicis suis, atq; sese mutuo cohortabantur. Cũ etiam flamma arderet atq; alterius barbam corripuisset, clamabat, Ach quàm leuis illa pœna, si ad futuram gloriam comparetur. Postea Deo commendarunt suum spiritum, atq; omnium admiratione magna constantia martyrij coronam nacti sunt 23 Decemb. Anno 1545. Hanc historiam descripsit & primo edidit Philippus Melanchton, ex quo hæc compendiosè excerpsimus.

Vox pijs inter cepta.

Martyrij pœna leuis.

ROCHVS Statuarius apud Hispanos exustus, Anno 1545.

VT inquisitionis Hispanicæ horror omnibus notior fiat, egregium hic ponemus exemplum summæ sæuitiæ, quam inquisitores Hispani exercuerunt in quendam nomine Rochum, natione Brabantum, eximium in fingendis statuis ac signis artificem, hominem pietate ac morum integritate insignẽ. Is quum anno *M.D.XLV.* in maritima urbe San Lucar uocata non procul ab Hispali Beticæ regionis commoraretur, ut primùm ueritatis notitiam consequutus est, non amplius statuis ad idolomaniam conficiendis, sed effingendis signis operam dabat. Retinebat quidem in sua officina D. Mariæ imaginem affabrè sculptam uelut artis statuariæ specimen. Inquisitor quidam Hispanus quum fortè officinam Rochi præteriret, artificium illius statuæ suspiciens, quæsiuit quanti ueniret: Statuario certum pretium dicenti, Inquisitor uix dimidium obtulit. Quid, inquit Statuarius, quum tantum laboris & temporis in eius imaginis confectione impenderim, si quanti offers uenderem, uix aquæ interea epotæ mihi pretium persolueretur. Inquisitor uerò acrius instabat ut eo oblato pretio suam faceret. Tua erit, inquit, Rochus, siquidem iustam laboris mercedem atque æstimationem dederis, alioquin illam potius confringerem. Cui inquisitor, Eia confringe sodes. Protinus alter arreptum fabrile instrumentũ in faciem imaginis impegit, quam strictim attingens non nihil allisit. Inquisitor & cœlum & terram inclamans tanquam grauissimo scelere admisso iussit mox Rochum abripi atque in carcerem deduci. Quid, uicissim acclamabat ille, án nõ pro meo arbitratu fingere ac refingere opus mearum manuum possum? haud rectè mihi factum uidebatur, quid ad uos attinet? Sed nihil hæc uerba profuerunt: insania etenim correptis carnificibus isthæc dicebantur. Tribus itaque pòst diebus sententia capitis illi pronunciata fuit, Quia scilicet Diuam Virginem læsisset, crimen diuinæ maiestatis læsæ in summa incurrisse, atq; ob id ignis supplicio plectendum condemnari & executoribus committi. Ignem itaque subiturus Rochus sublata uoce rogauit, an

Statuæ quatenus effingẽdæ.

in multitudine quæ circumstabat quisquam Flander adesset. Quidam respon derunt adesse Flandros, ac duas naues Flandricas in portu San Lucareo esse, quæ uentum secundum ad remeandum in Flandriam expectarent. Velim, ait Rochus, rogatum eorum aliquem, ut patri meo qui Antuerpiæ habitat, signi- ficet mè in hac urbe exustũ esse ob eam causam, quam omnes audistis. Hic de- inde præsenti animo Dominum precatus, intrepidè mortem oppetijt, habuit qúe hunc uitæ exitum uir pius in Hispaniensi terra. Ac ne quis in tam raro ac inaudito crudelitatis Hispanicæ exemplo de fide historię dubitet, uir quidam grauis ac spectatæ fidei, natione Hispanus, diligenti inquisitione Antuerpiæ habita, atq; indicio eorum qui sunt artis statuariæ, parentes Rochi reperit, qui rem totam, ut à nobis prædicta est, confirmarunt, ac ipsius Rochi patrem pau lo pòst acceptum de tam crudeli morte filij nuncium, dolore interijsse.

Rochi statuarij exitus.

Tridentina synodus.

Eodem hoc tempore Paulus Pontifex Tridentinum Concilium cœpit, ut Euangelij doctrinam supprimere & inueteratas superstitiones stabilire pos- set. Ergo Anno 1546 in Martio eò suos legatos misit Ioãnem Mariam Monta- num, Marcellum Ceruinum, & Reginaldũ Polum Cardinales. Sed Conuen- tus ille paulo pòst ob bellum, in Germania religionis nomine ortum, dissipa- tum fuit. In quo hinc inde multi martyres facti, quorum nomina in cœlo si- gnata sunt.

RERVM IN ECCLE-
SIA GESTARVM, QVAE POSTRE-
MIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENE-
runt, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commen- tarij.

LIBER SEXTVS.

IOANNES DIAZIVS, *à fratre proprio in Banaria in- terfectus* 1546.

Memorabilis historia.



IOANNES Diazius, natus in urbe quæ uulgò Cuenca dicitur, quæ est sedes Episcopalis in ea parte ulterioris Hispaniæ sita, quæ finitima est Beticæ regioni, paulò su pra fines regni Toletani: cùm tredecim totos annos, aut eò amplius Lutetiæ uixisset, Geneuam tandem se contulit, ut eius ecclesię statum uideret, quam à uiro do ctissimo Ioanne Caluino, qui officio pastoris in ea eccle sia fungitur, sciebat esse repurgatam, suoq; pristino, hoc est Apostolico nitori restitutam. Mansit in ea urbe ad menses aliquot, ut eccle siæ ac reipublicæ formam consideraret: quo tempore cum ipso Caluino, atq; alijs ecclesiæ Geneuensis ministris, suam de singulis Christianæ religionis ar- ticulis sententiam communicauit, quorum iudicio Ioannis Diazij doctrinam atq; integritatem constat fuisse approbatissimã. Deinde & reliquas bene con stitutas in Germania ecclesias uidere uoluit, in quibus sciebat sonare ueram Euangelij uocem, ut regionẽ perlustraret, mores hominũ cognosceret, & cũ uiris doctis, cùm de omni doctrina, tum præcipuè de religione conferret. Pro fectus igitur Geneua, Basileam uenit, ubi paucis diebus commoratus, postea quàm fideles Christi ministros, qui scholæ & ecclesiæ isthic præsunt, conue- nisset,

nisset, ac omnes peramanter salutasset, Argentinam cogitat, qua in urbe, quoniam prouentu doctissimorum hominum eam florere arbitrabatur, firmiorẽ ibi sedem figere constituerat: tantisper sanè, donec ad alium utiliorem locum Dñs ipsum euocasset. Vixit ergo Argentinæ partem superioris æstatis usque ad ipsam τροπὴν brumalem, omnibus interim gratus, qui eum propter insignem integritatem ac uirtutem, tanquam uerum singuli fratrem complectebantur. Imprimis autem clarissimo uiro, dño Martino Bucero charissimus fuit, cuius ipse consuetudine propter excellentem hominis doctrinam familiariter utebatur. Denicq; cùm in fine penè superioris anni, colloquium de religione à Cęsarea maiestate indiceretur Ratisbonæ celebrandum, uisum est senatui populoq; Argentinensi, idq; Buceri consilio, Ioannem quoq; Diazium publico ciuitatis nomine mittere, ut cuius fidem ac integritatem probatam satis atq; spectatam haberẽt, eiusdem quoq; opera in hoc publico negotio uterentur. Mittitur ergo Ioannes Diazius Ratisbonam, unà cum domino Bucero, addito in super publicæ fidei commeatu, ne quisquam eorum qui Pontificiam dignitatem defendunt, ac ueritati doctrinæ cœlestis aduersantur, temerè auderet publica authoritate missum uiolare.

Diazius ab Argentinẽ. ad colloquiũ Ratisbonense mittitur.

Posteaquàm in Decembri Ratisbonam uentum est, Diazius conuenit Petrum de Maluenda Hispanum, qui aduersæ partis fuit nominatus colloquutor ac defensor. Iste Maluenda cùm primùm illum uidit, quem alioqui nouerat Lutetiæ familiariter, non secus admiratus est quàm si rem aliquam prodigiosam sibi coram oculis propositam uideret. Tandem ubi multis signis declarasset admirationem, quam ex eo inopinato conspectu concepisset, aggreditur hominem, dixitq; uideri sibi somnium uidere, non re ipsa eum præsentem intueri, præsertim in Germania, & quidem in societate Protestantium, qui magis gloriaturi essent si unum Hispanum in suam sententiam possent pertrahere, quàm si decem millia Germanorum, aut innumeros aliarum gentium homines cõuerterent. Rogat Diazium, quandiu in Germania uixisset: quo consilio in eam regionem uenisset: an Buceri doctrinam & aliorum Germanorum approbaret. Respondet placidè ac moderatè Diazius, id quod res erat, se quidem habitasse in Germania sex fermè menses, nec alio consilio eam profectionem suscepisse, quàm ut regionem perlustraret, instauratam religionis doctrinam probe cognosceret, & cum uiris doctis suam de religione sententiam conferret. Ad hæc Maluenda, uultu ad superstitiosam quandam admirationem composito, Profectò (inquit) sex menses in Germania, nõ menses tantùm, sed integri anni, aut certe totidẽ secula uideri possent homini pio: usqueadeò in Germania uiuere miserum est ei, qui unitatẽ ecclesiæ Romanæ amat, authoritatemq; ueretur.

Quo pacto Maluẽda Diaziũ exceperit.

Post hanc primam collocutionem, bis eum conuenit solus Diazius, & multa cum ipso Maluenda de religione contulit. Ibi Maluenda machinas omnes admouet ut eum absterreat, deq; pontificis Romani potestate multa locutus & quam sit res grauis illius excommunicatio ostendit. Deinde quia Cęsar Carolus breui uenturus sit, monet, ne illius expectet aduentum, qui forte ei futurus sit periculosus, uerum obuiam proficiscatur, & ad sacrificii Cæsarei pedes proiectus ueniam admissi criminis petat: in eo sese fore ipsius adiutorem profitetur. Ad hæc Diazius respondet: doctrinam protestantium esse prophetarum & Apostolorum doctrinæ consentaneam, & Hispaniæ patriæ suæ miseriam deplorat, quæ tantis in tenebris uersetur, & ipsum Maluendam & socios qui manifestam ueritatem oppugnent, & Cæsari malorum consiliorum sunt authores, reprehendit, grauiterq; monet, ut desistat, & ipsius consiliũ repudiat: nam salutarẽ hanc doctrinam sese Dei beneficio professurum, necq; ullum capitis recusare periculum. Postremo tandem colloquio rogauit Diaziũ

Maluenda, cuius rei gratia ueniſſet Ratisbonã. Diazius reſpondit, publico ſe Argentinenſium nomine eſſe miſſum, ut hoc publico in colloquio, etiam ſuas preces cum eccleſiæ Chriſti precibus coniungeret, & conciliationem articulorum, qui hodie in diſceptatione uerſantur, pro uirili promoueret. Fruſtra, inquit Maluenda, huc ueniſti: nã in hoc toto colloquio nihil omnino conſtituetur, quòd ſi tuam operam ad publicam utilitatem conferre uolebas, ad concilium quod Papa inſtituit Tridenti, erat tibi proficiſcendũ: ubi conuenient Catholici præſules, ac in eo celebrando & perficiendo ſummo ſtudio elaborabunt. Quum igitur audiſſet Maluendam diſertè profitentem, nihil omnino fieri debere in colloquio Ratisbonenſi, facilè intellexit omnia Pontificiorũ conſilia eſſe fraudulenta, à quibus (incolumi religionis integritate) nulla eſſet ſperanda concordia. Proinde ualedixit Maluendæ, neq; fuit illi animus poſthac eum amplius conueniendi.

Poſt id colloquium Diazius nõ amplius conuenit Maluendam: ſed ille exaſperatus libertate Diazij, ab eo tempore cœpit inſidias ſtruere, fraudes nectere libertate Diazij, ab eo tempore cœpit inſidias ſtruere, fraudes nectere, atq; in hoc prorſus incumbere ut hominem innocẽtiſsimum perderet. Quod aperta ui aut iuſtæ cauſæ prætextu facere non poterat, clandeſtinis conſilijs, & impudenter à ſe confictis mendacijs, negotium aggreditur. Scripſit literas in aulam Imperatoris ad monachum Dominicanum, qui ab auribus erat Cæſari, atq; frater Petrus de Soto dicebatur, in quibus ſignificabat eſſe Ratisbonæ Ioannem Diazium Hiſpanum, quem cùm ipſe olim Lutetiæ nouiſſet ſtudioſum catholicæ fidei, & obſequentem eccleſię filium nunc Ratisbonæ uideret acrem defenſorem partium Proteſtantium, qui ſe iam inimicum eccleſiæ catholicæ, Lutheranorum amicum ac propugnatorem publica profeſsione declararit. Præterea incendit multis etiam falſis delationibus (ut euentus rerũ poſtea oſtendit) animum Monachi alioqui ardentem, atque etiam inflammatum, & propria ſua malitia & odio æternę Dei ueritatis, quam neq; ipſe nouerat, neq; audire ſuſtinebat. Vrget inſuper atq; obteſtatur, ut tantum malum uiolento aliquo remedio conetur auertere: futurum enim augurabatur, ſi creſceret malum quod iam tum in herba eſſe putabat, ut Hiſpania tandem aperiret oculos, uideret ſuam miſeriam & cæcitatem, uideret ſeruitutem ac tyrannidem, uideret ignorationem cum magna ſuperbia & ſuperſtitione coniunctã.

Diazius à Maluenda accuſatus.

Lectis à monacho Confeſsionario literis, quem ille affectum induerit, quid in ea cauſa faciendum putarit, affirmare non poſſumus. Si quid autem licet ex præteritis eius factis æſtimare, ueriſimile eſt, pro ſua conſuetudine nihil leue, nihil uulgare ab eo homine fuiſſe excogitatum. Cæterùm quum Maluenda expectaret Confeſsionarium, diutius opinione ſua cunctantẽ, uideretq; Ioannem Diazium Ratisbonę, qui in officio ſuo ſedulam ac diligentẽ nauaret operam: non contentus primis literis, ſecundas etiã, ſed multò acerbiores ad Confeſsionarium ſcribit. Rem eandem inculcat, acriter contendit atq; obteſtatur, ut aliquam inueniat uiam, qua hunc hominem, qui ipſorum conſilia & actiones aliquando poterit euertere, de medio tollat, priuſquam uel ipſe uires ſumat, uel in negotio iam tum incœpto ulterius progrediatur. Quum fortè has literas Maluendæ Confeſsionarius acciperet, aderat Bruxellis legenti quidã Hiſpanus nomine Marquina, qui in publicis quibuſdam negotijs Romæ uerſabatur, unde paulò antè in aulã Imperatoris uenerat. Iſte Marquina, qui olim familiariter nouerat Diazium, cùm audiret nunc quæ de ipſo à Maluenda ſcriberentur, grauiter ac permoleſtè tulit amici quem unicè diligebat, famam & exiſtimationem notari: præſertim hęreſeos crimine: quod ut eſt grauiſsimum, ita, etiam omnibus bonis eſt (ſicut eſſe debet) odioſiſsimum. Et quia eum familiariter nouerat, ſciebatq; hominem eſſe integerrimę uitæ ac uirtutis approbatiſsimæ,

Marquina excuſat Diazium.

batíſsimæ,cœpit eum excuſare apud Confeſsionarium,quàm id facere potuit diligenter. Dicit clarè,non eſſe adhibendam fidem uerbis Maluendæ, qui uel aliquo priuato odio,uel alia quacunq; occaſione inductus,limites in ea parte ueritatis tranſiliret: credendumq; potius eſſe publico præſtantiſsimorum hominum teſtimonio, qui Ioannis Diazij uirtutem atque integritatem ſemper approbarunt. Proinde orabat Confeſsionarium ut eam rem apud ſe occultam retineret,ſuámque ipſe ſuſpenderet ſententiam, tantiſper ſanè,donec aliquid certius audiretur. Fertur dixiſſe Confeſsionarius, Si Ioannes Diazius maneat apud hæreticos, dabit eccleſiæ magnum malum: ideóque modis omnibus proſpiciendum eſt, ut quacunque ratione uel conuertatur, uel tollatur.

Paulò pòſt celeri curſu profectus Romam iſte Marquina, rem uniuerſam ſignificauit fratri Ioannis Alphonſo Diazio, qui in controuerſijs iudicij Rotæ longo tempore in ea urbe ſe exercuit. quale inter ſe conſilium iniuerint & Marquina & Alphonſus frater Ioannis,nondum planè conſtat,nec rectè affirmari poteſt: quamuis ex eo, quod poſtea ſequutum eſt,non difficulter licebit eſtimare. Omnino aliquid magni facinoris iam tum fuit inter eos conſtitutum, ut ſcelerata eorum flagitia poſtea declararunt. Hęc omnia,ut antea geſta ſunt, & hic à nobis narrata, ipſe Alphonſus Diazius ſuo fratri ordine, ut dictũ eſt, Neoburgi narrauit.

Ratisbonenſis colloquij abruptio.

Interea temporis Ratisbonenſe colloquium,ſatis acriter initio incœptum, abrumpitur,& ſubitò quaſi mutata colloquutorum uoluntate in altum ſilentium conuertitur. Cauſam huic ſilentio præbuerunt aduerſarij ueritatis nouo atque inaudito commento,quod ipſi in ſuo cerebro uel ad fraudes ſuas occultandas,uel ad ueritatem opprimendam, non minus callidè quàm impiè excogitarunt. Fingunt ab Imperatore miſſas literas,quibus iubentur uniuerſam de religione diſputationem clancularijs ſuſurrationibus tranſigere. Id autem quò magis ratum ac firmum eſſet iuxta eorum uoluntatem, iubent collocutores utriuſque partis iureiurando adſtringi, ne quid eorum quæ in colloquio tractarentur, uel ſuis principibus, uel ulli mortalium ſignificarent. Eam conditionem, quoniam abſurda nimis erat, & nunquam antehac in libero colloquio uel audita uel propoſita,noſtri homines accipere noluerunt. quaſi uerò diſputatio de articulis Chriſtianæ doctrinæ ſint Eleuſinia ſacra, de quibus uel unum uerbum coram hominibus proferre nefas eſſe uideatur. Sed ita omnino natura comparatum eſſe uidemus,ut mens ſibi malè conſcia, & lucem uereatur & iudicia bonorum hominum pertimeſcat.

Cur Neoburgũ Ioan. Diazius ſit profectus.

Suſpenſis hunc ad modum negotijs colloquij in urbe Ratisbona, propter eam cauſam quam modò narrauimus, profectus eſt Ioannes Diazius Neoburgum, oppidum illuſtriſsimi principis Ottonis Henrici Palatini, ad ripam Danubij ſitum,ut præeſſet editioni cuiuſdam libri doctiſsimi uiri Martini Bucери,qui tum in ea urbe imprimebatur. Dum hæc aguntur in Germania, non eſt otioſus Alphonſus frater Ioannis, qui erat Romæ. Etenim cùm is admonitus eſſet à Marquina de literis quas Maluenda ſcripſerat ad Cęſaris Confeſsionarium,ſine mora in Germaniam profectionem adornauit, ut quibuſcunque poſſet modis fratrem ab inſtituto ueræ religionis curſu conaretur reuocare.

Adducit unà ſecum nebulonem quendam ſicarium, qui ut poſtea compertum eſt,Romæ fuerat publicus carnifex: cuius atque tertij cuiuſdam ſodalitio comitatus,celeri curſu equorum Auguſtam peruenit. Inde Ratisbonã ſe contulit unà cum ſuo carnifice,ubi fratrem inueniri poſſe arbitrabatur. Ratisbonæ primùm conuenit Maluendam apud quem ſui pectoris conſilia depoſuit: à quo uicíſsim rationem uel decipiendi uel conuertendi fratrem poſtulauit. Quódnam illi conſiliũ dederit Maluenda,nondum planè conſtat, paulò poſt

Maluẽdæ uotũ de interficiendo Diazio.

Maluendæ uotum de interficiẽdo Diazio.

fortasse fiet manifestius. Fertur dixisse Hispano cuidam, Vtinã ueniat illa dies, in quo ego corpus Ioannis Diazij combustum uidere possim, ut uel eo supplicio extincto corpore, melius animæ consultum uideatur. Quod si uerum est, ut certè uerisimile uidetur, satis declarauit Maluenda Sorbonicus doctor ista una, non humana sed plusquã ferina & prorsus diabolica sua uoce, se æternæ irę Dei reum esse, in quem tota culpa istius innocentis sanguinis effusi, tanquam in uerum parricidam, transferatur. Illud sine cõtrouersia in confesso est, inter se constituisse modis omnibus inquirere, ubi gentium Ioannes Diazius posset reperiri. Mittunt ergo quendam Hispanum, qui in sodalitio Maluendę habitabat, ipsi non absimilem, ut de Diazio ubinam esset interrogaret ab amico quem præ cæteris id scire, ac eius consilia tenere arbitrabantur. narrat uenisse quasdam literas magni momenti ex aula Imperatoris ad Diazium, cuius permagni interesset fideliter eas accipere: ac proinde orabat, ut locus in quo esset iudicaretur. Respondit ille amicus nõ planè constare ubi tum ageret Diazius: & tamen si quid ad eum cuperet perferri, se curaturum summo studio ut fideliter ad ipsius manus perferretur. Abijt Hispanus eo quasi responso contentus: sed paulo pòst reuertitur, narratq; esse in diuersorio Coronæ quendã uirum nobilem, summum amicum Diazij, qui ad eum literas ex aula Imperatoris ab alijs amicis adferebat, in quibus negotium magni momenti contineretur. proinde ipsius nomine perstudiose amicum Diazij orabat, ne grauaretur uel locum ubi Diazius esset indicare, uel eum in hospitio conuenire. Ille ut officium pręstaret amico, cuius negotia cupiebat diligenter curata, uenit cum Hispano ad diuersoriũ, ut quid omnino esset, quod ad Diaziũ pertineret, propius cognosceret. Ibi inuenit quendam Hispanũ, ut ex cultu & uultu licuisset ęstimare, hominẽ non uulgarem, qui eum per fidem atq; humanitatem, perq; omnia sacra & profana impensissimè cœpit orare atq; obsecrare, ut locum ubi Diazius esset illi indicaret. esse enim magnum negotium, quod cum eo deberat peragere. Nã & literas à summis eius amicis ex aula Imperatoris ad ipsum adferre, & præterea res cum eo non uulgares debere transigere, quæ maximè ad utilitatem Ioannis Diazij pertinerent.

Insidiæ paratæ Diazio.

Hic uerò amicus idem penè huic dedit responsum, quod paulo antè famulo dederat: se nõ prorsus scire ubi esset Diazius, sed tamen ab alijs id uelle percontari, à quibus aliquid certi sperabat posse intelligere. Domum is reuersus rem omnem cum domino Bucero, cum domino Ioanne Brentio & cum reliquis colloquutoribus communicauit, & consilium quod in eo negotio sequi deberet, ab eis postulauit. Variæ ibi fuerũt sententiæ, dum alij locum ubi Diazius esset indicandum censent, alij contrà negãt: sed utrinq; rationes satis idoneæ ad confirmationem suæ sententię adferebant. Denicq; ualuit ea sententia, ut locus indicaretur, qui alioqui liber & securus erat, ne quid propter ignorationem negotij, quod magni momenti dicebatur, aduersus utilitatem Diazij imprudenter peccaretur. Interea priuatim scriptis literis admonitus fuit Diazius, ut si quod periculum ab eo homine impendere putaret, prudenter sibi ac tempestiuè caueret. Hoc igitur consilio & uoluntate indicauit ille amicus Alphonso (qui nondum patefecerat se fratrem esse Ioannis Diazij) eum esse in ciuitate uicina, quę uulgò dicitur Neoburgum duodecim milliaribus supra Ratisbonam. Egit illi ingentes gratias prò hoc nuntio, & impense orauit ut cum eo ad amicum ueniret: quam ad rem dicebat se habere equum in promptu, & res omnes necessarias. Respondit ille non esse integrum eo tempore Ratisbona discedere: sed tamen promisit se ad Diazium daturum literas, atq; ipsi etiam significaturum quo in loco eum posset inuenire. Scripsit ergo literas ad Diazium quas Alphonso dedit, in quibus nihil aliud, quàm quod sine periculo publicum esse poterat, continebatur. Scripsit uerò alias quas priuatim

tim tradidit nuntio publico, qui cum Alphonso proficiscebatur: eumq; admonuit, ut eas literas seorsim ac diligenter custodiret, nec alteri quàm ipsi Ioanni Diazio traderet. In his literis copiosè ad eum perscribebat quicquid cum eo uiro illi accidisset, simulq; eũ admonebat, ut ab eius insidijs, si quas uellet struere, caueret diligenter. Scripsit etiam per eundem nuntium dominus Bucerus, scripserunt & alij amici, qui omnes eum diligentissimè de periculis, quæ accidere poterant, admonebant & quomodo ea posset depellere significabãt. Ac ut res tota magis careret suspicione, data sunt nuntio acta in colloquio Ratisbonensi ad Secretarium illustrissimi Principis Ottonis perferenda. Addiderunt seorsim pecunias, ut res à nuntio fidelius curaretur, qui alioqui recepit se totum illud negocium curaturum, nõ solùm libenter, sed etiam ualde diligenter. Hoc negotio ita constituto ualere iussis nuntio atq; etiam Alphonso: ipse rursus Amico fratris agit gratias ingentes pro eo officio, ac simul gratitudinem & beneuolentiam integro ac fideli amico dignam, plusquam officiose promittit. Sed priusquam à se dimitteret amicum fratris, denuò cœpit obtestari, perq́ue amicitiæ fidem & Christianam charitatem adiurare, si Ioannis Diazij dignitatem ac existimationem integram atque illibatam cuperet, ne quid omnino earum rerum, quæ inter eos essent constitutæ, tum illi mortalium, tum uerò nominatim Maluendæ ullo modo significaret. etenim non dubitare eius animum aduersus Diazium esse ualde infensum, quòd eius consilijs noluisset obtemperare: ac proinde ad utilitatem Diazij omnino pertinere ut ea res, quam apud eum agere uolebat, ignorante Maluenda perficeretur. Quid multis? tanta est usus orationis uehementia, tam seriò in hoc incumbebat, ut nihil eius rei Maluendæ indicaretur, quinetiam fidem faceret, nihil ab eo simulatè geri, sed prorsus ex animo loqui. Sed ô facinus infandum peruersi proditoris: Nam uix ab eo digressus erat ille amicus, cùm ipse ad nuntium uenit, eúmque omnibus literis & scriptis spoliauit, seq; ad Maluendam cum eis contulit. ibi posteaquàm omnia perlegissent, atque inter se consilia, haud dubiè Cainica, cepissent: omnes epistolas lacerauit, solum scriptum actorum, quod Secretario principis Ottonis erat tradendum, retinuit: quod alioqui seruaturus non erat, nisi ad parandam & conciliandam eius uiri amicitiam id sibi perneceſſarium fore putasset. Amicis Ioannis Diazij paulo pôst fuit significatum, Alphonsum apud Maluendam fuisse: & quæ cum nuntio egisset, ipse postea Ioannes Diazius Neoburgi amicis narrauit. Cùm autem amici Ioannes Diazij intellexissent hanc tam insignem hominis perfidiam, qui tam accuratè fidem atque integritatem simulabat, in suspicionem uenerunt omnes, eum aliquod magnum facinus moliri. Proinde rursus per nuntium proprium, Ioannem Diazium adhortati sunt, ut ab insidijs illius hominis omnino sibi caueret. Tandem proficiscitur Alphonsus Neoburgum, per quem Maluenda scripsit literas ad Ioannem Diazium, quibus eum hortabatur ut fratri recta monenti obtemperaret. Promisit etiam, si eum in Italiam sequi uellet, & Germaniam cum suis Germanis penitus relinquere, ut qui essent corruptores bonorum ingeniorum (istis enim uerbis in suis literis utebatur) se apud Cæsaris Confessionarium curaturum, ut ea mala, quæ de ipso prius scripsisset, recens nunc in aliam sententiam scriptis literis, ab ipso emenderentur, ne in posterum innocenti homini fraudi esse posſit quod antea parum considerate fuerat scriptum. Itaque in suis propriis literis simul impietatem infidelitatémque prodebat, & penè disertis uerbis suam perfidiam confitebatur. Istis literis Maluendæ, ac simul etiam carnifice suo comitatus, peruenit Alphonsus Neoburgum: quem cum frater Ioannes coràm uideret, cum magna admiratione (sicut est consentaneum) præsentem intuebatur, à quo nullas longo tempore literas acceperat, quémque

Amici Diazij monent sibi cauẽat.

Proditoris artificiosa oratio

Prima coitio Io. Diazij cum fratre.

que Romæ tunc esse putabat. Percontanti causam tam subitæ atque insperatæ præsentiæ, respondet ueras causas, ut antea dictū est, quibus impulsus laboriosam illam profectionem suscepisset. Pietatem in fratrē simulat impius parricida, & latentia in animo scelerata consilia prætextu amoris occultat. Quid hic suspicari poterat uir integerrimus? arbitratur uerè fraterno amore permotum fratrem ad se uenire: & quanuis multa in eo desiderat, affectum tamē probat, atque eius amorem magna pietate complectitur. Excipit igitur fratrem amantissimè, ignorans interim se uiperam in sinu fouere, cuius effrenatus furor paulo pòst eius sanguinem debebat profundere. Vbi familiarius inter se agere cœperunt, paulatim prodit Alphonsus suæ impietatis significationem. narrat eam tantùm ob causam laborem illum diuturnum & periculosum suscepisse, ut eum ab instituta uitæ ratione ad saniorem professionem, atq; (ut istiloquuntur) ad gremium ecclesiæ reuocaret. Commemorat pericula terribilia, quæ si diutius in hoc instituto persisteret, sequutura uidebantur. Obijcit illi summorum ordinum execrationes, qui odio Lutherani nominis, suprà quàm credi facilè queat, exarserunt. Ponit ob oculos ingens dehonestamentum totius familiæ, priuatas miserias, carceres, exilia, proscriptiones, gladios, incendia, & quicquid alioqui periculorum eos plerunque comitatur qui uera sunt Ecclesiæ Christi membra, quiq; puram atque integram Euangelij doctrinam pio & flagranti animo studio amplectuntur. Multa præterea in hanc & similem sententiam adducebat, ut constantem alioqui, & firmis Dei promissionibus munitum fratris animum commemoratione periculorum labefactaret.

Ioann. Diazij mitis respōsio.

Ad has rationes fratris, etsi deplorabat in animo suo Ioannes deprauatum Alphonsi iudicium, qui pericula & furores hominum professioni uerę doctrinæ anteferret, respondit tamen illi blandissimè, Nec errore mentis, frater, nec ulla priuata cupiditate adductus, sed certo & firmo iudicio eam doctrinam sum amplexus, quam ex fontibus sacrarum literarum (diligenter perquisitis initijs & progressionibus ueræ religionis) clarè agnosco esse uerum ac perpetuum consensum Prophetarum & Apostolorum. Hanc igitur doctrinam Dei beneficio apprehensam sine nefario scelere abijcere non possum: neq; ulla mundi pericula me ab hoc instituto deterrebunt. Considera, quæso te frater, utrum sit prudentis, momentanea pericula uitare, ut incidat in æternam condemnationem, atqui nullum profectò aliud est peccatum blasphemiæ, quàm agnitam ueritatem flagitiosè insectari, cuius criminis nec in hoc seculo, nec in sempiternum ulla fiet condonatio. Magni ergo momenti res est, quæ me in hoc incœpto cursu & in hac professione retinet. Ac ego quidem uehementer optarem, mi frater, ut in uoluntate Dei cognoscenda tantum tibi operis ac studij ponendum putares, quantum alioqui solertiæ ac sedulitatis in negotijs humanis uel perquisitis uel expediendis hactenus posuisti. quæ tua est ingenij dexteritas, quæ immensa est æterni Patris misericordia, non dubitarem Deum uelle thesauros cœlestis sapientiæ suæ tibi patefacere: téque posse, si adesset labor & industria, uoluntatem Dei ex diuinis literis cognoscere atq; illustrare. Vtinam uerò eam cognitionem tibi ego, mi frater, uel meo sanguine possem comparare. Nam, ut testatur ipse filius Dei, hæc est uerè uita æterna, cognoscere Deum uerum, & quem ille misit Iesum Christum. Et profectò illud in primis deplorandum est, tantam esse in re omnium maxima & grauissima hominum negligentiam & impietatem, ut hæc oracula Dei (clara æterni numinis uoce de cœlo sonante & ad omnes creaturas promulgata) uel otiosè negligant ipsi uel superbè contemnant. Etenim si rem ipsam tecum recta reputes uia, quam aliam, amabo te, reperies causam quare nos ab impijs hominibus condemnemur, ac penè quotidie morti tradamur, quàm q̄ uniuersam spem nostrā in Deo uiuo, nō in ullo homine, nō in ullis reb. humanis repo-

suimus,

fuimus, extra quem nulla est homini sperãda salus? Cognosce igitur prius causam nostram, mi frater: quam ubi seriò perdideris, tu ipse iudicabis propter nulla uitæ pericula esse deserendam. Certè quod ad me attinet, ita meum animum gratuita Dei misericordia & bonitate cõfirmaui, ut nulla ratione me ab instituta doctrinæ professione patiar reuocari.

Alphõsus præmiorũ spe fratrem illectat.

Cùm uideret Alphonsus constantiam fratris, nouum arietem intendit: & quod ab eo periculorum metu extorquere non poterat, proposita præmiorum spe se posse cõfidit impetrare. Dicit se habere singulis annis ex beneficijs ecclesiasticis prouentus quingentorum ducatorum: quos omnes in eum cupit transferre, modò ipse Romam unà secum proficiscatur.

Ad hoc respondet Ioannes, Non sum tam auidus pecuniæ, frater, quàm tu fortasse arbitraris: nam si diuitiarum aut honorũ uiam mihi insequendam proposuissem, longè aliter uitæ meæ rationes instituissem. Nunc uerò istam qualemcunq; cœlestis doctrinæ cognitionem, quam Dominus gratuita sua bonitate in me contulit, pro summo honora habeo: & iste animus, nullius sibi criminis conscius, mihi quouis thesauro pretiosior est.

Simulatio pietatis extrema ad proditionẽ machina.

Postremò cùm ne hac quidem illi succederet, aliam aggreditur uiam, ac extremam uim machinarum & proditionum admouet, quibus fratrem innocentem, candidum atq; omnis malitiæ dolíq; expertem, homo pessimus fraudulenter oppugnet. Pietatem simulat impius homo, ut sanctum uirũ, qui totus à Deo pendebat, opinione religionis facilius decipiat. Ac tandem ex imo pectore suspiria trahens, ingemiscens & quasi lachrymabundus fratrem aggreditur in hanc sententiam: Video, frater, tantam esse tuam constantiam, fidem atque integritatem in cognoscenda atque retinenda Euangelij doctrina, ut me quoque in tuam sententiam cœperis pertrahere: neque enim sum adeò rudis aut ferox, frater, ut ego uel mirandam atque imitandam tuam istam integritatem non uideam & agnoscam, uel ingentem illam utilitatem cupiam impedire, quam ex tua ista doctrina & professione, cùm ad uniuersam ecclesiam Dei tum præcipuè ad nostros homines spero adhuc posse redundare. Quinetiam toto pectore, quasi coniunctis uiribus hoc agamus ambo, atq; in hoc potissimùm incumbamus, ut uera doctrina de Filio Dei, quàm maximè fieri poterit, toto orbe terrarum latissimè propagetur, & professio Euangelij etiam in nostris finibus, & apud nostros homines, sicut apud alias orbis nationes, floreat ac promoueatur. Sed ad hoc tantum Dei opus, deberes, frater, nõ solùm prudenter, sed etiam diligenter dispensare donum Dei, quod in te præ cæteris nostræ gentis hominibus cœlestis bonitas contulit. Etenim dum in Germania manes, & apud istos homines uiuis quorũ linguam ignoras, quid aliud, quæso te, facere uideris, q̃ talentum quod à Deo copiose accepisti, humi defossum sine utilitate hominũ tenere? Vides in hac regione esse plerosq; uiros doctos in literis & religione præclarè institutos, qui tua opera nõ indigent: atq; adeò non indigent, ut si rectè illorum uirtutem noui, illi ipsi tibi authores erunt ut eam doctrinam quam ab ipsis didicisti, ad ædificationem ac reformationem nostrorum hominum, nostræq; patriæ utilitatem conferas. Sed quoniam illa in hoc tempore, incredibili tyrannide iacet oppressa, nec in ea tibi habitare esset satis tutũ, nõ desinã tibi esse author atq; hortator, ut mecũ in Italiã uenias. Ex hac profectione tantũ mihi utilitatis audeo polliceri in promouenda gloria Dei, & illustrãda Euãgelij doctrina, quantũ nunquam tu uel in Germania, uel in alio loco sperare potuisses. Primũ igitur Tridentũ ueniemus, ubi multi

Commendat illi Tridẽtinam cõgregationẽ.

præsules magnę authoritatis cõgregati sunt, qui in fauorẽ Euãgelicę doctrinę prorsus inclinãt: & si te haberent uel stimulatorẽ uel hortatorẽ, qđ rectissimè in animo sentiũt, nec impediti pontificia tyrãnide audẽt euulgare, clara uoce, profiterẽt. Expẽde nũc apud te quãta hinc utilitas exoriet, ut integrũ concilíũ, alio

qui

qui ad tyrannidem impiorum hominum ſtabiliendam inſtitutum, ad ſtudium inquirendæ ac patefaciendę ueritatis per te reducatur. Conferes tuam ſententiam cum illis uiris doctis: & ſiquid melius quàm ipſi tenent, didiciſti, habebis illos (quod eorum nomine audeo promittere) attentos ac dociles auditores. Quin & tuam doctrinam alioqui firmam, & expreſsis Dei teſtimonijs ſtabilitam, puritate uitæ ac ſanctitate, qua ſemper excelluiſti, & reliquas tuas uirtutes doctrinamq; ipſam exornaſti, quamq; illo quoq; ipſi, qui tibi non omnino bene uolunt, in te amant & uenerantur, multò magis confirmabis. Deinde ueniemus Romam, Neapolim, & in alias ciuitates Italiæ, in quibus magna eſt cognitio & ſtudium ueritatis, ubi erit tibi negotium non cum infimæ notę hominibus, ſed cum uiris principibus, quos in uera doctrina confirmare, & publica penè uoce tuam ſententiam licebit profiteri.

Diazius oratione fratris perculſus.

Perculſus Ioannes Diazius noua oratione fratris Alphonſi, cœpit in animo ſuo mirabiliter exultare, exiſtimans fratrem Alphonſum ex animo loquutum. Proinde multò blandius illi reſpondet quàm ſolitus erat, ſe quidem paratum eſſe quacunque poſſet ratione, etiam cum uitæ ſuæ diſpendio, gloriam Chriſti promouere. laudabat animum fratris, comprobabat conſilia, atque ad ea perficienda, ut ipſe uolebat, ſuum quoq; ſuffragium nunquam defuturum promittebat. Cæterùm quoniam erat negotium magni momenti, arduum & periculi plenum, maturo etiam conſilio & deliberatione opus eſſe, ut iudicio bonorum atque prudentum id tandem ſtatueretur, quod magis ad utilitatem reipublicæ, ad promouendam gloriam Dei utile ac neceſſarium uideretur. Quare hoc ſibi præter cætera uidebatur conſultiſsimum, ut hæc tota deliberatio colloquutoribus, qui erant Ratiſbonę, committeretur, quorum arbitrio ſe totum permittebat. Hoc conſilium non omnino diſplicuit Alphonſo, quia fortaſſe exiſtimabat fungos aut lapides eſſe, qui de hoc negotio debebant iudicare: nec fieri poſſe arbitrabatur, ut quiſquam Germanorũ ſubtiles eius fraudes ac proditiones intelligeret. Scripſit igitur literas Ioannes Diazius ad collocutores, qui erant Ratiſbonæ, in quibus aduentum fratris ſignificabat, qui hoc ab eo ſummo ſtudio poſtulabat ut ipſum in Italiam ſequeretur. Addebat quoq; rationes fratris, quibus id fieri omnino debere contendebat. poſtremò ſuam etiam uoluntatẽ ſcripſit, ita in animo ſuo cõſtituiſſe, ut in hoc toto negotio nihil aliud facere uelit, quàm quod ipſi re deliberata faciendum eſſe iudicarent. Scripſit quoq; literas in eandem ſententiam ad Bernardinum Ochinũ, qui in ciuitate Auguſtana Italis Euangelium concionabatur, à quo etiam ſuũ de hac re iudicium poſtulabat. Deniq; ubi literæ Diazij perlectæ fuerunt Ratisbonæ, omnes colloquutores ſunt congregati, ut in ea cauſa ſingulorum ſententiæ audirentur. In hac deliberatione omnes uno ore conſenſerũt, nullo modo credendũ eſſe falſis fratris rationibus: quem in hoc tantùm incũbere uidebant, ut prætextu pietatis fratrẽ innocentẽ deciperet. nec defuerunt in eo conſeſſu, qui parricidium, quod facinoroſus ille in animo ſuo cõceperat, iam tum prædicarent. Itaque communi omnium ſententia ad Diazium ſcripſerunt, & quid omnino de toto illo negotio Fratres uno conſenſu & ſentirent & conſtituerent, diligenter ſignificarunt. idem quoque Bernardinus literis ſcriptis indicauit. Iam uerò ubi frater Alphonſus uidet ſe undique excluſum, nec latere ſua conſilia diutius poſſe: etſi ingentem animo concepit dolorem, tamen quoniam fratris beneuolentiam ad perpetranda facinora quæ deſtinauerat, ſibi perneceſſariam eſſe uidebat, noluit eum acerbitate uerborum lædere, ſed potius mœrorem animi ſummo ſtudio diſsimulauit. Dicit ſe quidem æquo animo ferre ſententiam illam doctorum hominum, quam propria ipſorum manu uidebat cõſignatam: ſed tñ ut aliqua ipſi gratia pro tanto labore reponeretur, impenſiſsimè orabat Ioannem ut ſaltem Auguſtã uſq; cum eo uenire non grauaretur,

Prædicũt nonnulli parricidium.

grauaretur, qua in urbe extrema quasi sententia totum illud negotium definiretur. Hæc non sine ingenti malitia à nefario parricida dicebantur, qui blandis uerbis conabatur innocentem fratrem, in liberum & patentem agrum extra ciuitatem producere, ut in aliquo deserto loco eum interficeret. Omnino id facturus erat Ioānes, nisi Bucerus, qui fortè interuenit ante fratris profectionem, ne id fieret prohibuisset. Etenim cùm Ratisbonę nihil agerent colloquutores, statuerentq; domum redire, Bucerus cum Martino Frechtio concionatore Vlmense, uoluerunt Neoburgū uenire, ut quod per literas Ioannem Diazium admonuerant, ne uidelicet fratri Alphonso crederet, nec eum in Italiam sequeretur, id magis & magis præsentes inculcarent. Conuentum igitur est inter Fratres, ut Alphonsus proficisceretur solus, die xxv. Martij: hoc est triduo postquàm amici Neoburgum ueniissent. Ea res quanquam peracerba erat in animo Alphonsi, simulabat tamen externam lætitiam quantum poterat, ut modis omnibus fidem faceret fratri, se nihil aliud uelle aut optare quàm quòd Ioanni quem se mirificè amare prædicabat, gratum atque optatum uideretur. Pridie ante profectionem, post cœnam, hoc est uigesimo quarto die Martij, quum postridie summo manè esset profecturus, conuenit fratrem seorsum, eúmque ad constantiam in professione ueræ religionis adhortatus est. Promittebat quoque se & sua omnia ad arbitrium Ioannis fore perpetuò paratissima. Quin & nolenti obtrusit quatuordecim coronatos, ut emeret nouas uestes: quos inuitum ac repugnantem penè uiolenter accipere coegit. Itaque additis ultro citróque plurimis uerbis, quæ teneritudinem fraterni pectoris ac uerum amorem testarentur, non sine magna ui lachrymarum tandem utrinque discessum est cubitum. Postridie summo diluculo, hoc est uigesimoquinto die Martij, paratur currus Neoburgensis, in quo Alphonsus cum suo carnifice Augustam ueherentur. ibi rursus in discessu nouæ lachrymæ profunduntur. sed tamen recessit omnino frater Alphonsus, & Ioannes mansit cum amicis Neoburgi: qui profectò seriò sibi gratulabātur, quòd eo tandem homine essent liberati, quem semper omnes habuerant suspectū. Denicq; cùm Bucerus & Frechtius existimarent iam esse in tuto omnia, uoluerūt & ipsi eodem die post prandium proficisci.

Alphonsus spe frustratus.

Discessus Alphonsi.

Vbi ad portam Augustanam uenit Alphonsus, non passus est ut auriga urbem intraret, sed coegit eum per mœnia circumire, donec tandem in domum, in qua esse uolebat, magno quidem dispendio itineris, sed tamen magis occultè duceretur: ne uidelicet in urbe ab aliquo cognosceretur, qui postea ingens illud facinus impediret, quod in animo suo patrare constituerat. Tandem ubi eum in hospitio suo deposuisset auriga, dixit illi Alphonsus, uelle se postridie summo manè in Italiam proficisci: sed tamen uelle quoque ante profectionem scribere literas ad fratrem, & proinde orabat eum, ut priusquam Neoburgum reuerteretur, ueniret ad se, apud quem inuenturus erat postridie paratas literas. Promisit auriga: & sequenti die summo manè, hoc est uigesimo sexto die Martij, uenit ad hospitium Alphonsi sicut antea promisserat, ut literas ab eo ad Ioannem fratrem acciperet. Responsum est aurigæ, Alphonsum esse in lecto: & quia præcedente nocte in longum tempus protraxerat compotationē, altū adhuc dormire. Credidit auriga, & rogatus à domesticis ut intra unā aut alterā horā reuerteret, recepit se facturū. Sed hæc omnia inter ipsos ignorante auriga de cōposito gerebant, ut istiusmodi fraudib. auriga diutius detineretur Augustæ, quò plus esset spatij parricidis ad suū facinus magis impunè ppetrandū. Cū igit auriga secūdò rediret ad Alphōsum, dictū est, illū iā esse pfectū in Italiā, nec potuisse Augustæ literas scribere: sed tñ promisisse se ex Oeniponte scripturū. Itaq; numerata aliqua pecuniola, dimiserūt aurigam placatū, qui planè uerum esse credebat quod de Alphonso sibi fuerat narratum.

narratum. Ac ipse quoq; paulo pòst cum suo socio, qui pridie in eodem curru cum Alphonso uenerat Augustam, rursus Neoburgum proficiscuntur. Circa horam eius diei duodecimam peruenerunt in oppidulum Bothmes, quod in medio ferè itinere inter Augustam & Neoburgum est positum, & abest fermè tribus milliaribus ab utroq;. Ibi præter opinionem inuenerunt in diuersorio Alphonsum, qui adhuc erat in mensa, & cum eo assidebant qui cum ipso uenerant, suus carnifex & nuntius Augustanus quem secum adducebat ignarum suorum consiliorum: pręterea eius oppidi sacrificulus quidam, & alij conuiuæ. Alphonsus ubi aurigã cum socio uidit, non leuiter fuit perturbatus: quorum opera futurum uerebatur, ut quod ipse iam in animo suo patrare proposuerat, uel impediretur, uel perturbaretur. sed composito ad hilaritatem uultu, orauit aurigam ut ipse cum sodalitio mensæ assiderent. Quod principio illi, quia multi erant, & domum properabant, facere recusauerunt. cùm uerò ille magis instaret, tandem assederunt omnes. Inter prandendum, nouo atq; inaudito commento, quod tum primùm in mentem uenit, aurigam aggreditur. Ait sibi præter opinionem oblatum esse negotium magni momenti, de quo fratrem Ioannem ex eo loco deberet facere certiorem. Sed quoniam prius essent quædam, quæ ad hanc rem pertinerent in eo loco perscribenda, in quo illo die manere constituissent, orauit ualdè officiosè aurigã cum suo socio, ne grauarentur eodem die cum ipsis manere, & quidem suis sumptibus, ut postridie per ipsos uidelicet homines notos & fideles ea quæ uellet fratri posset nuntiare. Illi uerò etsi libentius eodem die domum peruenissent, tamen ut gratificarentur Alphonso, qui anxiè hoc postulabat, & permagni eius interesse putabant, manere cum eo illo die uoluerunt. Post prandium autem, ubi hoc inter eos fuit constitutum, utrinque discessum est. Auriga curauit quædam sua: Alphonsus cum suo carnifice ad alia multò horribiliora negotia se contulerunt.

Alphonsus ad mendacia confugit.

Securis ad parricidiũ perpetrandũ empta.

Consultabant inter se rationem & modum, quo in fratre interficiendo uti deberent: & quia longo & usitato gladio non bene id fieri posse uidebant, securim ad hoc facinus perpetrandum accommodatam, in illo oppido emere constituerũt. Sed rursus hic noua adhibetur cautio. etenim ab artifice qui eas uendebat, emere securim noluerunt, ne hac occasione in aliquam ipsi uenirent suspicionem. sed cùm fortè fabrum quendam lignarium, securi ligna dolantem uidissent, eum accedunt, & rogant utrum securim aliam haberet uænalem. faber illis proposuit aliquot, ex quibus unam elegerunt, quam ad facinus quod instituerant aptissimam esse iudicarunt. Deinde numerata pecunia fabro, qui postea rem omnem prodidit, ipsi domum reuertuntur, in qua præter hospitem domesticum & nuntium Augustanum, qui cum eis uenerat, neminem inuenerunt. Ibi significarunt hospiti è uestigio sibi esse aliquò proficiscendum, unde citò erant reuersuri: & quia nolebant suos equos in eo itinere defatigare, iusserunt ut noui, sed celeres & boni, ipsis pararentur. Vbi fuerunt parati equi, conscendit Alphonsus, conscendit carnifex: tertius etiam comitatur nuntius Augustanus, ignarus rerum omnium: sed quia liberaliter illi soluebant, sequebatur quamuis ægrè, parricidas.

Interea temporis Alphonsus cum suis, posteaquàm equos conscenderunt, intra pauculas horas peruenerunt ad pagum, qui uulgo dicitur Veldkirchen, prope ipsum oppidum Neoburgum situm, ibiq; illa nocte pernoctarunt. Sequenti die, hoc est XXVII. Martij, antequàm portæ aperirentur peruenerunt Neoburgum. & cùm nondum planè diluxisset, ac portæ oppidi iam paterent, descenderũt de equis, eosq; ad sepem alligatos, in custodia nuntij reliquerũt. Ibi carnifex Alphonsi famulus, accepit uestem & pileum nuntij, ut minus in oppido agnosceretur: eóque modo deformatus, ingreditur cum suo domino in oppidum. Carnifex præcedebat, parricida sequebatur. nam sic inter eos conuenerat,

conuenerat,ut carnificis manu,qui alioqui dexterior erat,facinus perpetraretur: ipse uerò parricida præsto adesset suo carnifici, ut si necessitas aliqua postularet,aut parum feliciter negotium succederet, opem ferret facinoroso nebuloni. semper itaq; sequebatur Alphonsus parricida uestigia famuli carnificis. Isto igitur modo deformati ingrediuntur oppidum, & in ædes concionatoris,in quibus Ioan. erat hospitio exceptus,perueniũt. Ibi primùm pulsat carnifex, & interrogat fratrem concionatoris, qui ianuam aperuit, ubinam esset Ioan. Diazius, ad quem literas ab Alphonso se adferre prædicabat. respondit iuuenis domesticus,qui antea quoq; probè nouerat hũc famulum & Alphonsum,Ioannem quidem esse adhuc in lecto .sed quid sibi uellet illa noua forma uestitus,aut quid significaret illa uestis mutatio? Carnifex autem ne ibi prodereturcoegit ascendere iuuenem,& Ioanni nũtiare,se ibi adesse cum literis fratris. Vbi hoc intellexit Ioannes Diazius, exilijt cum magno impetu de lecto auidus agnoscendi quid fratur significaret. Ac præ nimia festinatione nullas accepit uestes,præter leuem quandam penulam, qua sola tectus una cum pileo nocturno egreditur cubiculum atq; hypocaustum,quod eregione cubiculi positum est,ingreditur,in quo uenientem famulum exciperet. Ascendit carnifex,à iuuene,quem antea nominaui,deductus: ad ianuam inferiorem, quæ gradus claudebat,mansit Alphonsus,ut ingressum obseruaret, ne quis ascenderet qui facinus impediret. Cùm igitur in hoc statu essent negotia,satis ut apparebat perturbata propter præsentiam iuuenis qui celeritatem facinoris impediebat,missus est iuuenis ad fontem,ut inde adferret poculũ aquæ. Digresso igitur ad hunc modum iuuene,carnifex,qui solus cum solo manserat, exhibuit literas fratris,quas ex Augusta missas dicebat: cùm alioqui parricida improbus illis esset proximus in gradibus. Ioannes accepit literas, & quoniam uixdum diluxerat,accessit ad fenestram, ut eo lumine paulatim inclarescentis diei facilius legeret,quod in literis continebatur. Sententia autem epistolæ,ut postea amicis compertum est,qui eam legerũt,talis erat,Dicebat sibi esse nuntiatum,cum primùm Augustam peruenisset,ipsum esse in magno periculo: ac proinde fraterna pietate motum eum admonere uoluisse, ut diligenter sibi caueret ab insidijs Maluendæ,Confessoris,& similium, qui omnes tanquam inimici Christi propter uerę religionis professionem,eius sanguinem modis omnibus profundere conarentur. Alia etiam quædam in hanc sententiam fraudulenta uerba fictitiæ literæ continebant. Tandem cùm intentus esset lectioni literarum Ioannes Diazius, carnifex qui à tergo stabat, exeruit securim, quam hactenus sub pallio tectam occultauerat,eamq; in dextrum latus capitis circa tempora uiri sancti, totam usq; ad manubrium inseruit. Et quoniam uno quasi momento fuerunt læsa & planè destructa omnia organa sensuum in cerebro,nullam edere uocem potuit uerè glorioſus hic martyr Christi. Deinde,ne corpus iam penè exanimatum sua sponte concideret,suaq; ruina strepitum in ædibus excitaret, qua occasione in ipso facinore deprehenderentur parricidæ,carnifex,qui facinus perpetrarat,utraq; manu prehendit corpus,ac humi reclinatum,& securim in ipso capite insertam, in medio hypocausto reliquit: postea ad suum herum parricidam,paulatim gradus descendit,quę quidem omnia tanta celeritate & silentio gesta sunt,ut nullus interim uel interuenire,uel exaudire rem gestam potuerit. Claudius uerò Senarcleus,iuuenis nobili loco apud Sabaudos ortus unà cum Diazio tum cubabat,atq; in lecto remanserat: sinistra tamen nescio qua suspicione perculsus statim de lecto exilit, & arreptis uestibus ingredi uoluit hypocaustum,ut quid ageret Diazius uideret. egressus igitur cubiculum, audit primùm calcaria parricidarum, qui erant in ipsis gradibus: & quoniam dubitabat utrùm ascenderent an uerò descenderent, clausit ianuam graduum, & rectà ingreditur hypocaustum, ut ibi uestes

Parricida & carnifex ingrediuntur hospitium Diazij.

Sententia epistolæ quã scripserat Alphonsus.

indueret. Cùm primùm illud ingressus est, & spectaculum quod in ea humi re clinatum iacebat, uidit, totus cohorruit, & præstupore cecíderunt uestes de manibus, uoxq; ipsa faucibus hęsit intercluſa. Tandem ubi se recollegit, accessit ad amicum, quem humi prostratum uidebat, in cœlum conuersis oculis, complicatis manibus oranti símilem, pertenuis restabat in eo uitalis spiritus, qui ad unam fermè horam durauit. Interim ipse quando aliquam de Deo mentionem audiebat, se intelligere tenui quodam oculorum indicio præbebat significationem. Claudius uerò mox conuocauit domesticos omnes, qui adfuerunt tristissimi spectaculi atq; horrendi facinoris spectatores. Illi facinus perpetratum inter uicinos diuulgarunt ea celeritate, ut rei gestæ esset per uniuersam plateam iam peruagata fama, priusquam parricidæ essent egressi portam ciuitatis. Paulatim quoq; res delata est ad magistratum oppidi & ad præfectũ arcis, qui nomine illustrissimi principis Ottonis Henrici Palatini locum & gubernationem tenet. Isti quoniam erant uiri honestissimi, & in uera religione præclarè instituti, sciebantq; Ioannem Diazium propter excellentem uirtutẽ atq; pietatem fuisse Christianissimo principi Ottoni charissimum, sine mora constituerũt aliquot equites qui celeri equorum cursu parricidas insequerentur. Itaque post cædem factam usque ad tempus quo equites insequuti sunt facinorosos, uix semi horæ spatium est interpositum. Parricidæ qui eos præcedebant, cùm audiretur hora septima, iam erant in oppido Bothmes, ubi relictis equis iam prorsus delassatis, suos qui erãt pulchrè habiti & requieti, conscenderunt, in quibus celeri cursu Augustam contenderunt. Iam uerò equites Neoburgenses, qui parricidas insequebantur, ubi Augustã peruenissent, ibiq; certò accepissent multò antea ulterius esse progressos, consultare inter se cœperunt de redeundo, quia se assequi posse præcurrentes diffidebant: sed inter eos extitit quidam cæteris ætate minor, cui nomẽ erat Michaeli Herpffer, qui præ reliquis ingenti zelo permotus, dicit amicis qui secum uenerant: Amici, uobis quidem si ita uidetur, integrum erit redire domum: nam quòd attinet ad præsens negotium, tantùm meo iudicio uel unus solus præstare poterit, quantùm alioqui magna hominum multitudo. Ego istam curam ad me recipio, ac sanctè uobis promitto me in hoc negotio extrema omnia tentaturum, nec prius cursum intermissurum, si suppetent uires & uita perstabit, quàm parricidas ipsos fuerim assecutus. Et cum hoc dicto denuò conscendit equum, & facinorosos insequitur. Cucurrit toto illo die usque ad noctem, donec peruenit ad oppidum quoddam quatuor milliaribus ab Oeniponte situm, quo in loco intellexit parricidas adesse. Ibi iussit accersiri hospitem, cuius in diuersorio parricidas esse intellexerat. Hospes aduenies narrauit eos dormire, ac mandasse familiæ, ut antequam hora integra elaberetur, ipsos è somno excitaret. Michael admonuit hospitem, homines esse facinorosos, qui tantum facinus perpetrassent, quantum à memoria hominum post primum parricidium, nullum extaret: mandauit autem hospiti silentium, deinde ut eos duas integras horas dormire permitteret. Ipse uerò linteis & pannis obligauit pedes equorum, ne fortè strepitu solearum in plateis excitarentur è somno parricidæ, magnaq; celeritate ad Oenipontem contendit, ubi eos aliquot horis anteuertit. Cùm primùm ad ciuitatem peruenit, magistratum admonuit, flagitium parricidarum narrauit, & eius fidem atq; auxilium, ne tantum facinus maneret impunitum, implorauit. Magistratus suum auxilium & diligentiam in hoc scelere puniendo promisit. Admonetur præterea hospes in diuersorio, ubi diuerte re cogebantur, ut si quando tales uiri ad se ueniissent, non prius illos abire permitteret, quàm eos adesse magistratui significasset. Paulò post aduenium parricidæ, eosq; iam aduenisse mox indicauit hospes: ibi tum aliquot armati equites mittuntur, qui ædes obsederunt, ne quà facinorosi elaberentur, alij pedites ministri

Exitus Ioan. Diazij.

Equites Neoburgẽses de redeundo consultant.

Parricidæ reperti.

miniſtri publici ædes ingrediuntur,ut parricidas comprehenderent: qui cùm uiderent ſe hoc modo circunuentos, incœperunt clamare cœlum & terram, teſtari omnia ſacra & prophana, ſe nobiles eſſe uiros Cæſareæ maieſtatis legatos, qui ad peragenda negotia grauiſsima totiq; Reipublicæ ſalutaria ab ipſo Imperatore mitterentur. Sed apud eos qui eorum parricidium iam nouerant, & uaniſsima eſſe quæ dicerent omnia ſciebant, nihil iſtiuſmodi falſi clamores & conficta mendacia ualuerunt. Primùm itaq; Alphonſum, qui uiribus miniſtrorum non potuit reſiſtere, comprehenderunt. Carnificem uerò, qui uiribus & audacia ualebat, & miniſtris publicis audaciſsimè obſiſtebat, uix tandem poſt longam pugnam, nec ſine aliquot uulneribus comprehendere potuerũt. Tandem ubi ad hunc modum parricidę fuerunt in carcerem detruſi, Michael qui negotium perdiligenter curauerat, celeri curſu equorum ſignificauit rem geſtam Neoburgenſibus. Illi uiciſsim illuſtriſsimo principi Ottoni Henrico Palatino, qui audita captiuitate parricidarũ, diſertè mandauit, ut in perſequenda illa cauſa in iudicio cõtra parricidas, nullis ſumptibus, nullis laboribus parceretur. Sunt igitur conſtituti duo uiri principis conſiliarij præſtantes, qui è Neoburgo, nomine principis Ottonis Oenipontem proficiſcerentur: quorũ alter nobilis Thomas Reduuiz, alter iuris utriuſq; Doctor, Gulielmus uocabatur. iſti duo per celeres equos profecti Oenipontem primo die Aprilis peruenerunt, tanquam actores, ut intenderent parricidij crimen aduerſus captiuos, & ſecum attulerunt pileum nocturnum Diazij, fictitias literas fratris, & ſecurim ſanguine ſanctiſsimi martyris Diazij undiq; reſperſam, ut ſi fortè parricidæ inficiarentur factum, certiſsimis teſtimonijs euincere poſſent. Interim autem conceſſum Alphonſo parricidæ fuit, ut ſcriberet literas ad Cardinales Tridentinum & Auguſtanum, qui nihil omiſerunt, ut à merito ſupplicio parricidas liberarent.

Comprehendũtur parricidæ.

Principis Ottonis Palatini mandatum.

Alphonſus auxilium petit à Cardinalibus.

Secundo die Aprilis legati Neoburgenſes poſtularunt ut ſupplicium de parricidis ſumeretur, ab ijs qui Regis Ferdinandi nomine præſunt gubernationi Oenipontanæ. Hi reſponderunt, non eſſe ſuarum partium capitale ſupplicium de quoquam ſumere: ſed mandaturos iudici Sunenburgenſi, ut is aſſeſſores ſuos ſine mora conuocaret, quorum authoritate iudicium erat inſtituendum. Eodem die à prandio gubernatores Oenipontani curauerunt per duos, quos illi ſecretarios uocant, denuntiari parricidis aduentum & accuſationem legatorum Neoburgenſium. Audito nũtio & accuſatione, apud iſtos duos Secretarios uterque parricida factum negauit: ſed miniſter conſtantius, Alphonſus uerò timidius, & mutatione coloris ac uultus ſignificationem uulneratæ conſcientiæ clarè oſtendebat. Supplex tamen orauit, ne quid præpropere de ſe ſtatuerent. Eodem die inter primam & ſecundam horam pomeridianam, translati ſunt parricidæ à publico illo loco ſupremi iudicij. ubi primũ fuerãt collocati, ad cuſtodiam ciuitatis Oenipontanæ, quo in iudicio breuior ſententia ſperari poſſe uidebatur.

Acta iudicij.

Sequenti die, qui tertius erat Aprilis, Legati poſtularunt ut parricidæ tormentis ſubijcerentur. Id uerò non ſolùm non eſt factum, uerumetiam aduocati nomine Regiminis ſunt parricidis deſignati, nobiles uiri & iuriſconſulti, Vlrichus Schmatzer, & Georgius Hipp, utriuſque iuris doctores, & Michael Schenck, & Chriſtophorus Grumperger. Reclamabant ad hoc fortiter legati, affirmantes neq; humano iure neq; Diuino cõceſſum eſſe, ut in tanto tamq; manifeſto ſcelere patronus reo concederetur. Sed hæc deuoranda fuit legatis iniuria, qui cauſam iuſtitiæ ac ueritatis uolebant defendere, ne tantum facinus maneret impunitum, adeò iudicum animos fregerant improborum hominum ſolicitationes. Conſtituto igitur die, rei producti ſunt in curiam oppidi, ubi legati Neoburgenſes eos accuſarunt: pileum cum literis & ſecuri exhi-

Parricidis patroni & aduocati dantur.

buerunt. Aduocati uerò detrectantes respondere ad legatorum Neoburgen sium accusationem, forum declinarunt exceptione clericatus, petiueruntq; il los tradi iudicandos eius loci ordinario episcopo Brixiensi, qui est idem Tridentinus, Cardinalis. Legati sedulò instabant, petentes iudicium secundum morem eius prouinciæ sicut par erat, quia nolebant eam disputationem ingredi de competenti foro & priuilegijs clericorum, quibus aduocati extrahere illos nitebantur.

Exceptio declinatoria.

Iudices per interlocutoriam pronuntiarunt, aduocatus cum parricidis debere de responsione ad accusationem legatorum inter se constituere, eamq; tertio inde die, hoc est, *x* Aprilis, ad horam septimam ante meridiem in iudicio exhibere. Et siue responderent, siue minus, iudices nihilominus facere debere quod iuris esset de more regionis. Eo die cùm rursus in iudicium uentũ est, aduocati cœperũt urgere exceptionem de clericatu, & tradendis reis ordinario iudici. Legati contrà urgebant superius dictam sententiam interlocutoriam. Iudices itaq; secundò pronuntiarunt, reos & aduocatos citra ullam exceptionem aut ulteriorem dilationem respondere debere ad accusationem legatorum: sed alterum illis terminum designarunt, diem, Aprilis *xii*, & quanuis eo tẽpore non responderent, debere tamen fieri quod ius & consuetudo prouinciæ postularent. Iam uerò *xii* die, qui ultimus terminus ad respondendum in iudicio fuerat constitutus, non solùm nihil actum est ab aduocatis reorum, sed ne Legatos quidem Neoburgenses ad agendum iudices admiserunt, contra id quod ipsi de iure ac more regionis antè iudicauerant. Hæc uidentes Legati protestati sunt nisi in iudicio maturè & ordine, sicut par erat, procederẽt, se uelle grauiter de hac iniuria conqueri suis principibus, non solùm propter sumptus, qui permagni fiebant (nam impensis ipsorum iudices conuocabantur, & dum iudicij causa aderant, sustentabantur) sed etiam quòd nulla fieret apud istos parricidas matura inquisitio eorum consiliorũ, quæ aduersus Euangelij professores Romę aut in alijs locis capta essent. Audita protestatione horum, Regẽtes illis responderunt, iudicẽ habere mandatũ, ut postridie, hoc est, decimo tertio Aprilis, in iudicio progrederetur. Is autẽ iudex paulò pòst condixit legatis horam sequentis diei duodecimam: ad quam in locum iudicij legati comparuerunt. adeo nullam occasionem prætermittebant, quanuis ludibrio se haberi à iudicibus uiderẽt: qui puerorum more in ista causa pro suo arbitrio ludebant. Hora igitur constituta aderant legati: sed aduocati parricidarum neq; aderant, neq; inueniri poterant: quos cùm iudex satis diu expectasset, iussit tandem eos uoce præconis è curia uocari. cumq; nec sic uocati adessent, iudex in causa procedere uolebat. Ibi demum aduenerũt aduocati, & primùm conquesti sunt grauiter de uocatione per præconem facta. deinde petiuerunt spatium respondendi usq; ad horam tertiã: quod iudex illis permisit. Interim aduocati apud consilium regiminis egerunt, ut iudex hora demùm sexta responsum daret: atq;, ut aiebat, ex mandato Regentum, legatos debere suã accusationem contra parricidas in iudicio antè propositam, curare uertendã in linguam Latinam & Hispanicam: eoq; facto, tum demũ imponendum esse reis ut responderent. quod apertè contrarium erat primæ & secundæ interlocutoriæ sententiæ: maximè autem secundæ, quę diserte omnem ulteriorem dilationem & exceptionem præciderat. Cùm itaq; legati uiderent tam indignis modis protrahi iudicium, aliam rursus postulationem exhibuerũt in consilio Regiminis, circa horam octauam sequentis diei, qui Aprilis erat *xiiii*, in qua de ista ludificatione iudicij, & iniuria quæ suis Principibus & toti causæ fieret, grauissimè querebantur.

Protestatio Legatorum Neoburgensium.

Lecta illa petitione legatorum, consilium Regiminis, hora inter nonam & decimam eius diei, legatos in consilium admiserunt: atq; illis præsentibus legerunt

runt ſcriptum Imperatoris, quod per ueredarios eodem die ſe accepiſſe affirmabant. Illud autem datum erat in urbe imperiali Dinckelſpihel, IIII Aprił. in quo mandabat Imperator, ut totum huius parricidij iudicium ſuſpenderetur: de quo ipſe cum fratre Romanorum rege in præſentibus comitijs uolebat iudicare. Auditis igitur iſtis literis, alter legatorum Neoburgum rediit, quia nullam ſpem conſequendæ iuſtitiæ reliquam habebant. Palàm enim quidam pontificiæ impietatis ſectatores, præcipuè autem Hiſpani, in urbe Oeniponte dicebant, parricidas feciſſe quod iuſtum eſſet. nam qui hæreticum interficiat, eum iam eſſe à Pontifice abſolutum. Scripſerunt interea illuſtriſsimi principes, Elector Palatinus & Otto Henricus, ad regentes Oenipontenſes, ut parricidæ ſub cautione conſtituerentur in oppido Neoburgēſi, quo in loco perpetratum erat parricidium, aut certè permitterent, ut ipſi illos iudicarent prout iure gentium deceret. At illi ſine alia reſponſione, ſcriptum Imperatoris obiecerunt. Communes deinde ſtatus Proteſtantium Ratisbonæ ter apud Imperatorem inſtiterunt, ut permitteret ad finem iſtius iudicij, ſicut cœptum erat, perueniri. Sed nullum ab eo reſponſum acceperunt. Quæ omnia Papæ cum ſuis Cardinalibus accepta ferenda ſunt, qui ad defenſionē ſuorum carnificū, totam iſtam cauſam inſtituerunt. quibus etiam debemus reſponſum datū gubernatoribus Neoburgenſibus Ingolſtadij, ad libellum ſupplicem quem ipſi obtulerunt Imperatori, cum hoſpes eorum eſſet Neoburgi: in quo reuerenter ab eo poſtularunt, ut mandaret iudicibus in Oeniponte, ante quorum tribunal iſta cauſa pendebat, ut iudicium maturarent. Quibus nihil aliud reſponſum fuit, quàm Imperatorem non habere poteſtatem mandandi in ea regione quę ad fratrem regem Romanorum pertineret: apud quem, ſi quid eſſet impetrandum, inſtare oporteret, cùm alioqui paucis antè diebus mandatum eſſet datum in urbe Dinckelſpihel, nomine Imperatoris, de ſuſpendendo iudicio.

Scriptum Imperatoris profertur.

In hoc igitur ſtatu erant negotia parricidarum: cum quibus etiamſi eos Papa abſoluat, non poterit non agi peſsimè. Interea habent fideles exemplum in iſtis duobus fratribus coram oculis propoſitum, multis nominibus admirandum, plenum fraudis, crudelitatis, malitiæ, impietatis: rurſus plenum innocentiæ, manſuetudinis, gloriæ, grauitatis, conſtantiæ, ueræ religionis. Deniq; totum exemplum tale eſt, cui uix ſimile ullum in hiſtorijs memoriæ proditum reperiri queat, præter exemplū primi fratris parricidæ Cain, qui propter eandem ueræ religionis profeſsionem, innocentiſsimum fratrem Abelem interfecit, ad quam imaginem hæc ipſa plenè facta atq; exculpta uidetur.

Exemplum memorabile in Diazio.

Quanquam uero parricida Alphonſus hoc tempore liberatus fuerit, tamē paulo pòſt diuino iudicio horrendas pœnas luit: nam Anno 1552. in concilio Tridentino inuētus eſt ſe ipſum ſuſpendiſſe, idq; à collo ſuæ mulę, ut Io. Manlius diligens Phil. Melanchtonis dictorum obſeruator ædito libello prodidit.

STEPHANVS POLLIOTVS Lutetiæ cum libris exuſtus Anno 1546.

STephanus Polliotus in oppido Saint Dauberuille natus uicino urbi Caudebeck quæ eſt in Neuſtria armorica quam Normandiam uocant, relicto natali ſolo in Meldarum oppidum ſe contulit. Eo in loco diu nō deſedit quin ab hoſtibus ueritatis Euangelicæ acerrimè uexaretur, adeò ut diſceſſum adornare & parare, atq; urbe excedere cogeretur. Haud ita multò pòſt rectà inde contendit Feram, Tretenenſium oppidum, quod à Sueſsionibus decem milium interuallo abeſt. ibi porrò comprehenſus eſt & Lutetiam deductus, atq; in uincula coniectus: in quibus diu multumq; aſſeruatus in magno ſqualore & pædore uerſabatur. Tandem quando in mentem Senatoribus uenit, illius ampliſsimæ Curiæ decretum factum eſt quo lingua ei amputaretur, uiuusq; cremaretur inaudito & planè nouo modo. ſarcina enim librorum illius humeris impoſita cū martyre exuritur.

Sarcina librorū humeris impoſita cū martyre exuritur.

ris impoſita eſt, cum qua exuſtus fuit. Cùm uerò è carceribus Curiæ ſupremæ ad ſupplicium duceretur, antequam lingua præciſa eſſet, his ferè uerbis locutus eſt, Hei Deus bone, mundúſne adhuc in tenebris & denſiſsima ueritatis ignoratione iacet? Exiſtimabat enim uir pius, dum tetro carcere incluſus ſolem hunc nõ intuitus eſſet, Chriſtum, uerum iuſtitiæ ſolem homines uerbi ſui cognitione illuminaſſe. Hic Stephanus clariſsimus Ieſu Chriſti martyr, ſuppli cium mortis atrociſsimæ patienter, placidè & ſedatè pertulit Lutetię in platea Maubertina, anno circiter *M.D.XLVI.*

De ſacerdote pio in Germania occiſo.

PRinceps quidam ualde ſuperſtitioſus (cuius nomen ob honeſtam familiã & eos qui uerbo Dñi in ipſius aula adhærent reticere uolo) ſacerdotẽ exoculauit ob nullã aliã cauſam, quã quod Miſſam dixerat ſacrificiũ non eſſe eo intellectu, quẽ maior pars ſacerdotũ uellet defendere. Necꝫ ſtatim de eo pœnam ſumpſit, ſed diu eum in carcere uariis tormentis uexauit. Et anteꝫ ſpiculatori daret, degradatus fuit, hoc eſt, dignitas ſacerdotalis illi adẽpta eſt miris ludificationib. & crudelitate plus ꝯ Barbarica (id qđ & ſupra in Ioanne Huſſo contigerat.) Orbẽ etiã illi in capite raſerunt, ſale humectarunt, & aſsiduis fricationibus contriuerunt, ut ſanguis ad humeros proflueret. Similiter & digitos unctos maximis doloríb. affecerunt, ut ſacri olei ne odor quidem remaneret. Tandem conſtans martyr poſt quartum diem ſpiritũ Deo tradidit. Hęc ex ſecundo tomo Conuiualium ſermonum Ioannis Gaſtij.

SAINTINVS NIVETVS, extremum uitæ ſpiritum acerbiſsima morte profudit Pariſiis, anno eodem.

SI quis hiſce noſtris temporibus unquam extitit qui cultus diuini profanationem feruido animo deteſtatus eſt, & cui hæc uita iniucunda fuit ꝓpter horrendam Eccleſię ruinam, quę ſub crudeliſsimo Papatus dominatu conſpicitur: ſi quis præterea præſenti paratáꝫ uoluntate ſe unquã morti obtulit pro tuenda & defendenda Dei gloria: is certè Saintinus Niuetus Meldenſis fuit. Cùm enim *xiiii* illi inſignes Martyres quorũ hiſtoria ſuprà deſcripta eſt, Meldis cõbuſti fuere, quæſitus ſe recepit aliquãtiſper cum uxore in eas regiones, inquibus publicè & ſumma libertate Euangelium annuntiatur. Animaduertens aũt ſe Mombeliardi inutilem eſſe & eccleſiæ tantũ oneri: erat enim membris penè omnib. captus ac debilis, conſtituit ad certamen reuerti: à quo inſtituto nullis neꝫ Miniſtrorũ eius loci, neꝫ uxoris ſuæ admonitionibus abſtrahi potuit: imò uerò uxori reſpondebat, ſe cõmodius & tutius illic agere, quã ob cauſam ignaui & inertes redderent: breuiter rurſum ſe periculis expoſitũ cupiebat. Itaꝫ Meldarum in oppidum redijt, atꝫ in nundinis quę ibi ad diem feſtum S. Martini celebrantur, nonnullas exiguas merces publico foro uænales expoſuit. Illico agnitus fuit & in carcerem compactus: ipſius denicꝫ cauſa ſine mora & confeſtim inſtructa & confecta fuit. nihil enim opus erat inquiſitionibus aut teſtium productionibus. Nam longè plura ipſe ſponte confiteba-

Reſpõſio martyre digna.

tur, quàm iudices uel poſtularent uel audire cuperent. Iam uerò cùm aliquod doctrinę Chriſtianæ caput proponeret, & iudices ei dicerent his uerbis, Vis ne hoc tueri ac defendere? fidẽter reſpondebat, Et uos Iudices, audebitis pernegare quod tam apertè uerum eſt & teſtatum? Quæ quidem reſponſio inprimis digna eſt memoria & accurata obſeruatione. Enimuerò tantum abeſt ut ſibi gratiam fieri poſtularet, ut etiam Meldis & Pariſijs iudices precibus obſecraret, ut tandem aliquam ſuarum animarum rationem haberent, & ſalutis ſuę curam ſuſciperẽt, ſecumꝫ perpenderent quantum ſanguinis innoxij iam crudeliter effudiſſent, quotidie bellum ſuſcipiendo aduerſus Ieſum Chriſtum ac

eius

eius Euangelium. Equidem dubium non est quin eiusmodi grauissimis exhortationibus delicatæ Senatorum aures magnopere offenderentur, præsertim uerò M. Petri Liseti, qui tunc temporis Senatui Parisiensi præsidebat, qui tum Meldis Regis uice ius dicebat, conspicatus illius hominis constantiam supplicibus uerbis orauit præsidem, ut eum Meldas non remitteret ad supplicium, ne ut dicebat, uir tam peruicax & obstinatus, lõgè deterior XIIII illis prædictis clarissimis Martyribus, omnium ciuium fidem pergeret labefactare & corrũpere, hoc est, populum ædificare & ueritate ad syncerum Dei cultum informare. Quocirca curauerunt iudices ut præclarus ille Domini nostri Iesu Christi martyr Lutetiæ Parisiorũ uitam pro doctrina Euangelica redderet, anno ferè M.D.XLVI. qua in morte nullum crudelitatis (quam acerrimi ueritatis hostes quotidie aduersus seruos Dei excogitãt & exercent) genus prętermissum est.

Historia de Canonico Ratisponensi ob Euangelij doctrinam incarcerato ex lib. 3. Conuiual. quæst. Ioan. Gastij.

CAnonicus fuit Ratisponæ, non solum nobilis antiqua prosapia, sed etiã moribus placidis, eruditione multijuga, mansuetudine insigni erga omnes, fortitudine plusquam herculea, præditus. Is grauatus ob Lutheranismum inuidia, quem tamen nondum adprobarat, nec uerbis nec factis. Etsi legeret libellos passim editos summa diligentia, ac notaret propria manu insigniora loca, quæ legendo occurrebant, præcipuè aũt ea, quæ sacerdotum uitia & luxum reprehendebant asteriſco signabat. Cœpit tandẽ abhorrere animus à sacerdotum, præcipuè Canonicorũ moribus, quos aliqñ data occasione, taxare solitus amaris uerbis propter inordinatã uitam, quæ speculũ lucidum uulgo esse dicebat. Nec etiam episcopo summo parcebat, si in illius mentionem incidisset. Verùm propter liberam illam reprehensionem, qua utebatur, à Canonicis, consentiente Episcopo uitijs non dicendis obruto, in carcerem coniectus est. Clàm enim illius ædes noctu aperuerunt armati milites, piumq; reprehensorem dormientem rapuerunt, abduxeruntq; silente nocte, ne quis tumultus fieret in populo. Post dies aliquot examinatores constituti ex canonicis partim, partim episcopalibus quos mittere uolebant ad captum uirum, quo illius fidem explorarent, aut subdolis uerbis eum caperent, aut in nassam inescatam propellerent. Præscribunt articulos ad fallendũ aptissimos, confingunt quædam scelera, quibus aut terrere hominẽ adflictum uolebant, aut irritare ad responsa incõuenientia euomenda. Die constituta summo mane cõglomerant examinatores in unũ locum. Sumpto cibo & potu adeunt hilari animo ad locum custodiæ. Extrahitur è carcere innocens, in mediũ examinatorũ uinctus constituitur. Episcopalis doctor primum ob dignitatis præstantiam interrogandi habet locum: Domine Canonice, inquit, Episcopus reuerendissimus nos ad te misit, cui dolor ingens est tua captiuitas cùm ob senectutem tuam, tum ob ueterem amicitiam. Quo rationem tuæ fidei nobis sine omni trepidatione, exponas: Nouit enim te seductum peruersa doctrina, ab ecclesia iam olim catholica condemnata. Lutheri adprobas doctrinam, quæ ris superstitionibus & hæreticis cauillationibus totum ferè mundum dementauit, euertitq;. Qui semel illum audit, aut impia illius scripta legit, seducitur, ab ecclesia Romana auellitur, sacerdotum fit osor, & totius religionis & ceremoniarum ecclesiasticarum contemptor. Etsi optime sciat, quod isti homines nec reuocentur blandis uerbis ad saniorem mentem, nec minas ignemq; curent, nec promissionibus ditissimis mitigentur, quo imbibitam uenenosam doctrinam recantent: Nihilominus nos ad te sua dignitas misit, quem nondum pro membro putrido habet, bona spe ductus, te audita nostra admonitione reuersurum, publicam in ecclesia pœnitentiam acturũ iuxta ueterẽ consuetudinem,

Noctu dormiens captus.

quo reliqui ſacerdotes terrore perculſi, exemplo tuo edocti, à ſectarijs iſtis ab horreant, doctrinam illorum deteſtentur. Volumus itaq; te, ſi ſapis, reuocare in uiam ueritatis, errores Lutheri manifeſtos indicare ex ſcripturis ſanctiſsimorum patrum, ac Conciliorum. Ob id libere tuam fidem nobis ediſſere, medicinam tibi daturi ſumus ſaluberrimam & corporis & animæ, liberabimusq; te ab iſto carceris fœtore etiam craſtina die, ſi id hodie ab epiſcopo impetrare difficile fuerit. Ad quæ reſpondit canonicus alacri uultu, & imperterrito animo: Optimi, inquit, uiri, carcerem tenebroſum, in quem innocens coniectus ſum, libenter fero, quum Ioſeph, filij Iacobi innocentiam & caſtam uitam perpendo, & aliorum piorum uirorum qui grauiora paſsi ſunt, exempla me conſolantur. Carcer enim eſt paradiſus fidelium, in quo Chriſti lux illuminat mentes, diſcuſsis errorum tenebris. Fidei autem meæ rationem cur poſcitis? an ne ſcitis me eſſe Chriſtianum, baptiſmatis ſacramento in eccleſiam ſuſceptum? Verum ut & hac in re uobis morem geram, paucis accipite. Credo articulos fidei Chriſtianæ à parentibus imbibitos, & hi ſatis mihi ad ſalutẽ conſequendam, per quam fidem omnes Chriſtiani ſaluati ſunt, ac ſaluantur. Quis enim hos articulos non crederet, aut aliud ſtatueret ijs contrarium? Præterea neq; hoc celare uos uolo, qui ſanctitate phariſaico more præcellitis uulgus in Chriſtianiſmo, me eſſe miſerum ſcortatorem, habereq; domi tria ſcorta bellula, ſicuti & uos habetis in ædibus ueſtris: etſi ſciam ſcortatores & adulteros regnum dei non poſſeſſuros. Hocq; negare non poteſtis, quia id quotidie in templo canitis. Ebrietati ſtudeo, quemadmodum tota ſacerdotij dignitas facit. Non ne & epiſcopus noſter, quotidie uino Rhetico inebriatur, ac aliquando euomit heſternum uillum, ac dormit uſq; ad meridiem? Bona etiam eccleſiaſtica in canes, equos & hiſtriones profundo. Negate, ſi audetis, uos non idem ſtrenue facere? Non poſſum iactare meam pietatem, aut extollere eleemoſynas datas, nullos unquam inuiſi ægrotos, nullum unquam pietatis officium exhibui peregrinis, raro miſſam legi, quid in cauſa ſit, dominus, corduum ſcrutator nouit. Cantaui ſine omni affectu in templo: magis propter lucrum, quum campana ſonaret, quàm propter amorem aut laudem dei celebrandam, aduo laui. Hoc præterea ſcio, ſi uitam meam non emendauero, quod obnoxius futurus ſim gehennæ. Si autem de doctrina quæſtio eſt, paucis enodabo. De ſcriptura ſancta parum ſentio, exemplum ueſtrum ſecutus, hocq; ſcio, ac indicat, etſi repugnetis, turpiſsima omnium ſacerdotum uita, uerba in deum & ſanctos blaſphema, li auro precioſior apud me fuiſſet ſcriptura diuina, uitam meam iam olim, ducta reſipiſcentia, emendaſſem, eamq; inſtituiſſem iuxta legem dei. Nonne & uos multis ſceleribus obruti eſtis? Ad hæc in omnibus uobiſcum ſentio articulis. Cur igitur in horrendum carcerem ſum detruſus? Vtinam talis eſſem, qualem me cenſetis tam in cognitione ueritatis diuinæ, quàm moribus inculpatis. Quid multis? Peſsimũ eſtis genus hominum, ſuperſtitioſiſsimum, ad fallendum aptiſsimum, iram dei nõ effugietis. Ego diuino uobis internitionem ac omne infortunium, hic & in futuro ſeculo. Scio etiam, tanquam ungues meos, à conſanguineis meis, hanc iniuriam mihi à uobis irrogatam, ſine meo merito ferro & igne inultam non fore. Non potuere filij huius ſeculi uel hiſcere cõtra hæc, licet amaris uerbis acerbitatem animi indicarent. Diſcedunt indignabundi, dentibus frementes, quidq; actũ ſit Epiſcopo & canonicis diligenter exponunt. Conſultant qd de homine iſto, in quo nulla mortis cauſa, ſit agendũ. Neq; auſi ſunt illum pœna aliqua afficere ob innocentiã, quã negare non poterãt, & ob conſanguineorũ illius terrorẽ qui anſam uexãdi eccleſiaſticos tacito animo quærebant. Tandẽ liberatur à Palatino, qui eum minacib. literis uix potuit obtinere. Poſtquã exẽptus è uinculis fuit, ſpreuit canonicatum, ne in maius periculum, propter inuidiam quorundam, ſine cauſa conceptam,

Canonicus rationẽ reddit fidei.

Veritas odium parit.

conceptã, incideret, in pago pastorẽ egit uigilantem, famula, quã domi fouerat ad annos aliquot, ex qua dotatus liberis quatuor in uxorẽ ducta, reliquos canonicos ad similem diligentiam in docendo prouocans. Sic trudit dñs per multas tribulationes etiam nolentes & repugnãtes operarios in messem suã. Perijsset cum alijs publicis in sceleribus, si nõ uocatus per hoc medium à dño fuisset. Atq; in ipso opere dei bonus pastor, tertio uix anno elapso uocatur ad æternã uitam. Canonicis improbis sua morte relinquẽs gaudendi occasionẽ. *Vita emendata*

N. ENZINAS BVRGENSIS Hispanus, Romæ prosancta Euangelij ueritate exustus, Anno 1546.

Hic rursus ad Hispanos orationem nostram reuocat memoratu dignum martyriũ insignis uiri, cui Enzinas populari lingua, à quercusc̃z cognomen erat. Huius frater Franciscus cognominis illius appellatione Græce redita, Dryander dictus est, & apud Germanos ob pietatem atq; eruditionem clarus extitit, de quo id obiter dicendũ est. Quũ inusitata lingua, hoc est, Hispanicnsi Christus loqui cœpisset, id nullo modo ferre potuit auris Hispanica. Bruxellis etenim in aula Brabantica quum Euangelij in Hispanicam linguam uersionem Carolo v Cæsari obtulisset, in carcerem coniectus fuit, quumq; totos xv menses in summis angustijs detentus fuisset, nec aliud q̃ præsentẽ mortem expectaret, tandẽ insperato Dei beneficio inde ereptus fuit 1 die mensis Februarij anni M.D.XLV. octaua hora post cœnã offendit ianuas carceris apertas, quę eum ad liberationem inuitabant: ipse uerò tantum tamq; optatũ Dei beneficium amplexus, incolumis euasit, atq; in Germaniã redijt, in qua quod reliquum uitæ fuit, in cœtu fidelium cum summa uirtute peregit: ipsius frater de quo nunc dicere instituimus, studio non inferior, quũ multis suæ nationis hominibus ea quã à Deo acceperat Euangelij luce præluxisset ac profuisset, (in quorum numero fuit Ioannes Diazius cuius historiam ante cõtexuimus) aliõ tandem à Dño euocatus fuit. nam ut stultis parentum & propinquorum studijs morem gereret, Romæ uisendæ gratia profectionem instituit: qua in urbe uir pius aliquandiu cum summa animi molestia uixit: ac quemadmodũ de Lot quum Sodomę habitaret, Scriptura dicit: quotidie animam iustam ini qua illorum facta, & uidendo & audiendo, excruciabat. Attamen quę immensa Patris æterni est bonitas hominum iniquitate infinitis partibus maior, etiã in ea urbe uoluit Dñs hunc ueritatis suæ testem proponere, qui ante ora patrum, Romæ sub mœnibus altis pulchram mortem oppeteret, ac ignis splendore quo uiuus cõcrematus est, purpuratorum oculos perstringeret. Captus itaq; & proditus à suis Hispanis, in arctissimum carcerem cõiectus inclususq; est, ac deinde in maximo amplissimorum hominum conuentu interrogatus, cùm adessent Cardinales qui tum Romę erant, ac tota cohors Pontificia intrepidè constanterq; defendit puram Euangelij doctrinam: omnes etiam Romanenses impietates atque imposturas condemnauit. Itaq; hac eius libertate & constantia offensi non Cardinales solùm, uerùm maximè ipsi Hispani ac qui sanguine coniuncti erant, clamare omnes uno ore cœperunt, comburendum esse: plericq; Cardinalium ut hominis constantiam frangerent, anteq; mortis sententia ferretur, hanc illi conditionem proposuerunt, ut Hispanicnsi more eam reconciliatorũ notam acciperet, quæ à San Benito panno nomen habet. ea in formam manticæ utrinq; pendentis cõficitur, antica & postica parte crucis rubræ signum repræsentans: frequens in usu est in iudicijs inquisitionis Hispanicæ, quum aliquem ecclesiæ reconciliatum populo declarare uolunt: id est, quum aliquem furciferi habitu multitudini exhibere, atque exauctoratione iudiciali perpetuæ infamiæ tradere uolunt. Ipse uerò Anzinas nullam conditionem accipere uoluit, contentus ea unica quam adeo nobilem illi Dominus tum proponebat: nempe ut sanguine suo testatam redderet ueræ religionis *Franciscus Dryander.* *Pontifex & Cardinales ueritatẽ audiunt.*

ligionis doctrinam. Eò tandem res deducta est impijs aduersariorum conatibus, ut optimus uir ac Christi seruus fidelissimus, illustri martyrio ac testimonio uitam finierit. anno M.D.XLVI. non multò pòst Diazij mortem.

Hermannus Archiepiscopus Colonienſis ob Euangelij confeßionem officio depoſitus 25 Ianuarij Anno 1547.

QVum Imperator Carolus in Germania bellum gereret contra Protestantes, atq; iam ferè uictor extitisset, legatos suos Coloniam destinauit, ut Hermannum Archiepiscopum iuxta Papæ decretum officio deponerent, & in eius locum Adolphum comitem in Schauuenburg ordinarent. Is enim mutarat in quibusdam locis Papisticam religionem, atq; Martini Bucerí opera usus, Euangelij doctrinam publicarat. Cum itaq; in Veritate cognita pergeret, officio motus est. Hanc autem ignominiam pius Episcopus placidè suscepit, atq; priuatam uitam agere proposuit. paratus etiam sanguinem ob Christi gloriam unà cum caducis illis bonis effundere. Sic tandem bona conscientia in domino obdormiuit, uerum martyrem sese declarando. Ioan. Sleidan. lib. 18.

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERUNT, maximarumq; per Europam, præsertim uero Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER SEPTIMVS.

IOANNES BRVGERIVS *Aruernus in urbe Isserensi exustus Anno 1547.*



ITAM apud Aruernos sequenti anno Dominus ueritatis suæ testimonia extare uoluit, quasi qui genus omne hominum quantũuis indocile ac dispersum montibus altis componere uelit, ac radijs suæ lucis illustrare. Itaq; Ioannem Brugerium natum in quodam Aruerniæ pago, cui nomen est Formal, donatum Euangelij luce in hanc Martyrum arenam euocauit. Bis comprehensus fuit iussu atq; authoritate magistratus regij, qui Monferrati præcipuam habet sedem, hoc solo nomine quòd Lutheranus haberetur. Primò quidẽ eruperat è carcere cum quodam eiusdem accusationis reo, qui prior murum transilierat absq; ullo corporis incommodo. Brugerius posterior illum secutus, alterum crus fregit, adeò ut cum summa difficultate manus insequentium aduersariorum euaserit. At uerò præter ruptí cruris dolores, alios longè grauiores mentis cruciatus sentiebat, quòd uocationem tam excellentem ad ferendum pro ueritate testimonium à Domino oblatam refugisset. ob id sæpenumerò ingemiscebat & apud familiares lamentabatur, seipsum accusans, ac iustè à Deo puniri & precium ob ignauiam ferre aiebat: sed si iterũ Deus pro sua bonitate ad confessionem sancti sui nominis eum uocaret, magnam concipiebat spem, uæcordiam istam prompta ac uoluntaria obedientia compensandi. Id quod re ipsa probauit. nam paulo pòst per eosdem iudices Monferrati secundò captus, atque in uincula coniectus promptissimam atq;

Fuga conſcientiam lædit.

atq; amplissimam suæ fidei confessionem edidit, & tanta animi alacritate locutus est, ut ipsi iudices ad eius uerba stuperent: plura enim quàm uoluissent aut speràssent, audire cogebantur: ex quo satis intelligere licet, dolores illos quos prius diximus, nec uanos nec fictos fuisse. Compendiaria igitur cognitione à iudicibus condemnatus, curiam Parisiensem appellauit: ad quam comitante multa satellitum caterua non multò pòst deductus est. Quum uerò in carcere eius Curię aliquandiu fuisset, tandem excusso capitalium causarum uolumine, Petrus Lisetus natione Aruernus, primus tum Curiæ prędes, quum intellexisset Brugerium esse Aruernum ac constanter tueri Euangelij doctrinam, mirum dictu quàm indignè tulerit patriam charam ea iam labe inficí: coacto consessu tholi seu classis quæsitoriæ, cuius ipse ductor erat, cùm à sententia Brugerium dimouere non possent, tandem condemnarunt ut uiuus lento igne ustularetur in urbe Issorensi, quemadmodum plenius ex decreto aduersus ipsum lato patebit: quod quidem ad uerbum hic ideo inserendũ duximus, ut omnes intelligere possint quanto conatu quantoq; molimine nugas ueritati Dei opponant ij qui se primos rerum omnium putant, qui cęco animi impetu ac gigantum more cum Deo bellare non desinunt.

Exemplum Aresti excerptum ex archiuis Parlamenti Parisiensis, tertio die Martij M.D.XLVII.

VIso per Curiam processu facto per Bailliuum Monferrati, aut eius locũ tenentem, cõtra Ioannem Brugiere captiuum in carcere Palatij, propter blasphemias & errores sacramentarios, eidem impositos per cõclusiones Procuratoris generalis Regis: uisis omnibus ac consideratis ad reparationem blasphemiarum hæreticarum, & sermonum scandalosorum, atque errorum contrariorum sanctæ fidei catholicæ, & doctrinæ ecclesiæ, dictorum, prolatorum, & scriptorum per nominatum captiuum contra honorem Dei & sancti Sacramenti altaris, matrisq; nostræ sanctæ ecclesiæ, & constitutionum eius, ut planè declaratum est in processu contra ipsum facto: dicta Curia illum condemnauit, & condemnat ut uehatur plaustro à carcere urbis Issorensis usque ad magnum forum & locum publicum eiusdem urbis: ubi ponetur ac erigetur trabs lignea ad quã ipse attolletur, & circa illam fiet magnus ignis in quo ardebit & uretur totus uiuus: & ipsius libri cum quibus inuentus fuit, in sua præsentia proijcientur in eundem ignem, & in eo ardebunt & comburentur. Declarauit item ac declarat prædicta Curia, omnia & singula bona dicti captiui confiscata esse Regi. Præterea decernit, ut certi quidam rei facti per dictum processum (quorum nomina ponentur in armamentarium causarũ eiusdem Curię: & dabuntur per excerpta & extracta regístrorum eius) capiantur corpore ubicq; inueniri poterunt in hoc Regno, etiã in loco sacro (saluo quòd redintegrabuntur, si fieri debeat) & ducentur captiui ad carcerem Monferrati, ut ubi stent iuri, audianturq; & interrogentur per dictum Bailliuum aut suum locum tenentẽ super casibus quibus onerati erũt per dictum processum, prout ratio postulat. Sed quia dicta Curia debitè fuit informata q; de die in diem ista maledicta & damnata secta Lutherana & aliæ similes hæreses iam magnopere pullulant in Aruernia, & maximè in urbe Issorensi, & pluribus alijs locis & urbibus, ac præfectura Monferrati, occultè & latenter cum magno dolore bonorum hominũ habitantiũ in illa regione, ut obuietur ne dicta secta pestifera, gladius infectionis & contagionis, crescat & augmenteẽ magis, & ne boni catholici fideles sint aut esse possint infecti & corrupti per publicas aut secretas suasiones infelicium hæreticorũ: sed possunt uiuere in pace & tranquillitate, in uera unitate fidei catholicæ ecclesię Vniuersalis: ordinauit & ordinat arestum publicandũ & proclamandum tam in urbe Issorensi quàm

in alijs

in alijs urbibus principalib. dictæ regionis Aruerniæ, in quibus est sedes Regia mediatè uel immediatè ad dictam Curiam appellans, ad sonum tubæ & ptoclamationem publicam per omnes plateas: quo aresto dicta curia prohibuit & prohibet expresse & sub pœna ignis, omnibus habitantibus in regione, loqui, dicere, tenere, aut proponere publicè aut occultè, directè aut indirectè aliquas doctrinas aut sermones blasphemos, seditiosos contra honorem Dei, gloriosissimæ uirginis, suæ benedictæ matris, sanctorumq; ac sanctarum Paradisi, & contra nostram matrem ecclesiam & suam doctrinã: maximè contra sancta Sacramenta eius, & specialiter cõtra sanctum sacramentum altaris, & formam uiuendi quæ semper fuit retenta & obseruata per ueros fideles & catholicos Christianos. E cõtrario iniungit omnibus sub eadem pœna, loqui & uiuere secundum doctrinam nostræ matris ecclesię, & secundum mandata Dei, & dictæ ecclesiæ catholicæ, non dando aut facto aut uerbo aliquam occasionem scandali aut infectionis ueris fidelibus catholicis. Prohibet insuper retinere, legere, aut facere legere aliquos libros Gallicè aut Latinè, continentes doctrinas erroneas & hæreticas, impressos in Geneua aut alijs urbibus suspectis. Ac ne aliqui possint esse seducti, aut prætendere quòd per ignorantiã ipsi peccarint, ordinauit & ordinat dicta Curia, quòd articuli, propositiones, censuræ facultatis Theologiæ uniuersitatis Parisiensis, approbati & confirmati per edictum Regis, lectum & publicatum in dicta curia: quæ quidem censuræ sunt contrariæ infelicibus pestiferisq; propositionibus productis per Lutheranos & alios hæreticos eorum complices & adhærentes, publicabuntur per singulas dies Dominicas in suggesto omnium parochiarũ, in dicta regione Aruerniæ, tam in diœcesi Clarimontis quàm sancti Flori, à parocho aut uicario earum parochiarum: & exponentur populo in lingua uulgari, in modo ut quisq; possit intelligere quod continetur in dictis articulis dictæ facultatis Theologiæ, sic authorisatis per Regem, sicut suprà dictum est. Et prohibet dicta Curia, sub pœnis quib. ante, omnib. habitantib. in dicta regione, tam summisse quàm altè loqui, sustinere, aut disputare siue publicè siue priuatim, contra ea quæ continentur in dictis articulis, & alijs rebus iam diu obseruatis, prędicatis ac publicatis in ecclesia catholica. Et iniungit dicta Curia ædituis aut luminarijs dictarum Parochiarum sub pœna decem pondo argenti, cum corporis punitione ad discretionem dictæ Curiæ, ut solicitent effectualiter, quatenus publicatio dictorum articulorum & propositionũ dictæ facultatis fiat, exponatur, & declaretur in suggesto dictarum Parochiarum, singulis dictis diebus Dominicis. Et similiter exhortatur dictos Parochos & Vicarios sic facere: & ubi essent contradicentes, negligentes, aut contemptores admonitionis dictæ Curiæ, iniungit eadem Curia dictis ædituis & singulis eorum, sub pœnis quibus suprà, ut faciant informationem de his per proximum ludicem Regium, & mitti informationes ad dictam Curiam, ut procedatur contra delinquentes & culpabiles, pro ut oportebit. Admonet & exhortatur episcopũ Clarimõtis & sancti Flori, eorum Vicarios & Officiales, ut ea fieri curent per dictos Parochos aut Vicarios, & eos cogant ad id. Ordinat etiam & iniungit dicta Curia ædituis, & admonet dictos Episcopos, eorum Vicarios & Officiales, ut faciant scribi catalogum in unaquaque Parochia omnium parochialium qui sunt in ætate ad recipiendum sanctum Sacramentum altaris die Paschæ, & notent eos qui non uenerint dicto die: & dent eas notationes Parochis ac Vicarijs qui tenebuntur mittere regiſtros suos ad Procuratorem Regis proximæ sedis regiæ: cui dicta Curia iniungit ut continuò se informet & faciat procedere contra notatos. Et hoc sub pœna suspensionis per annum redituum ac officiorum pro prima culpa: priuationis uerò eorundem pro secunda. Et sub ijsdem pœnis iniungit ludicibus regijs dictæ regionis, ut informent diligenter,

diligenter, uniuersis negotijs postpositis, cõtra omnes qui sunt infecti à secta blasphema, hæretica, Lutherana, & perturbatiua tranquillitatis & quietis sub iectorum Regis: & faciant ipsis suum processum usq; ad iudicium definitiuũ aut torturæ excluſiuè. Et hoc facto mittant dictos captiuos in custodiam dictę Curię, & ipsorum processus, ut procedatur, sicut oportebit per rationem: & certificent deinceps singulis tribus mensibus dictæ Curiæ, quid fecerint in ea materia sub pœnis quibus suprà: & insuper ne reputentur fautores aut receptores hęreticorum, perturbatores pacis publicæ, & pro talibus puniantur ea pœna qua æquum est. Iniunctum etiam erit præconio populo, & sonitu tubæ omnibus habitantibus & commorantibus in dicta regione, mittere ad actuarium proximi iudicis Regij, intra tres dies post publicationem huius ordinationis, omnes libros quos apud se habebunt, concernentes fidem & doctrinam catholicam, factos per hæreticos, & impressos Geneuæ, aut in aliquibus locis suspectis, sub pœna q; reputabuntur hæretici, & punientur tali pœna qua iustum est. Et sub ijsdem pœnis iniunctum omnibus ijs qui scient aliquos habere & retinere dictos libros, & non apportasse ad dictũ actuariũ intra dictos dies post publicationem huius ordinationis, eos reuelare dictę propinquæ sedi regiæ, cuius officiarijs dicta Curia iniungit ut procedant contra delinquentes, culpabiles, & inobedientes prohibitionibus, & iniunctionibus dictæ Curię, & ipsis faciant suum processum extraordinariè, usq; ad iudicium definitiuum excluſiuè, ut dictum est. Atq; hoc facto remittant captiuos ad custodiam dictæ Curiæ, cum dicto processu, sequendo edictum Regis. Iniungit quoq; dicta Curia omnibus habitantibus & commorantibus in dictis regionibus, qui sciunt aut cognoscunt, aut qui sciuerunt aut cognouerunt aliquos infectos à dicta secta, ut significent magistratui, ac magis proximo iudici Regio, ut is inquirat, & procedat cõtra culpabiles, ut suprà. Insuper iniungit Substitutis Procuratoris generalis in sedibus Regijs, resortientibus immediatè in dictam curiam, ut obtineant literas monitorias in forma malefactorum, & iubeant diuulgari singulis diebus Dominicis in suggesto ecclesiarum parochialium, quibus admonebuntur omnes qui sciunt aut cognouerunt aliquos infectos hac pestifera doctrina, ut ueniant ad reuelationem uersus Parochum aut eius uicarium, in præsentia ædituorum, aut unius eorum: quæ reuelatio scribetur & signabitur à dicto Parocho aut Vicario, & dictis ędituis aut uno eorum cui dicta Curia iniungit sub pœnis quibus suprà, ferre aut iubere perferri continuò ad officiarios proximæ sedis Regiæ, resortientis in dictam curiam sine medio, cui dicta curia iniungit examinare per inquisitionem testes qui uenerint ad reuelationem: & procedere, ut suprà, contra eos quos inuerint delinquentes & culpabiles sub pœnis supradictis: omnibus alijs negocijs postpositis. Atque ut mandetur istud præsens arestum executioni secundum formam suam & tenorem, contra dictum incarceratum, dicta curia eum remisit & remittit in statu quo est apud Bailliuum aut suum Locum tenentem. Factum in Parlamento tertio die Martij Anni M.D.XLVII. & subtus signatum, Malon

Hæc pronuntiauit Curia Parisiensis Liseto Aruerno præside digna locuta.

BRugerius itaq; remissus fuit ad priorem iudicem, ut in urbe Issorensi executioni mãdaretur arestum Senatus quod modò recitauimus. Matthæus Ortius autem Dominicanus generalis apud Gallos inquisitor fidei, profesſus iampridem ueritatis hostis, ibi tum erat, quem non puduit in differto foro eius urbis, quiritari ac uociferari ut sibi quisq; caueret, seq; muniret aduersus Lutheranorum, ut uocabat, fallacias. nam reipsa, inquit, quicquid affirmãt illi, uerum est, sed quod ijdem negant, falsissimum. Consentiunt quidem nobiscum in eo quod credimus Deum esse omnipotentem, & ueracem ac Dominum nostrum Iesum Christum esse Saluatorem mundi: sacram Scripturã per

Arestum executioni mandatum.

Spiritum ſanctum reuelatam eſſe: præterea in omnibus quæ noſtrum Credo continet, id eſt in fidei noſtræ articulis, à nobis non diſcrepant, ſed hic, aiebat ille, latet uenenum, in negatiua ſcilicet ipſorum oratione. nam quum negant Deum eſſe in ſacro cruſtulo: Purgatorium & indulgentias ſancti patris noſtri Papæ pro nihilo habent: adorationem atq; inuocationem Sanctorum deteſtantur, aliasq; traditiones & conſtitutiones decretales per matrem noſtram ſanctam eccleſiam factas ac confirmatas, reiiciunt. in his, inquit, falluntur, atq; hi præcipui ipſorum ſunt errores. quocirca monitos uelim, ut ne uos iſti decipiant præcauere poſsitis. Sic autem pſeudopropheta ille Orrius populum Iſſorenſem eſt adhortatus: quemadmodum & in aliis locis, per quæ uagabatur, facere conſueuerat. Poſtquam decretum iſtud aduerſus Brugerium pronunciatum fuiſſet in auditorio Iſſorenſi per ſuppræfectum Monferrati, qui ſibi habebat comites, aduocatum, procuratorem, & alios adminiſtros regios eiuſdem præfecturæ: ne ſuo etiam officio deeſſet Orrius, omnia expertus eſt, ut hunc à uera confeſsione abduceret, inculcans præcipuè articulum ſacramenti altaris. Quum autem aſsiduè inſtaret ut ei perſuaderet, panis ac uini ſubſtantiam tenues euaneſcere in auras, cuius in locum ſuccederet ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, eadem longitudinis & latitudinis quantitate, qua in cruce pependit: Brugerius ei ad id reſpondit, Si nudis & detractis à ſubſtantia qualitatibus nutriri corpora noſtra poſſent, captioſa profectò orationis tuæ eſſet probabilitas: ſed cùm id fieri non poſsit, quænam dabitur inter ſignum & rem ſignatam conuenientia? quæ quidem in ſacramentis omnino deſideratur, niſi uelimus fingere neſcio quod phantaſma aut idolum, à quo uehementer meus abhorret animus. excepit Orrius, Si negas corpus Domini noſtri eſſe in ſacro cruſtulo, poſteaquam ſacrificus ſacramentalia uerba pronuntiauit: aio mehercule te potentiam Dei negare, qui quod uult, efficere poteſt. Non nego, inquit ille, Dei potentiam: neq; enim iam diſputamus, poſsit ne Deus id efficere necne, ſed qd ille in ſancta Cœna fecerit, atq; à nobis fieri uelit. Orrius autem huic finem diſputationi imponere cupiēs: Hem, inquit, quin ita Pariſijs cùm eſſes Præſidi loquebaris? nec ſanè, inquit Bruger ſecus Præſidi ſum locutus. Tum magiſter noſter Orrius capite inter utrumq; humerum (qui eius erat geſtus) contracto, hominem dimiſit. ac quibuſdam ſibi familiaribus (qui huius rei locuples dederunt teſtimonium) magnā miſero homini iniuriam fieri, ſeq; ob id non mediocriter dolere aiebat, quia ipſius de ſacramento opinio ſibi non omnino mala uideretur. Hic quidam familiarium, Ecquid igitur, Orri, ſubſcripſiſti ſententiæ aduerſus ipſum perlatæ, & conſenſiſti, qui debueras hæc declaraſſe Senatui, nec eius perpeti executionē? Quid facerem? inquit Orrius, non poſsim ullum remedium afferre: dabo quidē operam, quoad potero, ut ſententiæ rigor mitigetur, ne ignem ſentiat. Attamē ne id etiam impetrare potuit ab Officiarijs regijs, qui negabant ſe quicquam præter ſummæ Curiæ ſententiam facturos, ne forte poſtea iure reprehenderentē. Ad hæc uenerunt in cuſtodię auditorium ſacrifici, exhortandi Brugerium atque in ſuam opinionem pertrahendi gratia. attulerant enim ſecum longā crucem, cui quoddam ſimulachrum affixum erat, quam crucem reuerendi Patres populo uidendam exhibent magno illo die Veneris, quem uocāt, ut tota ſpectatorum multitudo acclamet Miſericordiam: hanc, inquam, iſti, Brugerio ob oculos ponentes: Tu, inquiunt, qui Ieſu Chriſti nomen adeò prædicas, atq; in eo ſolo fiduciam tuam locatam profiteris: nunc id reipſa ut oſtendas neceſſe eſt: Nónne igitur proſtratus hāc ueram ac dignam crucem adorare uis, in qua ille communi noſtrūm nomine pependit? Brugerius eos obliquè intuitus, & moto nonnihil capite excepit his uerbis: O miſeri mortales, haudquaquam adoro opera manuum hominis: uerum Deum ac Patrem adoro in ſpiritu & ueritate,

Orrius dat teſtimonium ueritati.

ueritate. Vrgebãt etiam aduersarij ut Mariam Virginem inuocaret: in quibus erat quidam satelles, dicens ipsum Virginem, quæ aduocata esset miseris peccatoribus, habere despicatui, atq; in nullo honore. Obsecro, inquit ille, ut me sinatis, dum parumper antequã moriar cogitationes meas ad Deum erigam: contentus sum unico aduocato qui à Deo pro peccatoribus constitutus est. in quo Virginẽ minimẽ dedecoro, quod fieret, si tam scelerato sacrilegio consentirem, quod à me cõmitti uultis priuando charum ipsius filium officio aduocati, atq; ad eam tanquam rem furtiuam deferendo. quod ipsa ne desiderat quidem. Quòd si uos mihi conceditis ut ad populum dicam, quæ in sacris literis didici, tum facilè intelligetis quantæ sit apud me sancta uirgo existimationis. sed nequaquam licuit per administros regios, qui instabãt, ut in manus sumeret exiguam quandam crucem: inclamauit ille uerò, Non hæc mihi lignea crux ferenda est, sed longè aliam & grauiorẽ mox in toto corpore, Dei fultus ope, sustinebo. Quodã itaq; die sabbathi frequenti tum in ea urbe mercatu, ductus fuit ad locũ supplicij, ubi patibulũ extructũ erat, è quo ferrea desuper catena, qua pensilis teneretur, per duarũ trochlearum orbiculos traiecta dependebat: duoq; sub patibulo non ita alti stabant stipites, supra quos asser arctus clauis affixus erat, circum circa fasces cum stramine positi, quibus exurendus erat Brugerius: qui quidem hoc tristi apparatu adeò non perculsus fuit, ut ipse animum addiderit carnifici, qui cecidit dum ipsum iam catenæ alligandũ, in asserem locaret. Brugerius autem porrecta ei manu, Bono animo sis, inquit ô magister Ponchete, læsisti ne te quicquam? Deinde media sui corporis parte catena ligatus, manibus & pedibus uinctis, oculos in cœlum sustulit, dicẽs: Supplico tibi Pater cœlestis per Filium tuũ, ut me uirtute spiritus tui sustentes atque cõfirmes, quò sic opus quod in me cœpisti, perficiatur ad gloriã tuam & utilitatem Ecclesiæ. Postquã precatus esset pro inimicis suis animamq; suam Deo commendasset, sponte se ad ignẽ quem à tergo habebat, uertit. carnifex uerò asserem depulit, quò fiebat ut pendulus in aere & media flamma ustularetur homo, nec se mouens, nec uociferans quicquam, donec demisso capite placidè expirauit. Tum in populo perspecta hac constantia, & uirtute admirabili, ingentes & uarij clamores editi sunt: alij miraculum diuinũ esse dicebant, alij gratias Deo agebant, q; sua ætate martyrem extremo supplicio affici uidissent. Hoc tumultu populari exorto, administri regij & Orrius ipse metu perterriti, non secus ac si iam certa mors impenderet, fuga sibi quisq; consulere cœpit ad hospitia reuerti satius esse iudicarunt: rectaq; Monserratũ contenderunt, quod oppidũ ab Isforensi sex milliaribus distat. Carnifex cum uidisset cæteros aufugisse, hominem semiustum reliquit. Parochus autem Isforensis, qui adfuerat Brugerio ad supplicium eunti, quanuis insignis haberetur hypocrita, rogatus tamen à quodam, quid de eo sentiret: palam multisq; audientibus dixit: fauxit Dominus ut in fide Brugerij moriar. Hæc ex Crispino.

Brugerij martyrium.

Ioannes Fridericus Elector Saxoniæ pius 24 Aprilis Anno 1547. ad Albim captus.

CVm Elector Saxoniæ omnem suam ditionem (quam dux Mauritius ademerat, dum in Sueuia cum exercitu erat) recepisset, & tandem ab Imperatore Carolo ad Albim 24 Aprilis esset captus, nequaquam eo perducit poterat, ut quicquid Cæsar aut Concilium in Religione statuerent approbaret. ea enim fide Christi gratiam amplexus erat ut potius quiduis pati, quàm ab ea auelli cuperet. Quo factum ut per quinq; annos uxore, liberis, & omnibus bonis spoliatus à Cæsare hinc inde captiuus secum duceret. Hãc eius constantiã & aduersarij admirabantur & commendabant. Tandem tñ Anno 1552. Dei beneficio ad suos rediens in ueræ religionis confessione uitam hanc cum morte commutauit, ut perpetuò cum Christo esset. Io. Sleid. lib. 19.

FLORENTIVS VENOTVS, Parisiis uiuus combustus 9 die Iulij, Anno 1549.

CONstantia Florentij Venoti, patria Curgiuotensis prope Sedanam in Bria, perdigna est, quæ memoriæ sempiternæ commendetur. Ea enim in Christo profitendo & confitendo ita insignis fuit ut inimicissimis atq; infestissimis ueritati hominibus, summam admirationem attulerit. nullum est tormenti genus, quod ipse non fuerit perpessus, spatio quatuor annorum & nouem dierum, quibus Lutetiæ in carcere habitus est. Inter autem cætera carceris tormenta, hoc unum passus est singulare, inclusus quodam in loco, ubi circiter septem hebdomadas ita collocatus fuit, ut nec iacere, nec stare potuerit. Huiusmodi tormentum, magistri tortores appellant Caligam aut ocream ad nectar Hippocratis, eò quod figura est infima in parte acutiore, suprà uerò latiore atq; ampliore, instar eius instrumenti, quo pharmacopolæ uinum aroma titen conficiunt. Itaq; ijdem carnifices retulerũt, nullum reum & criminosum hominem fuisse, qui id tormentũ ultrà quindecim dies perferre potuerit, quin aut de uita periclitatus fuerit, aut insania correptus ac mente alienatus. porrò consilium inimicorũ erat, in primisq; Petri Liseti, tum præsidis, qui summam eius uiri constantiã iniquissimo animo ferebat, ut eum in maximis acerbissimisq; languoribus atq; doloribus diutissimè tenerent, ut hoc modo eius animum infringerent aut eũ intra carceris parietes uita priuarent, ne suauissimus odor mortis eius publicè susceptę, fructusq; ad aliorum ædificationem peruenirent. Sed is singulari Dei uirtute munitus ac septus omnibus eorum consilijs ac conatibus constantissimè semper restitit, ita ut cùm aliquando esset in ipsa curia, & ea camera, quæ ardens ab illis est constituta & appellata, uerba sua ad Lisetum atq; ad alios quosdã dirigens, dixerit, eos quidẽ id agere, ut diuturnis tormentis atq; cruciatibus uirtutem spiritus in eo debilitent, aut mori ipsum cogant in carcere: sed operam perdere. nam se eam à Deo gratiã sperare, ut usq; ad finem perseueret, eiusq; sanctissimum nomen in sua morte, omni laude & gloria celebret. Non multò pòst optimis eius optatis Deus pro sua benignitate respondit, tempusq; ad eam confessionẽ, quam optabat, per accommodatum ei dedit, ut homines huius mundi omniũ maximè glorioſi, intelligerent, eam uim esse ueritatis, cui cedant oportet omnia hominum consilia, quorum quidem magnitudinem per infirma atq; stulta huius mũdi Deus euertit. Quodam igitur die, quo pompa solennis à Rege Heinrico indicta fuit, aliquantò post eius in urbem Parisiensem introitũ, Florentius Vinotus, cũ alijs quibusdam captiuus propter uerbum Dei, cùm more ipsorũ, de gradu illo sacerdotali motus, & capitis dãnatus fuisset, productus est, ut uictima Deo offerretur. Atq; ut eum maiore dedecore aut timore afficerent, spectatorem cęterorum, qui eo die martyrio diuersis in locis urbis erant defuncturi, constituerunt. Florentius autem quum lingua præcisa loqui nõ posset, signis tamen, & oculis in cœlum erectis, alijsq; omnibus quibus poterat rationibus, cæterorũ animos excitabat. ipse etiam cùm in illis admirabilem Dei gratiam uideret, magnopere confirmabatur. Is tandem postremus supplicio affectus est, cùm maximis corporis laboribus ac doloribus afflictus & cõfectus esset, uiuusq; in platea Malberti fuit ustulatus tertia post meridiem hora, nono die Iulij, anno M.D.XLIX.

Caliga Hippocratica tormẽti locus in carcere Parisiẽsi.

Florentius publicè mori optat.

Florentius postremus supplicio affectus.

LEONARDVS GALIMARD, Lutetiæ eodem anno & die crematus.

LEonardus Galimardus, Vendomij natus, comprehensus est Cherij, prope Blaiã, circiter XV. diem Maij, anno M.D.XLIX. Inde Lutetiam deductus, & in carcerem cõiectus fuit. Edita deinde fidei confessione, in qua purã Euangelij doctrinam integrè ac fideliter defendit, ab ea curia est condemnatus, ut usitato supplicio afficeretur uiuusq; cremaretur, quam quidem pœnam sum

ma

ma uirtute constantiaq; sustinuit, eodem die, quo Florentius Venotus, cuius supra mentio facta est, anno *M.D.XLIX.*

ANNA AVDEBERTE, Aureliis uiua cremata. 1549.

EOdem anno Anna Audeberta, Aureliæ nata, & Petri Genesti apothecarij uidua, in ipso itinere, cùm Geneuam ad ecclesiam Dei se conferret, in oppidulo Castro renardo nominato, capta est unà cum Stephano Peloquino, teste Iesu Christi fidelissimo: cuius mentio postea fiet. Cùm his autem alij quidem comprehensi fuerunt, qui metu hominũ doctrinã Euangelij confiteri non sunt ausi. E Castro Renardo Lutetiã abducta fuit: ibiq; à suprema curia damnata, ut in ciuitate sua Aureliæ uiua igni cremaretur. Quã in urbem cùm uenisset die Sabbathi, *XXVIII.* Septembris, pridie eius diei qui sacer Michaeli colitur, non multò pòst hora secunda pomeridiana supplicio affecta est. Cùm è carcere egrediens, ad locum supplicij, Martroium appellatum, duceretur, funeq;, ut fieri solet huiusmodi hominibus uinciretur, quadam cum gratulatione & lætitia ita loquuta dicit: Quàm pulchra hęc zona, quã sponsus meus mihi dat: dies erat Sabbathi quum primis meis nuptijs desponsata fui, secundis uerò his nuptijs meis, eodem Sabbathi die, Iesu Christo sponso meo nubam. Cùm aũt adductum uidisset plaustrum, quo deportanda erat & quo lutum exportari solet, animo læto, hilariq; uultu ita ait: Est'ne istud quò mihi est cõscendendum? atq; hæc dicens, illud alacriter conscendit: eximiamq; constantiam ac uirtutem fœmina & uidua usq; in finem ita retinuit, ut Aurelianensis populus qui eam uideret, summa admiratione afficeret: fideles uerò Deumq; metuentes confirmarentur eius morte, qua præclarè est defuncta eodem anno *M.D.XLIX.*

SARTOR VESTIARIVS, Mutetiæ coram rege exustus 1549.

PAulo pòst triumphalem Henrici Galliarum regis in urbem Parisiensem ingressum, ut diximus quum de Florentio ageremus, in eorũ numero qui iandudum carcere inclusi adseruabantur, erat quidam Sartor uestiarius: cuius conditio quanuis hominibus obscura propter inopiam fuerit, adeò ut nomẽ ipsius quasi silentio oblteratũ fuerit, Deus tñ in id tempus hunc adseruare uoluit, ut Henrico regi seriò cum suis satrapis triumphanti ueritatẽ & iudicia sua (quod quidẽ uix ulli antea contigerat) coràm intrepidè annunciaret. is quum in platea illa ampla quæ sancti Antonij dicitur, non procul à regia domo quæ à ludis equestribus nomen habet, paruas ædiculas inhabitaret, à Supprætorio seu domus regię Suppręfecto captus est, quòd opificium exerceret eo die qui in Papatu festus obseruatur. Priusquã aũt duceretur in carcerem, Suppræfectus ex eo quęsiuit, quæres eum ad opus faciendum impulisset, an nõ sciret eum diem esse in quo laborare non liceret. Cui ille respondit, se uitæ suæ tuendæ causa laborare: neq; alium diem se intelligere præter Dominicum, in quo arte operaq; necessaria uti non posset. Tum Suppræfectus à Sartore multa alia quæsiuit, ad quę ille ita respondit, ut in carcerem ab eo statim ductus fuerit. Suppræfectus deinde cùm in carcerem illum cõiecisset, ad regiã accessit: atq; ut boni serui ministriq; officio fungi uideretur, quibusdam è primoribus aulæ significauit se quendam Lutheranum nactum esse, quem quum die festo laborantem comprehendisset, atq; ab eo multa quæsiuisset, se tulisse huiusmodi responsa, quibus nulla ab homine ullo peiora fieri possent. Id autem cùm postea ad Regem delatum esset, postulantibus quibusdam proceribus ab eo est accersitus, ac coràm adductus, ut illum loquentem audiret. Qui quidem nobilibus, alijsq; administris è cubiculo remotis, paucisqúe primarijs uiris relictis, hunc Sartorem interrogari uoluit per Petrum Castellanum tum Matisconensem Episcopum, qui inter omnes aulicos ad eam disquisitionem atq; interrogationem ingenio & doctrina maximè aptus esse uidebatur. Sartor autem eò

Sartor regem ipsum alloquitur.

cùm uenisset, Regi honorẽ, quem principi suo debebat, habuit, gratias agens Deo pro summo honore ab eo sibi tributo, quòd coram tãto Principe ad testificandam fidem suam productus esset. Cùm uerò Castellanus multa ex eo quæsiuisset de maximis ac grauissimis Christianæ religionis capitibus: ille sine ulla animi consternatione atq; titubatione ita commodè apteq; respondit, ut pura, simplex, syncera q; doctrina postulare uidebatur. etsi uerò Castellanus ac cæteri aulæ proceres, ut eum terrerent, omnibus probris contumelijsq; insectabantur: ille tamen à summa illa constantia & animi magnitudine nunquã deduci potuit, neq; ullis propositis minis, terroribus periculisq; impediri, quò minus pietatis doctrinam quam amplexus erat, liberè confiteretur. Quæ quidem res summam admirationem ijs qui aderant attulit, cùm uiderent hominem inopem tanta libertate & constantia, ad ea quæ quærebantur coram Rege respondentem. Sed egregius Episcopus, auliciq; proceres, cùm uiderent obstupefactum Regem, ut omnem melioris cognitionis cogitationem discuterent, dixerũt eum hominem nihili in opinione obfirmatum ad iudicemq; remittendum, ut pœna merita afficeretur. Ne itaq; diutius Henrici aures detineret, mandatum est Suppræfecto, ut in causa illius informaretur: id quod ilico factum est. Paucis enim pòst diebus, ut uiuus cremaretur, à Præfecto aulæ regiæ damnatus est. Nullũ antea coram Rege audiuimus prodijsse, qui Christum eiusq; Euangelium ita cõfessus fuerit, ut hic Sartor eo in conuentu aulicorum ac procerum respondit. Ac ne aliqua de tam excellenti hominis constantia existimatio in animo Regis remaneret, plericq; ex illa Cardinalium & Episcoporum caterua aiebant, huiusmodi homines Lutheranos nil nisi fumos ore euomere, qui propius igni admoti statim euanescunt. Itaq; Rex spectator supplicij crudelissimi (quod postea de Sartore sumptũ est ante uastam D. Virginis ædem) esse uoluit, ut uideret num hic confessionem illam doctrinæ, atq; adeò illam animi constantiam ad extremum uitæ spiritum retineret. Ita uerò auxit Dominus & robur ac uires huic suo Martyri, ut in media flamma immotus conspiceretur. quo quidem spectaculo Rex uehementius quàm antè obstupefactus dicitur.

Nicolaus Gallus in Hannonia exustus, Anno 1549.

NVllum hodie angulum terrarum quantumuis remotissimarum Dominus suæ bonitatis ac misericordiæ testimonijs expertem relinquit, dum ubiq; gentium fideles ad causæ suæ defensionem producit testes, quibus & ignorantes eruditi, & qui cognitione cœlesti donati sunt confirmati, deniq; omnis homo ἀναπολόγητος atq; inexcusabilis esse possit, quicũq; ueritati quoquo modo restitit. Anno M.D.XLIX. orta quadam apud Hannonienses persecutione, inter alios capti atq; in carcerem inclusi fuerunt quidam M. Nicolaus natione Gallus, eiusdemq; cõiux Barbara: Augustinus Tonsor & Mariona eius uxor, nati in pago quodam non procul à Bergis Hannoniæ. qui postquã Geneuæ aliquandiu commorati essent, unà se in Germaniam receperunt, illac in Angliam tendentes. Cumq; in Hannoniam peruenissent, Augustinus rogauit Nicolaum, qui erat non indoctus, ut pusillum gregem urbis Bergensis inuiseret, quæque spiritus Dei in se dona habebat, cum fratribus beneuolè communicaret. qui quidẽ tam æquæ petitioni libẽs assensit, cùm præsertim hac ratione regnum Filij Dei propagari non ignoraret. Ingressi urbem benignè à fratribus excepti fuere, qui non mediocrem acceperunt consolationem ex pijs istius hominis admonitionibus. Ibiq; cùm diebus aliquot mãsissent, Tornacum profecti sunt persequentes iter Anglicum: sed in ipso itinere Augustinus cũ uxore sua agniti fuerũt atq; è uestigio ad Præfectũ urbis delati, q illos

insecutus,

insecutus, cũ quatuor milliaribus Tornacó abessent omnes cepit, præter Augustinum, qui tum nescio quo modo manus istorum euasit, de quo postea dicemus. Satellites autem quum nusquam iste appareret, M. Nicolaum cum duabus mulieribus reduxerunt, qui à Præfecto contumelias in uia passi sunt. Interdum quando mensæ accumbẽdum erat, M. Nicolaus Deo gratias agebat, ut fidelibus moris est. Præfectus illi conuitia multa faciens, uarijsq; iuramentis in Deum blasphemus dixit: Videamus nũc, improbe hæretice, an te Deus tuus de manu mea eripiet. Nicolaus modestè admodum ei respondit: Quid, quæso, in te commisit Christus, quòd eum tuis blasphemijs in frusta quodam modo seces? desine, quęso, maledicere: aut si tanto furore ageris in filium Dei, ipsiusq; uerbum, ut ab iniurijs abstinere non queas: in me iram tuam cõuerte, ut me tundendo illam euomas: longè profectò mihi gratius ita feceris. Itaq; in currum impositi manibus & pedibus uinctis Bergas perueniunt, ubi in imũ Castri carcerem catenis constricti includuntur. Dum sic miserè detinerentur accessit ad eos Dux Ariscotus, multis sacrificis, & Franciscanis cõmitatus, cũ eorum antistite quem Gardianum uocant, doctore Theologo. Ab his M. Nicolaus in medio constitutus & rogatus, cuias esset, quónam tenderet, quę ipsi us fides esset: alacri sanè animo respondit, exactamq; rationem reddidit ad omnia: ut sæpius perfrictæ alioqui Franciscanorum fronti ruborẽ afferret: atq; dum illos turpissimæ ignorationis conuinceret, uno ore omnes ad ueterem illam ac tritam coaxationem confugiebant, Dęmonium habet, ad ignem ducatur Lutheranus. Excepit M. Nicolaus, Quid, domini mei, ludęo etiam ac Turcæ datur pro se loqui: nihil est quod timeatis ne quis uos seducat aut uincat: si ueram doctrinam defenditis, & ueritas ipsa uestras partes tuetur. Tandẽ interrogationibus fine impositio, petijt ipse ut sibi liceret confessionẽ fidei suæ describere: quod illi ut in carcere faceret non recusarunt aduersarij. Interea dum in custodia esset, extremumq; supplicium in dies expectaret, hostibus in mentem uenit ut illum rogarent ubinam diuertisset quum Bergas aduenisset. Ad hoc ille dixit, se ante id tempus nunquam in ea urbe fuisse. proinde locum nominare non posse: aduersarij quum ab eo nihil se extorquere posse uiderent, adorti sunt Barbaram uxorem ipsius, atq; in primis dux Arscotus illam manibus prehendẽs, blandis uerbis sic est locutus, Barbara, rogo te ut uitam tuam serues: florenti enim adhuc es ætate mulier, si mihi nomines eos apud quos diuertisti, efficiam equidem ut hoc carcere soluta & libera dimittaris. Misera aũt hæc fœmina blanditijs & pollicitationibus Ducis facile uicta, nihil non fecit. quæ res maioris persecutionis aduersus fideles causa fuit, quorũ plures in uincula coniecti fuere. Nicolaus autem posteaquam omnia tẽtassent ueritatis hostes, tandẽ è carcere Ambronẽsi ad ludices ductus est, qui illum cõdemnarũt, ut uiuus exuretur, atq; in cineres, ut ibi ferè solet fieri, corpus redigeretur. Qua sententia pronunciata Nicolaus continuò in Domino exultans dixit: Benedictus sit Dominus Deus noster qui me tanto dignatur afficere beneficio, atque ad eum honoris gradum extollere, ut me adhibeat testem in causa chanissimi filij sui. Quo dicto eximio Spiritus ardore Psalmum canere cœpit, stupentibus satellitibus qui illum à tribunali in quoddam carceris cubiculũ duce bant dum adesset hora supplicij in illum cõstituti: ibi cùm esset, puluerem è uestibus excutiebat & paleas quæ tunicæ adhęrebant, manu deijciebat quasi ad ornatum se componeret: atq; ijs qui aderant locutus est: Amici, ne miremini cur nunc ita me adornem. nam inuitatus sum ad nuptias & epulas Agni illius immaculati. Interea uenit quidam satelles qui suppræfecti urbis nomine interminabatur ne quod uerbum ad populum faceret. Ille uerò respondit cupere se suppræfecto loqui, quum uerò idem confirmauit, ac nisi pareret, pila ipsi os obstrueretur, Siquidem, inquit reus, tu ipse mihi sermone ad populum

Nicolaus in itinere captus.

Martyr adornat sese ad spõsum suum.

nterdicis, obediã: sed unum uicissim abs te postulo. Eloquere, inquit suppræfectus, quid uelis. saltem ut dum ad supplicium accedo liceat mihi inuocare Dominum & laudibus nomen eius celebrare inter eundum. quod illi concessum fuit, modò nihil ad populũ diceret. Post horam itaq; à meridie secundam uenit ad illum magistratus ut sententia executioni mandaretur. Ipse per cliuũ è Castro descendens, sublatis in cœlum oculis ac hilari uultu Dominum inuocauit. Plures autem ipsum sequebant Frãciscani ut impedirent ipsius preces. Vbi ad locum supplicij uentum est, cernens ingentem populi multitudinem, nulla tum interdicti ratione habita ad populum conuersus alta uoce exclamauit: O Carole, Carole, quousq; tandem tibi cor adeò induratum erit? at plura dicere uolenti satellitũ unus impegit colaphum. Hic iterum Nicolaus, Ha miser populе, inquit, non es dignus cui uerbum Dei proponatur. Hæc dicens ad palum deligabatur. Franciscani qui circumstabant, multa ipsi conuitia fecerunt: solitam cantilenam subinde, occinentes, quòd dæmonium in se haberet. Quibus Nicolaus hoc uersu Dauidici Psalmi ualedixit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei: ac de repentè stramen accenditur, quũ ille defixis in cœlum oculis, semel atq; iterum uociferatus est: Domine Iesu, Pater æterne, in manus tuas totũ me trado atq; commendo. atq; ita fœliciter ex hoc mundo migrauit pia anima.

Carolus Cæsar officij admonitus.

Psal. 6. b. 9.

Mariona uxor Augustini tonsoris in Hannonia uiua defossa 1549.

POst hanc executionem, Iudices ad causam Marionæ uenerunt uxoris Augustini de quo suprà, quæ quidem de uarijs rebus interrogata, ac præsertim quid Geneuæ fieret, quomodo ibi sacramenta administrarentur: utrum ipsa cœnam Dominicam in ea urbe celebrasset: confessa est omnia libere, nempe se ibi Cœnę participem fuisse, affirmans ueram Domini nostri institutionẽ Geneuæ retineri atq; seruari. Ad alia quæ percontabantur aduersarij respondit pro modulo fidei atq; cognitione quæ illi à Domino tradita erat: adeò ut nec precib. ullis, nec minis à ueritatis cõfessione deduci potuerit. Paucis post diebus causa in iudicijs confecta, constitutum est in illam supplicium quod serè fidelibus matronis aut puellis, quæ ob causam religionis ijs in locis capiuntur, ferendum est: ut scilicet uiua in terram defoderetur. Hæc autem insignis mulier ad istud genus supplicij ducta, eleuans ad cœlum oculos prorupit in laudes Domini. eiq; gratias egit quòd se miseram è densis tenebris eripuisset. In fossam simulac demissa fuit. in genua procumbens Domini opem implorauit, & priusquam prosterneretur à tortore, petiuit sibi dari sudariolum aut linteum quo facies eius tegi posset. Postquam itaque prostrata esset, faciesq; primùm sudariolo, ac deinde cum ea reliquæ etiam corporis partes terra coopertæ essent, conculcauit eam pedibus carnifex: donec sic miserè trucidata Deo acceptum reddidit spiritum.

AVGVSTINVS TONSOR, Marionæ maritus exustus Anno 1549. Bellimonte, quæ urbs sex milliaribus Bergis Hannoniæ distat.

DIximus dum Nicolaus cum Mariona caperentur, Augustinũ miris modis euasisse, qui sic liberatus ope proculdubio diuina, dedit se mercaturæ aromatũ atq; aliarũ rerũ minutarũ quas per mercatus urbium circumferebat, ut ita sine fraude uictũ pararet. Quũ uenisset Bellimontẽ oppidũ Hannoniæ, merces q; suas ibi in foro uenum proposuisset, agnitus fuit à quibusdam, nomenq; ipsius ad magistratũ delatũ: ipse uerò persentiscens insidias, relictis mercibus fuga sibi cõsulere uolebat. Dum hoc pacto fugeret, uidit proculdo mũ in qua diuerterat satellitib. cinctã: ac magis tũ q̃ antea sibi metuere cœpit (erat em̃ ille homo ꝑpusilli animi, adeò ut ad conspectũ uel occursum unius satellitis

tellitis totus tremeret atq; horreret.) Eo itaq; correptus pauore atq; tremore urbem exit, seq; in dumũ mox proripuit sperans ibi intò latere posse. Sed iam aderat hora ipsius, Deoq; aliter uisum fuit. Etenim cùm se post dumũ abscon deret, erãt quidam in muris urbis qui illum facilè poterant uidere, ac quampri mùm satellitibus qui insequebantur indicarunt. Proinde comprehensus ilicò deductus fuit Bergas, ut in ea urbe Hannoniæ metropolitana, causa ipsius di sceptaretur. Ibi rogatus fuit de tota uitæ suæ ac fidei ratione: ipse uerò quęstio nibus omnibus plenè satisfecit, ostendens aduersarijs fiduciam suam quam in Christo positam habebat, id quod à se constanter prędtitũ ipse amicis qui eum in carcere inuisebãt, narrauit. In quo sanè mirabile Dei opus cernimus, ut qui semper natura timidus extiterat, tandem Diuinæ uoluntati se totum tradens, inuicta constantia & patientia aduersariorum minas & truculentiam fortiter contempserit. Re ipsius in Senatu peracta, lata est de eo sentia ut uiuus igni su bijceretur. Octo ferè diebus ante sententiæ executionem priusquã Bellimon tem reduceretur, antistes Franciscanorũ, Gardianum uocant, professus Euan gelij hostis longa oratione apud illum egit ut ei inculcaret, nisi renuntiaret do ctrinæ, ipsum hęreticum esse, perpetuisq; inferorũ cruciatibus destinatũ. Au gustinus uerò interea non obmutuit, sed garrulitatem hominis sępè reprehen dit, ac sermonem nugatoris corã omnibus qui aderant interrupit, dicens: Pro ba, quæso, uerbi Dei authoritate quæ dicis, ut uerbis tuis fides habeatur, mul ta quidem garris sed nihil probas, in quo satis constat te mendacij doctorem esse, cui nulla sit omnino habenda fides. His dictis Augustinus in diuersoriũ Angelo pensili insigne extrahitur, ut in equum conscendens Bellimontem re duceretur. In eodem loco diuertebat quidam uir nobilis extraneus, qui huic potum obtulit in phiala plena uino, sic hũc affatus, Misereat temet tui, ac si nõ dubitas uitam amittere, animæ tuæ saltem rationẽ habe. Cui Augustinus hoc pacto respondit, De tua erga me uoluntate habeo gratiam: atqui uides quan tum mihi animæ meæ salus curæ sit, utpote qui corpus hoc, igni consumi ma lim quàm peccare aliquid contra conscientiam. Hæc locutus, atq; in equum impositus, Bellimontem ducitur magna satellitum cinctus caterua. simulac in urbem ingressus esset in uincula conijcitur. Cæterùm, quia tum ibi funus filij ducis Arscoti curabatur, qui interfectus fuerat: multi eò undiq; uenerant uiri nobiles & Principes, qui certiores facti de aduentu istius captiui: inuisunt ho minem & de fide ipsum ac religione interrogant. ipse uerò singulis iucundè respondens satisfecit. præ cæteris autem Comes Alainius diu multumq; cum eo familiariter disseruit. Die prędtituto executioni, extra urbẽ in collem quen dam educitur ut ibi immolaretur. Maior pars populi in tantam rabiem adacta est propter hominis constantiam, ut clamaret pedes eius ad caudam equi alli gandos esse, atq; ita ad locum supplicij pertrahendum. sed Dñs eam crudelita tem in seruum suum exerceri haudquaquam passus est. Cùm ad locum suppli cij peruenisset, supplex Deum precatus est, ac deinde ad palum alligatus. nec interea quidem uerbum ullum protulit, sed cùm iam accenso stramine ignem sensit, cœpit Dei laudes prædicare. Postremò in medio ignis clara uoce excla mauit: Pater cœlestis, in manus tuas animam meam commendo, quam paulo pòst acceptam reddidit Domino. Hæc Crispinus.

Natura timi dus in pericu lo fit fortis.

Mundi rabies in dei marty res.

LEONARDVS PRATENSIS, Lutetiæ exustus Anno 1547.

LEonardus Pratensis, apud Lemouices natus, homo ualde in literis exerci tatus, circiter mensem Iuliũ, anno *M.D. XLVII.* in oppido Barri, quod est ad Sequanã in Burgundiæ ducatu, captus est, proditus à duobus falsis fratribus, qui eum Diuione usq; ad illud Barri oppidũ fuerant comitati. Quũ igit apud Præfectũ eius urbis de præcipuis Christianę religionis capitib. copiosè respõ disset, monachi cæteriq; homines fictæ religionis professores hominem sunt aggressi,

Magna uis ueritatis in utrãque partem.

aggressi. à quo conuicti falsarum atq; impiarum opinionũ, ui ueritatis expressa confessione, eum Euangelij testem agnoscere & fateri coacti sunt. Hoc tamen non impediuit, quò minus ad supremæ Parisiensis curiæ cognitionem reiectus fuerit: ac tandem condemnatus, ut uiuus igni cremaretur, mense Augusto, anno M.D.XLVII. Nec uerò ipse unquam destitit suo testimonio usq; ad extremũ uitæ spiritũ, doctrinã Euangelij quoad potuit profiteri ac confirmare.

Ioannes Taffignon & Ioãna Seiourna eius uxor, Simon Marescal & Ioãna Baylli eius uxor, Guielmus Michaut, Iacobus Boulereaun, & Iacobus Bretenaus, Lingonenses, exusti Anno 1547.

INterea grauis persecutio grassabatur apud Lingonenses, adeò ut mense Septembri eiusdem anni, propter uerbũ Dei plurimi exusti fuerint: inter quos memoria conseruata fuit, nempe Ioannis Taffignon, eiusq; uxoris Ioanne Seiournan, Simonis Marescal cum uxore sua Ioanna Bailli, Guilielmi Michaut, Iacobi Boulereau, & Iacobi Bretenay, qui omnes in ea urbe Lingonensi nati, singulari uirtute & constantia qua in confessione fidei præditi fuerunt, multis ueritatis studiosis consolationem & lætitiam, inimicis uerò offensionem atq; indignationem cum admiratione coniunctam attulerunt. Inter cæteros, Ioanna Bailli, Simonis coniunx, in sexu muliebri uirtutem plusquam uirilem declarauit. Nam cùm iam supplicium esset subeundum, ea cæteros, imprimisq; maritum suum, magno animo ad patientiam constantiamq; Christianam hortabatur. Atq; inter alia piè tum ab ea dicta, hoc præclarè dixisse fertur, Eam coniunctionem uitæ atq; consuetudinem corporis, qua aliquandiu usi fuissent in coniugio, quædam quasi sponsalia promissaq; habuisse: at nunc Dominum Iesum ipsos uerè desponsaturũ eo die, quo morte sua fidei testimonium ei præstarent. Quoniam autem ea natu omnium mulierum quæ captiuæ detinebantur, minima erat, idcirco in postremum supplicij locum fuit reseruata, ut aduersarij præclara quædam pollicentes, animum eius inflecterent, atq; à suscepta sententia deuocarent. Sed ea & cæteri uirtute spiritus Dei roborati, in ueritate confitenda & testificanda constantes permanserunt.

Mulieris uirtus maritũ consolantis.

Michael Marescalus, Ioannes Camus, Magnus Ioannes Chamus, & Ioannes Seraphinus Lutetiæ cremati 1547.

EAdem in causa & pœna uersati fuerunt, Michael Marescalus & Ioannes Camus, ipsi quoq; Lingonenses, Magnus Ioannes Camus Diuionensis, & Ioannes Seraphinus Turonensis, qui omnes eodem propè tempore Lutetiæ cremati, constantissima confessione doctrinam Euangelij confirmarunt, ornauerunt, illustrarunt.

IOANNES ANGLVS, apud Senones exustus 1547.

ADeò inualuit persecutio ut à Lingonibus uicinos Burgundos eadẽ peruaserit, plurimi cõprehensi fuerunt, inter quos uir cùm doctus tum pius Ioannes cognomẽto Anglus, in urbe Senonensi causarum patronus, propter Christianam doctrinã, quam sua confessione comprobauerat Lutetiæ à summa curia post diuturnam detentionem condemnatus est ut igni uiuus cremarẽtur: ea uerò pœna apud eosdem Senones cõstantissimè defunctus est, mense Mart. anno M.D.XLVII.

Franciſci Spieræ horrenda hiſtoria qui ob cognitam ueritatem negatam à Deo martyrizatus eſt, Anno 1548.

CVm hoc tẽpore Christiani in omnib. nationib. post bellũ Germanicũ ad supplicium raperentur, atq; interim multi metu mortis deficerẽt, & cognitã ueritatẽ negarẽt, Deus pro immẽsa sua potentia & bonitate horrendũ exẽplũ in Frãcisco Spiera proposuit, q̃ publicè Doctrinã dei cõtra conscientiã in Italia reuocarat,

reuocaret, quò fideles confirmarentur, & pusillanimes terrerentur. Vt autem eam exactius intelligamus placuit clarissimi uiri D. Matthæi Gribaldi Iurisc̃o sulti doctissimi & legum professoris in Gymnasio Patauino Epistolam subiícere, qua totam hanc historiam paucis complexus est.

ELEGIA H. P. B. IN Iustum & tremendum Dei iudicium.

Heu pater omniregens mundi fabricator amœni
Extulit en uocem fortiter ore suo:
Impia nunc homines tendunt ad tartara cuncti,
Nec sunt qui faciant pectore dulce bonum.
Regnat auaritia, ambitio, dolus, ira, libido,
Inuidia & cædes: optima quæq; iacent.
Cum quoq; per uerbum noscebant relligionem,
Heu modò mortales ore animoq; negant.
Vndiq; ego statuam astripotens exempla malorum.
Sancta corripiam, crimina tanta, manu.
Protulit, & subitò Saturnia splendida regna
Accedens, Spieræ uulnera magna dedit.
Non gracili calamo, nec lingua exponere possem
Tristia fata uiri, discę, Gribaldus habet.
At uos Christiades, cœlestia corpora, Iesum
Laudibus euehite, & fundite corde preces.
Est etenim Dominus qui sanctos morte redemit,
Omnia qui sanctis feruido amore tulit.
Non deerit Christus nobis credentibus, inquit,
Nomen cui prima est littera uersus, Amen.

D. GRIBALDI EPISTOLA.

FRanciscus Spiera Iurisperitus & aduocatus eximius ex castro Citadelle oriundus, uir circiter annorũ quinquaginta natus, uxore, liberis undecim, terrenis bonis, officijs, & dignitatibus egregiè dotatus: cùm per ineffabilem Dei gratiam, spiritus sancti dona recepisset, Dominumq; Iesum Christũ Seruatorem nostrum, per scripturarũ omnium reuelationem plenissimè cognouisset, ac Spiritus sancti luce illustratus, solum Christum cum magno feruore palàm fateretur: ac prædicaret, per solum Christum Dei filium salutem nobis dari, & per solum Christum nos iustificari, nullis hominum meritis uel operibus fidendum: opera tamen facienda, ut Deo pareamus, & iustè ac piè uiuamus: cumq; omnia, quæ ex sacrosanctæ scripturæ testimonijs aperta fide cognouerat, ueritatem abundè assecutus esset, & interea sancti spiritus dona in corde suo pacificè cum maxima suauitate & consolatione gustaret, fidem, spẽ, charitatem, mansuetudinem, lenitatem, & cordis omnimodam pacem & tranquillitatem haberet, quippe qui Christum habebat, & Christo fruebatur: infœlix homo, heu nimium infœlix, inimicorum suorum quorundam instigatione, Venetias ante legatũ summi pontificis euocatus, hæreseos accusatus, grauiter increpatus, minis perterritus, siue mortis corporeæ, siue publicationis bonorum metu compulsus, dogma omne, quod antè prædicauerat, penitus abiurauit: cum præcepto, ut in patriam suam rediret, atq; in loco Citadellæ, ubi multis palàm dogmatizauerat, publicè professum dogma abiuraret, populoq; & ministris Ecclesiæ manifesta & solenni retractatione satisfaceret. Infœlix ille, dimissus à Legato, & itineri accinctus, ut mandatũ sibi datum, de abiurando, exequeretur, secum uariè conflictari cœpit, num Citadellam rediret, abiurationem confirmaturus: an uerò aliò, relictis omnibus, ad pœnitentiam pergeret. Inter eundum occurrabat illi continuè Dei spiritus, & conscientiæ

Apertam mentem ad intelligendũ scripturas nactus est.

Conſciẽtia mille teſtes.

tiæ ſtimulus reuocans eum ad pœnitentiam,& continuè ſuadens ne pergeret ad abiurationem,ſed potius uxorem & liberos, & mundum uniuerſum derelinqueret:atq; etiam mortem præſentaneam ſubiret,quàm denuò abiurare,& ueritatem ſibi cognitam retractare.Dicebat ſpiritus:Caue Franciſce,ne abiurationem prius factam confirmes. caue ne epiſtolium ſimplici manu conſcriptum,ſignaculo cordis munias uel ſigilles.Franciſce liber es,& è manibus hominum dimiſſus,ne defere ueritatem: ſta, ne amplius cadas: pœnitentiã age, miſerebitur tui Dominus.Fragilitas carnis te impulit, caue ne militia ſpiritus accedat.

Libertas Chriſtiana.

Iſthæc omnia & alia permulta toto itinere,ſibi à ſpiritu & conſcientia continuè inculcari,Franciſcus nobis narrabat.Quo tandem ſpiritu reiecto & facto callo,uxorem,liberos,officia,dignitates,atq; bona ſua temporalia ueritati ſibi cognitæ præferre decreuit, & abiurationem prius factam confirmare, ut bonis ſuis temporalibus in pace humana frueretur. atq; hoc propoſito oppidũ Citadelle ingreſſus,Prętori,qui de hac re iam per literas admonitus fuerat,obtulit,ſe paratum populo & Eccleſię ſatisfacere,& dogma quod prius prædicauerat,abiurare.Quo facto domum abiit. ueſpere ad eum acceſsit ſacrificulus, afferens ei certam abiurationis formulam, qua in craſtinum coram uniuerſo populo uteretur.noctem illam infœlix homo inſomnem duxit.

Spiera abiurauit ueritatem.

Mane facto in die Dominico, poſt miſſæ celecrationem, coram uniuerſo populo, quem ad duo millia hominum accedere dixit, aſtantibus etiam prætore,miniſtris,& amicis ſuis quibus antea prædicauerat: Franciſcus ipſe conſurgẽs,dogma,quod prius tenuerat,abiurauit: & omnia quæ prius docuerat, retractauit:Hominum merita,fiduciam operum, liberum arbitrium,purgatorij locum,ſanctorum ſuffragia,indulgentias, ſatisfactiones, & denicp omnia, quæ ex ſcripturæ teſtimonijs refutauerat, aperta teſtatione confirmans ſe erraſſe & deceptum fuiſſe. nunc ad lucis & ueritatis uiam, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ gremium ſe redijſſe, teſtatus. Quibus peractis, & indicta illi mulcta triginta aureorum, ex quibus quincp ſacrificulo illi, qui abiurationis formulã ad eum detulerat,perſoluit,Reliqua uigintiquincp pro conficiendo Euchariſtiæ receptaculo ſeu tabernaculo ſubitò numerauit. Et ſic à magiſtratu dimiſſus,uxori,liberis, bonis & dignitatibus ſuis reſtitutus. Confeſtim ille miſerrimus,atq; mortalium omnium infœliciſsimus, tremendam iuſti Dei ſententiã in ſe fulguraſſe cognouit, Dei omnipotentis iram & indignationem ſupra caput ſuum cecidiſſe,apertiſsimè intelligens.

Qui me negauerit corã hominibus,& illius me pudebit.

Statim omnia Sancti ſpiritus dona amiſit: confeſtim ab eo Chriſtus ſeparatus eſt:omnia Chriſti beneficia,omnis cõſolatio euanuit.Illico fides, ſpes, charitas ab eo receſſerunt.Cor eius odio, confuſione, maledictione, blaſphemia repletum eſt.Subijt illico omnium iniquitatum eius, à die natiuitatis ſuæ aggregatio & recordatio.Quid dicam? Receſsit ſtatim Chriſtus ab eo, & Chriſti pax ſuauiſsima.Succeſsit mors,ſathanas,horror, confuſio & deſperatio.Et in hoc miſerrimo ſtatu infœliciſsimus homo,iam ſex menſes conſtitutus,tandem his nouiſsimis diebus cum uxore,liberis, & familia Patauium ſe recepit: ubi quotidie in deterius labens,atq; indies maiori confuſione percuſſus, terribilem Dei indignationem in ſe experiens,in extremam deſperationem peruenit.In lecto ſine febre decumbit.omne corporis officiũ illi ademptum eſt, excepta loquela.nec appetit,nec edit:nec quod p uim illi ingeritur, digerit: nec quidquam excernit, ſolum potat: imò ſiti inexplebili torquetur, Hiſtrum & Nilum biberet. Cæterùm uultu & facie ſatis ualens, mente & intellectu conſtantiſsimus,memoria potentiſsimus:nunquam eadem uerba bis repetit: ueniẽtes omnes ad ſe recipit: ſermones & doctos & graues ac maturos profert: ſe iuſto Dei iudicio damnatum,ſe iam in inferno eſſe & indeſinenter cruciari,

In Maio ergo cecinit palinodiam.

ſe omni

se omni spe & gratia Dei destitutũ, Dei misericordiam à se minimè expectan dam: se in Spiritum sanctum peccasse, & peccatũ suum irremissibile esse, Christi merita sibi non prodesse: nihil prorsus fidei uel spei illi superesse: optare se in loco Iudæ & Caini esse: nihil amplius quàm horrendam iusti Dei sententiã indies se expectare: misericordiã Dei, omnia totius mũdi peccata longissimè superare, sed illi nihil profuturam, quoniã reprobratus ab æterno fuit, nec unquam in libro uitæ descriptus. Christum non pro se, sed pro electis tantũ passum esse & orasse: iudicium Dei in se uno manifestari, & iustitiam adimpleri. Finem suum breui horribilem futurum, ut omnibus electis exemplum præbeat suæ abiurationis.

Agnitam ueritatem propter pacem mundi abnegauit.

Scopus negocij.

Hæc & alia multa cum nobis præsentibus, qui circiter triginta aderamus, unà cum reuerẽdo domino Episcopo Vergerio, & mente sana & apertissimè diceret, cœpit idem Vergerius illum modis omnibus consolari. Atq; ego inter cæteros, cùm alloquí illum destinarem, Reuerendus Vergerius ad eum dixit: Charissime Domine Francisce, hic est doctor ille Gribaldus, qui in hoc gymnasio Patauino leges profitetur, uir pius & fidelis, qui uos inuisit. Tunc ille materno sermone: Sia lui il ben uenuto, & io il mal trouato.

Tunc ego uerba mea in eum direxi: Domine Francisce, hæc est illusio quæ dam satanę, qui mentem uestram apertè diuexat. Quare toto corde ad Deum benedictum conuertimini, qui paratus est uobis misereri. An non scitis quòd misericordia Dei plena est terra: & quòd si omnia totius mũdi peccata in uno homine constarent, adhuc non possent adæquari minimæ scintillæ misericordiæ Dei, qui dixit: Quotiescunq; ingemuerit peccator, omniũ iniquitatũ eius non recordabor amplius. Considerate Petrum, qui Christum ipsum cum quo tanto tempore familiariter uixerat, ter cum iuramento abnegauit: à quo tamen tanta beneficia, tot amoris signa receperat, & tamen Deus illi clementissimus pepercit. considerate latronem, qui nihil unquam boni egerat, sed omnem uitam suam in sceleribus cõsumpserat, quomodo uno cordis impulsu & fidei momento in gratiam receptus fuit. An non scitis, quòd non est abbreuiata manus Domini, cuius proprium est parcere & misereri? Inuocate parũper illum ex corde, & implorate misericordiã eius: ego certissimè uobis polliceor quòd paratissimus est uobis misereri, & in gratiã uos recipere per Iesum Christum filium eius benedictum. Confidite Dn. Francisce, & consurgite: ac nulla tenus dubitetis, iamiam uestri misertus est Deus, & omnem uobis noxam per Christum condonauit.

Gribaldus allo quitur Spierã.

Tum ille, Non credo. Rursus ego illi: Domine Francisce, ego quidem plurimos de facie & consuetudinè noui, qui & grauissimi fuerunt peccatores, & à Satana possessi, & in deteriori loco constituti, q̃ uos estis, & in extremam desperationem adducti: & tamẽ per Dei gratiam, exhortatione fidelium amicorum in spem & gratiam redierunt, quietamq; & pacificam mortem obierunt: quid obstat, cur uos etiam non possitis uel minimam cordis uestri scintillam, in tam superabundantem Dei misericordiam dirigere, & uno cordis affectu ipsum cum spe & fiducia deprecari?

Spiera respondet.

Cùm hæc & alia permulta dixissem, excepit Reuerendus Dn. Vergerius: Ah dulcissime & charissime mi Dn. Francisce, intelligite uerba huius D. Doctoris, qui & fidelis est, & Dei nuncius, quem Deus ad uos misit, ut de misericordia sua certum uos faceret. cur nõ ita creditis? num ne uultis Deum misereri? qui sine dubio uobis miserebitur, & omnem noxam condonabit. qui Christum filium suum benedictũ uobis dedit, quomodo quicquã negare poterit? Estote bono animo, & cor uestrũ in spẽ & fiduciam paulisper erigite. nos omnes etiã pro uobis orabimus. placet ne, ut Dominicã orationẽ simul ex corde dicamus? Ad hæc ille: Credo omnia quæ dicitis: etiam dæmones credunt, &

contremiſcunt, ſed ea mihi nihil proſunt. Peccatum meum eſt ad mortem. uel lem utiq; Dei miſericordiam & gratiam conſequi. Sed non uult. omnis pote-
Reiectionẽ cau ſatur. ſtas fidei mihi ſubtracta eſt. Dñs enim ad Petrũ reſpexit, ad me autem non reſpexit: electus ille fuit, ego reprobus. Lingua Deum orabo, & quæcunq; uultis facilè dixero: cæterùm cor odio, maledictione & blaſphemia plenum eſt. Deum mihi inimicum credo, & ſentio.

Hæc eo loquente, aduolauit muſca ante faciẽ eius. Tunc ille: Ecce iam Belzebul ad conuiuium uenit, finem meum breui intelligetis in exemplum multorum, ut Dei iudicium & iuſtitia in me manifeſtetur.

Hæc locutus, auertit faciem ſuam à nobis, in aliud latus ſe cõuertens. Tunc Reuerendus D. Vergerius: Ah chariſsime Domine Franciſce, uertite faciem ueſtram ad nos, uolo ut ſimul Deum oremus, & dicamus, Pater noſter.

Tunc ille conuerſus, cœpit orationem Dominicam materno ſermone totã proferre, cum ea grauitate & deuotione, ut omnes miraremur. Qua peracta, ſubiunxit: Dixi quidem lingua, ſed cor omnino alienũ eſt. Deus omnem gratiam ſuam mihi ſubtraxit. Cor meum penitus indurauit, in uanum laboratis. Hæc & alia plurima inuicẽ collocuti ſumus, & uale ei diximus. Atq; unà cum dño Vergerio omnes receſsimus, Deum pro eo oraturi, & in craſtinum reuerſuri, ſi fortè Deus benedictus dignaretur illi miſericordiam facere.

Actio. 2. dici. Poſtero die cum dño Vergerio ad uirum illum infelicem acceſsimus, eum de more ſalutantes. Cui reuerendus dñs Vergerius: Dilectiſsime dñe Franciſce, nunquid res per Dei gratiã melius ſe habet? An ne aliquid conſolationis in corde ueſtro recepiſtis? An quicquã ſpei bonæ concepiſtis? Cui ille: Nihil prorſus, quinimò, continuè deterius. Tunc de multis illum rogare cœpimus, & præſertim quo tempore in eam confuſionẽ & deſperationem primùm incidit, & qñ primũ uermis ille inextinguibilis conſcientiã ſuam adurere cœpit.

Tunc ille omnẽ primæ & ſecundæ abiurationis ſuæ ſeriem & progreſſum nobis ordine recitauit, ut initio narrauimus. Quibus abiurationib. factis, illicò ſenſit ſe potenti manu Dei percuti, non quidẽ ulla corporis afflictione uel infirmitate, quam ad caſtigationẽ & emendationẽ peccati libentiſsimè agnoſſet, & ſpem & fiduciã non prorſus abieciſſet: uerũ infœliciſsimus ex illa hora, & derepente ſe in corde, ſpiritu, & cõſcientia percuſſum ſentit. immiſit eñ Deus ex illa hora in cor eius uermẽ corrodentẽ, ignẽ inextinguibilẽ, ut horrore, confuſione, deſperatione ſubitò repleret. qui uermis & ignis nunquã exin de illũ dereliquerunt, ut ſe longè deteriori in ſtatu eſſe teſtetur, q̃ ſi ſeparata à corpore anima cũ Iuda, Cayn, & cęteris dãnatis eſſet: deſiderans ſe loco cuiuſuis mortui & dãnati eſſe potius, q̃ ſic in corpore uiuere: mortẽ ſibi longè gratiorẽ futurã. Tunc lacrymabundus cœpit horribiles uiſiones enarrare, quemadmodum ab eo tẽpore dæmones continuò ad cubiculũ, imò & cubile ſuum accedere ſenſit, tumultus & ſtrepitus excitare, horrores incutere, aciculas in puluino capite ſuppoſito figere, atq; ea nõ falſa & corrupta imaginatione cõcipere, ſed ea ueritate, qua nos omnes uiuentes, & ſecum loquentes uideret.

Vergerius ſolatur Spieram. Tunc reuerend. dñs Vergerius: Ah chariſsime dñe Frãciſce, ſpiritus ueſter omnino corruptus, & erroneas has uobis illuſiones & falſas imaginationes repręſentat. Sed reuertatis parũper ad ſpiritũ ueritatis, & ad Deũ benedictũ, miſericordẽ, & ſummè bonũ, cũ ſpe & fiducia cor ueſtrũ dirigatis. Ille uobis erit ſine dubio amicus & propicius. Ille oẽm horrorẽ & confuſionẽ à uobis eijciet: cõfidite dñe Franciſce dulciſsime, nos oẽs de uobis per infinitã Dei miſericordiam bene ſperamus, & ſi libet, dicamus ſimul ex corde orationem Dominicam. Tunc ille latinè eam orationem totam cum lacrymis abundantibus adeò deuotè & grauiter, ac cum affectu, ut uidebatur intrinſeco, ad Deum orauit, ut nos omnes aſtantes ſimul collacrymaremur.

Cumq;

Cũq; ego & lacrymas & pœnitentiam ac contritionẽ hominis uiderẽ, dixi: Dñe Franciſce, laudetur Deus benedictus. Iam iſta nõ ſunt ſigna omnimodæ reprobationis, uos ingemiſcitis, uos Dei gratiã cũ deſiderio imploratis. Nolite omnino de eius uenia deſperare, neq; Deũ uobis deſperata mente inimicũ dicere, & uos ab æterno reprobatũ credere. Nõ enim ſcire poteſt homo quãdiu in hac uita mortali detineẽ, an p iuſticiã operũ Dei odio uel amore dignus ſit. Cũq; uehemẽter hortaremur, ut nõ omnino ab omni ſpe excideret, neq; à fiducia, & debere oẽm hominẽ natũ, etiã ſi omnia totius mũdi delicta perpetraſſet, adhuc de gratia & miſericordia Dei aliq̃d ſperare, cuius bonitas & miſericordia longè copioſior eſt quàm humanus intellectus capere poſſet: Et q; ſi quiſquam noſtrũm in talem miſeriã lapſus eſſet, adhuc de ſummi & optimi Dei miſericordia non deſperaret. *Eccleſiaſtes 9.*

Ad hæc ille: Scio hęc omnia & credo, infinitam Dei miſericordiam omnes mundi iniquitates longiſsimè ſuperare, & omni credenti & fiduciam habenti omnia mũdi peccata facilè remitti. Sed hæc ſpes, hæc fiducia donum Dei eſt, & hoc unum mihi deeſt, ut neq; ſperare, neq; credere de diuina in me gratia & miſericordia poſsim. atq; utinã Deus hoc unũ mihi elargireẽ, ut tantillum ſpei & fidei de remiſsione, & ueniã concipere poſſem. ſed hoc tam poſsibile eſt, q̃ totã maris aquã uno cochleari capere, & uno hauſtu potare. Si Salomon talem caſum expertus fuiſſet, & quæ nunc ego ipſe manifeſta experientia probo, aliquantulũ cognouiſſet, nunquã eam ſententiã protuliſſet. Ego uerò credo, nullũ unquã mortaliũ fuiſſe, & hoc certiſsimè ſcio, qui manifeſtius in uita ſua iuſti Dei odiũ, irã & indignationẽ contra ſe expertus fuerit, q̃ me ipſum. uellẽ omnino in loco cuiuſuis dãnati ſucceſsiſſe. Vos qui in ſtatu beato eſtis, hoc facile factu exiſtimatis, ut peccator agnoſcens culpã ſuã, & pœnitens iniquitatis ſuę, poſsit quando cunq; ſe erigere ad ſpẽ & fiduciã erga Deũ: & ideo me hortamini, ut poſt quã me pœnitentẽ & ingemiſcentẽ uidetis, tantillũ ſpei uel fiduciæ concipiã ad reſurgendũ. Bene ualenti non opus eſt medico: & qui ſanus eſt, ægroto facilè conſulit: ſed ego in hoc crucior, hic eſt infernus meus, hæc confuſio & deſperatio mea, q; omnem mihi gratiã ademptã cognoſco, q; cor mihi induratũ ſentio, nec quicquã prorſus de Dei reconciliatione & miſericordia poſsim credere uel ſperare. Pauci quos æquus amauit Iupiter. *Fides donum Dei.*

Nos miſerrimam deſperati hominis conditionẽ, quibus poteramus modis conſolantes, & Deum pro ſe orantes nos pollicentes. Vale ei diximus, & unà cum reuerendo dño Vergerio inde diſceſsimus. Sic aũt infœliciſsimus ille cor pore uiuit, uir quidã robuſtus, cũ illi cibũ daturus eſt, humeros & lacertos uinculis alligat, ne manib. reſiſtere poſsit, mox aperto illi per uim ore, cũ cochlea ri uel alio inſtrumento in os eius aliquã ſorbitiunculã infundit: cui tñ ille interpoſita lingua, quantũ poteſt, reſiſtit. ſed fieri nõ poteſt, quin aliquantulũ ſorbitionis per latera & rictus in fauces & palatũ, & exinde in ſtomachum defluat. Atq; hoc pacto bis in die ægrè nutritur, nihil excernens. Ipſe aũt mori, & ad inferos quamprimũ ire deſiderat, Deiq; tremendã ſententiã in horas expectat ut ſuo ipſe eloquio apertiſsimè palamq; teſtatur. *Conditio deſperati.*

Tertio die cũ reuerendo D. Vergerio ad illũ acceſsimus: eũq; de more ſalutauimus, cœpimusq; rurſus conſolari. Ille uerò nihil, ſed clauſis oculis ſomnolento ſimilis ægrè reſpondebat. Tunc ſuperuenit uir quidã maturus, ex loco Citadellæ, rogans num illũ agnoſceret amicũ ſuũ. Quẽ miſer aliquantulũ oculis intuitus, uix recognouit. Tunc ille Dñe Franciſce, ego ſum presbiter Antonius Fontanina, qui uobiſcũ eram eo die, quo Venetias acceſsiſtis, iam ferè ſeptem uel octauo menſibus hinc decurſis. *Actio tertiæ diei.*

Tunc Franciſcus cũ gemitu & ſuſpirijs: Heu diẽ maledictũ, heu maledictũ diẽ, Vtinã nunquã acceſsiſſem, aut uita tũc functus eſſem: ſubinde illũ de mul

tis rogare cœpimus, præsertim de fide sua pristina, & an unquã firmiter ac perfectè credidisset, & quomodo ab ea fide tã miserè excidisset. Cũ fieri non posset, ut qui semel perfectè ac firmiter credidisset, ex toto cadat. Scriptum est enim dona Sancti spiritus esse sine pœnitentia.

Christus solus iustificat.

Tũc ille: Credidi utiq; Christũ propiciationẽ nostrã fuisse, & eum solũ esse per quem salutẽ & iustificationẽ consequeremur: nec in hoc dubitaui unquã. Sed Christi beneficia nõ recognoscebã, nec illum (ut uerum fatear) perfecto

Error frequẽs.

corde redamabã: quinimo, Euãgelij fidẽ in libertatẽ carnis accipiebã, & sic ea fide in licentiã peccandi abutebar, & oẽm pietatis ac religionis cãm studiũq; negligerẽ. Mox cõuersus ad iuuenes quosdã astãtes: Filioli, inquit audite uerba mea. Non hoc dico, ut sancto Euangelio detrahere uelim, quod ueriſsimũ esse scio, sed ne tantũ tribuatis fidei uestræ, quin & bona opera faciatis. Credito experto, subinde cum lachrymis & suspirijs super oẽm scripturã Petri Epistolã uerè apostolorũ principis dignã cõmendauit. Quę Christi fideles ad pietatẽ, castitatẽ, sanctimoniã, & immaculatã uitã hortaret, sanctumq; & immaculatum tẽplum Deo prępparare. Ego uerò, inquit, cùm & perfectã fidẽ me assecutum præsumerẽ, & reliquis audenter prædicarẽ, oẽsq; scripturæ locos in prõptu haberẽ, impiè tñ & religiosè uiuebã, unde aggrauatum est peccatum meum. Et ecce manifestum Dei iudicium: Qui me in ira & in furore suo corripuit, non ad emendationem, sed ad perfectam damnationẽ.

2. Petri.

Tunc exurgens quidã qui illic aderat, uir impense doctus, & in sacris literis diu exercitatus, ad eum dixit: Dñe Francisce, Nos adhortationẽ uestrã nõ omnino probamus. Qui nõ usqueadeò Euãgelicę fidei tribuendũ monetis, quin operum quoq; fiduciã amplectamur & cõmendamus. Nos enim scimus iustitiã duplicẽ esse, externã & internã: Externa iustitia, quæ operum est, & quam mundus cõmendat, illa nõ iustificat apud Deum, neq; ad salutẽ confert. quam doquidẽ Socrates & Cato & Aristides eam iustitiã egregiè præstabant. Vnde laudẽ & gloriã in hoc seculo referebãt. Cæterũ interna iustitia ex Deo est,

Iustificatio quæ in Christo est, iustificat.

qui nos in fidẽ, spẽ & charitatẽ p gratiã suam regenerat, & hac fide nobis gratuitò data, uiuimus, & iustificamur: & Deus nobis peccata non imputat, sine quib. tñ esse nõ possumus, ut ait scriptura: Si dixerimus, qm̃ peccatũ nõ habemus, nosipsos seducimus. Beatus aũt, cui nõ imputat Dñs peccatũ, & cuius tecta sunt peccata. Quare nõ est q; ad opera externa, quasi ad salutis & iustificationis anchoram nos relegetis. Tũc ego: Dñe, uerba dñi Francisci nõ tam subtili & perpenso examine suscipiẽda sunt, ut uelit fidei Euangelicæ uel internæ iusticiæ externam operum iustitiam cõparare. Sed eo modo iuuenes adhortatus est, qm̃ plericq; Euangelij libertatẽ in carnis licentiam prauè cõuertunt, & dono fidei temerè abutunt: & cũ se fideles dicant, fidẽ tñ factis negant. Vnde Petrus in sua epistola, quam ille, ut audiuistis, plurimum cõmendauit. Itẽ & Iacobus nihil ferè aliud docent q; ut fidẽ nostram externis fructib. testemur, dicẽte Petro: Quamobrẽ satagite fratres, ut per opera uestra bona, certam facia tis electionẽ uestram. Itẽ Iacobus ait: Ostẽde mihi fidẽ tuam, & ego ex operib. meis tibi meam ostendam. Quare hac se ratione uehementer accusat, q; internam iustitiam se aliquando habuisse professus, externam semper neglexerit.

Disputatio orta.

Tũc cœpimus de re & statu miserrimi hominis seriò disputare, & diligẽter perueſtigare, num peccatum eius ad mortẽ fore uideret, pro quo iuxta Ioannis sententiam orandum nõ esset. Et sic uir ille doctus, doctè & eleganter de peccato in Spiritum sanctum disserere cœpit: deq; resistentia, ueritate cognita facta, oẽsq; species peccati in Spiritum sanctũ, quantũ nobis uidebat, apertè distinxit. Ille aũt infelix, attẽtis aurib. omnia auscultabat. Cui dñs Vergerius Dñe Francisce dilectissime, cùm hæc auditis tam piè & religiosè disputari, & scripturæ locos, in qua plurimũ excelluistis, in medium adduci, nihil ne interea

rea consolationis & recreationis nobiscũ accipitis? præsertim qñ uos etiã pro captu uestro ipsam scripturã tã diserte declaratis. nõ omnino extra spẽ de salute uestra esse uidemur, nec Dei spiritum omnino uobis subtractũ arbitramur. Cui ille: Quid consolationis maledicto & dãnato homini contingere potest: imò quæcunq; loquor, audio, uideo, gusto, uel sentio, omnia in confusionem & maledictionem mihi uertuntur.

Cui Dñs Vergerius: Ah charissime Dñe Frãcisce, qd est q; sperare de Dei bonitate & misericordia nõ debeatis? Nónne Dñs ad inferos deducit & reducit? Considerate Dauid prophetã, qui usq; ad infernũ & mortẽ deductus, Deũ tñ cũ gemitu & lacrymis orabat, ut cordis & spiritus renouationẽ sibi cõcederet. Ad hæc ille: Dauid semper electus fuit & Deo gratus, & licet grauiter cecidisset, nunquã tñ Dei spiritus ab eo recessit, quinimo ille Deũ precabatur ne ipsum proijceret à facie sua, & spiritũ sanctũ ne auferret ab ipso. Ego uerò lõgè in diuerso statu sum, nec electus nec Deo gratus, sed reprobus & maledictus semper fui. nec orare possum, ut Spiritũ sanctũ non auferat à me, qm̃ ex toto ablatus est, nec unquã restituet. Scio Deũ corporali morte defunctos suscitare, & ad inferos, id est sepulturã deductos ad uitam reducere, quemadmodũ Christus Lazarũ suscitauit, & ab inferis reduxit. At mihi æterna morte dãnato, nulla reductionis spes superesse potest. Quòd si tantillũ spei uel fiduciæ de misericordia Dei cõcipere possem, libentissimè eligerẽ decẽ annorum myriades, & lõgè ultra, dũ tñ finis tandẽ aliquis sperari posset in omnib. infernì tormẽtis & cruciatib. uiuere. Sed firmissimè credo me tãdiu in hac uita mãsurũ, in omni maledictione & desperatione, ut Dei iudiciũ in me cõpleat, & exemplũ totì mũdo fiã diuinæ in hominẽ reprobũ ultionis, atq; iustissimæ indignationis. Vtinã mortuus essem, & cuiusuis dãnati locũ tenerẽ. Tunc ego: Dñe Frãcisce, audite me parũper: nõ possum de salute uestra penitus desperare, qm̃ in bonã partẽ accipere audeo, q; Deus benedictus uos in præsenti uita tã grauiter afflixerit, nec correctionẽ uestrã in alio seculo reseruauerit, unde adhuc in aliquã spẽ trahor, ut uestri tandẽ misereat. Ad hæc ille: Imò ego reprobationẽ meã certissimè cognoui, q; peccatũ meũ non corporali afflictione correxit, sed in ira & furore me redarguens, animã, cor, & spiritũ perpetua duritate & confusione dãnauit. Vtinã corpus subitò afflixisset, spiritũ aũt liberum reliquisset. Quid dicã? Protracti sunt sermones nostri cũ eo usq; ad uesperam de multis scripturæ locis, & mirabilib. Dei iudicijs. Inter cætera rogaui illum quid de animarũ dormitione sentiret. Ad quod ille: Quanquã hoc nõ satis expressum ex scripturis doctor quidã Germanus existimat. Credo tñ animã electi in locũ æternæ beatitudinis, ptinus euolare, nec unà cũ sepulto corpore obdormire. Tunc excipiẽs Reuerend. D. Vergerius: De hoc, inquit, nullatenus est dubitandũ. Extãt aperti scripturæ loci: Hodie mecũ eris in paradiso. quod & ex hostia Lazari & diuitis manifestè probatur. & Paulus dissolui cupiebat, ut in cœlis esset cum Christo.

Postremò uidẽs ego desperatissimi hominis insanabilẽ, ut uidebat, plagã, eũ rogare ausus sum: Dñe Frãcisce, quæso ut mihi respondeatis, qm̃ uos præomnimoda desperatione deterius in hac uita habere dicitis, q̃ in inferno cum dãnatis extinctis: uideoq; uos cõtinuè mortẽ optare, ut ad inferos descẽdatis, quasi nũc & corpus & anima maiore cruciatu torqueant, ut apertè testamini: peto à uobis, si gladiũ in manu haberetis, nũquid mortẽ conscisceretis, ut ferè oẽs desperati, qui se uel ferro confoderũt, uel præcipites dederũt, uel laqueo suspenderunt? Tunc ille: Detis mihi gladiũ, & uidebitis quid facturus sim. Cui ego: Sed rogo ut uoluntatem nobis uestrã detegatis: inquit, Nescio, nec uoluntatẽ meã qualis tunc foret, dicere possum. Atq; his dictis, rursum Reuerendus dñs Vergerius, uix & satis ægrè ab eo ut Dominicã orationẽ diceret, impetrauit.

Spiera cupit sibi mortẽ inferre.

impetrauit. At non amplius eo cordis affectu, ut antea solebat, recitauit, quinimò, protestatus est cor suum à Deo prorsus alienum esse, nec patrem ex corde appellare, sed potius maledicere & blasphemare. quare non esse quòd in eo consolando uel reducendo, in uanum ultra laboraremus, tam possibile fore, ut ad spem uel fiduciam aliquam de Dei in se misericordia & uenia erigeretur, quàm possibile foret unico milij granulo, uniuersum orbem complere.

Nos omnes admirandum Dei iudicium uenerati. Vale ei dicentes, recessimus. Et quoniam propinqui eius posterodie illum ex Patauio ad locum illum Citadellæ parata, Rheda rursum traducere destinarant, eos monuimus, ne illum desererent, sed continuè piorum hominum copiam consuetudinem illi suppeditarent, si fortè assiduis bonorum precibus & consolationibus Deus benedictus misericordiam illi facere dignaretur.

Postero die cùm infelix ad recessum accingeretur, & iam uestimentis suis indutus extra cubile deductus esset, uniuersum cubiculum truci aspectu atq; horrendis oculis circumspiciens, forte fortuna gladiolum super mẽsa positum uidit, quem statim arripuit, ut se confoderet. Sed duo eius nati qui continuè illi assistebant, subitò apprehensa manu gladium exemerũt, unde manifestè cognouimus, quid de quæsito illo cõscisc endæ sibi mortis pridiè facto, ad quod respondere celata uoluntate neglexit. Indubitanter sentire possumus. Sic miserrimus ille homo Patauium relinquens ad locum suum Citadelle traductus est, nolebant eum cognati eius ut in celeberrima illa urbe magna totius familiæ ignominia uitam suam hac desperatione finiret. Cùm uerò in patriam rediisset cruciatus illi adeo corpus eius affecerunt, ut in paucorum hominũ præsentia (qui ad hoc ordinati erant) miserabiliter absumptus fuerit, semper suam sortem cum Caini, Saulis & Iudæ maximo horrore conferens. Hinc factum ut inaudita illa actio paucis diebus ex Italia per totam Europam sexcentis literis diuulgata sit. Nõ etiam dubium est quin multi, eo exemplo moti, postea multo confidentius agnitam ueritatem confiteri atq; sanguine suo confirmare uoluerint. Dominus Deus det nobis suum spiritum, ut in fide Iesu Christi perseueremus semper, Amen.

M. Gribaldus Ex Patauio, quinto Calend. Decemb. 1548. Hæc uidimus, & palpauimus, & ad uos scribẽda duximus, ad laudem & gloriam summi Dei, cuius regnum toto orbi manifestari uehementer desideramus.

Non tantum hic Spiera horribili morte interijt, uerùm etiam multi alij in diuersis locis qui cognitam Euangelij lucem abnegarunt. adijciam huius rei gratia aliud exemplum, quòd tamen post aliquot annos in Saxonia contigit.

Anno 1553. minister sartoris Lypsiæ fuit, qui cùm antea cœna domini usus esset utraq; specie, postea persuasus sub Papatu una specie sumpserat. Deinceps uerò Lipsię rursus admonitus à suo sartore ut ad sacram συνάξιν accederet, diu nihil respondit: tandem uerò cum ingenti & horribili boatu exclamat. O ô ego sum perpetuum diaboli mancipium, & cum impetu se per feneſtram præcipitauit, ita ut omnia sua uiscera interiora effunderet. Sic horribili morte est extinctus. Manlius.

HVBERTVS CHERIET, Diuione combustus, Anno 1549.

HVbertus Ioannis Cherieti filius, patria Diuionensis, sartor annos natus circiter XIX. combustus fuit Diuione, mense Maio, anno M. D. XLIX. Is nullis unquam nec mortis terroribus, nec parentum blandis illectamentis, quibus illum à pura Christi confessione deuocare conabantur, propositum fi

dei

dei ſuæ ac teſtimonium Euãgelij depoſuit, ſed illud morte ſua æquiſſimo animo ſuſcepta, obſignauit.

Anno 1546. Carolus quintus Auguſtæ Vindelicorũ armata comitia poſt victoriã in Germania celebrabat. In eo conuentu Iulius Pflugius, Michaël Sidonius et Ioannes Islebius doctrinam Euangelij et Pontificis traditiones conciliare ſatagentes, nouam religionis formulam conſcripſere, quam *INTERIM* uocant. Hæc uerò cùm à multis recepta eſſet, multis bonis & pijs uiris hinc inde exitio fuit: quidam etiam bonis, alij exilio mulctati, dum magis Chriſto quàm hominibus adhærebant. Sleidanus libro uigeſimo. Eo tamen tempore Miſſa in Anglia abrogata.

MICHAEL TORNACENSIS crematus uiuus Anno eodem.

Isdem temporibus Michael cognomine diminutiuo, ut apud illos frequẽs eſt, Michelotus dicebatur, natus Froyennæ apud Neruios, homo admodum iuuenis, & ſartor profeſsione, captus propter confeſsionem Euangelij, ſententia iudicum condemnatus fuit, ut capite truncaretur, ſiquidem ſententiam de religione, quam profeſſus fuerat retractaret: ſi uerò in propoſito permaneret, uiuus cremaretur. Itaque cùm iudices ex eo quæſiuiſſent, utrum ex his duobus mortis generibus mallet ſuſcipere, ſumma cum comitate atq; hilaritate uultus reſpondit: Qui eam mihi gratiam impertiet, ut patienter pro nomine ipſius moriar, is quoq; gratiam mihi largietur ut ignem pro eiuſdem honore ſine ulla degeneris animi nota perpeti poſsim. Hãc uirilẽ ea ętate cõſtantiam cum ſumma omnium admiratione ad extremum uitę ſpiritum Deo uires ſuppeditante retinuit.

Mortuo Franciſco rege Frãcorum prudentiſsimo, qui per triginta tres annos Galliam adminiſtrauit, Heinricus filius eius hoc anno 1549. ſucceſsit. Is itaque in Iunio magno apparatu Lutetiam ingreſſus aliquot ſupplicatiões inſtituit, & religionem papiſticam approbauit, publico eius rei gratia ſcripto edito, quod hinc inde per Galliam diuulgatum eſt. Cùm etiam tũ ibidem pij aliquot uiri religionis cauſa in uinculis detinerentur, ſtatim de ipſis in regis præſentia eſt ſumptum ſupplicium: cupiebat enim rex nouus in gratiam pontificis & cardinalium Euangelij doctrinam in ſuo regno penitus extirpare. Sleidanus libro uigeſimo primo.

CLAVDIVS THIERRY, Aurelijs exuſtus, 1549.

CLaudius Thierrius, patria Carnutẽſis, homo iuuenis, arti inſeruiẽs pharmacopolæ, cùm Geneua in Galliam rediret, captus eſt Aureliæ, ubi fidem eam, quam in Eccleſia Dei ex doctrina Euangelij acceperat, maximo pietatis ſtudio teſtificatus, ſententia fuit condemnatus, ut uiuus combureretur. A qua quidem ſententia appellare nunquam animum induxit, ſed ut parentum atque amicorum uoluntati ſummæ que ſolicitudini ſatisfaceret, Lutetiam ad ſuppremam Curiam prouocauit. Vnde priore ſententia decreto eius curiæ confirmata, Aureliam remiſſus uſtulationem corporis ſui ſumma conſtantia perpeſſus eſt eodem anno *M.D.XLIX.*

Conſtantienſes ciues centum à Hiſpanis interfecti, quinto Auguſti 1549.

QVum noua doctrinę formula in Comitijs Auguſtanis fuiſſet fabricata, atque multi eſſent qui eandem ueritatis amore nec recipere nec approbare uellẽt, uiſum erat Cæſari eoſdẽ grauiter punire. Cũ itaq; & Conſtãtiẽſes tales eſſent, Hiſpanorũ tria millia 5 Auguſti celeriter Cõſtãtiã petũt, & Vber-

linga de nocte profecti pars per ſyluam iter faciunt, ut prima luce, quo tempore concionem in templis haberi ſciebant, urbem inuaderent, pars in ſylua remanſit occaſionem expectans. Accidit autem ut tres excubitores oppidani, quum in uicina ſylua fremitũ exaudiſſent progreſsi longius ſpeculandi cauſa, in ipſorum manus uenirent. hos illi comprehendũt, & necem minati, ſi qđ ſignum darent, & una ſecum abducũt. deinde quodam in fundo, prope lacũ, magno ſilentio ſeſe componũt. Sed non fuit occultum. nam excubitores, qui tum erant trans Rhenum in ſuburbio, præfecto ſuo renunciant, aliquid eſſe inſidiarum. Is è ueſtigio ad Conſulem refert, idq; hora ſecunda poſt mediam noctẽ. Cõſul illico ſenatũ cõuocat, & ad arma cõclamat, tametſi nemo quid eſſet rei cõpertũ haberet. Albeſcẽte uerò die, paulatim ſeſe ꝓdũt Hiſpani, pauci tñ ut de numero excubitorũ cognoſcerẽt. Ibi denuo prẽfectus uigilũ Cõſuli nũciat ut maturæ ꝓuideat, nã ſubeſſe piculũ. Itaq; re deliberata, ſub horã quartã emittunt̃ ex urbe circiter ducẽti ciues in ſuburbiũ. Hi poſtquã egreſsi nihil ferè deprehenderent, aliquantò remiſsius agunt. Sed ecce cùm iam luceret, Hiſpani parietem conſtructum ex materia, qui mediam foſſam diuidebat machinis proſternunt, & per foſſam tunc prope ſiccam in oppidanos excubitores confertim irruunt. Mox etiã illi qui in ſylua remanſerant, accurrunt, & ui magna portam unam refringunt. Sed fortiſsimè ciues dimicabant, & tormentis rem agunt, interfecto Hiſpanorũ duce Alfonſo Viue ſtatim in primo cõgreſſu. Cùm uerò tantæ multitudinis impetum uix ægrè ſuſtinerent, paulatim retrocedũt, & in ponte Rheni diu multũq; confligũt, uix tandẽ in urbẽ recepti. Quũ ſic hoſtes portã ualide cõcuterent, tormentis maioribꝰ. ex mœnib. & portis eos petunt atq; multos interficiũt. Hos illi ſtatim ex ponte in Rhenũ præcipitant, & quũ fruſtra ſeſe moliri conſpicerent, fuga ſuburbiũ petunt, & pontem extremũ incendunt, ne quã oppidani eruptionẽ facerent. Tandẽ quũ Hiſpani libidinoſè multa feciſſent, cadauera ſociorũ accumulant, & unà cũ ſuburbio exurunt, ne de numero cæſorũ conſtaret. Ex oppidanis uerò honeſtis & piis uiris deſiderati ſunt ad centũ. Sleid. 21.

Hiſpani oppugnant Cõſtantiam.

Eccleſiarum miniſtri in Germania in exilium acti.

HOc tempore in Germania Eccleſiarũ Miniſtri magno in periculo erant. Qui em̃ nouã religionis formulã ſuſcipere recuſarãt, illi aut cathenis uincti in Carcerẽ adducebant̃, aut officio ſemoti in exiliũ mittebant̃. Hic Martinus Frechtius Antiſtes Vlmẽſis cũ quatuor aliis in carcerẽ rapiẽ. cũ etiã Georgius pius frater, dum ædes præteriret eundẽ conſolaret̃, quoq; una abductus eſt, ſtipati circiter ducẽtis Hiſpanus. Hac ratione Vuolffgangus Muſculus & alij Auguſta, Ioannes Brentius Hala Sueuorum, Ambroſius Blancerus Conſtantia, Martinus Bucerus Argentina diſceſſerũt, ut Canibus ablatis, lupi atrocius in oues & Chriſti gregem graſſari poſſent.

FANINVS Italus Ferrariæ Martyriz atus in ſeptemb. Anno 1550.

FAninus natus Fauentiæ Italiæ oppido, in ea regionẽ, quæ Romaigna uocabulo corrupto appellat̃, ex familia ortus Faninorũ. Is quidẽ primis ætatis temporib. nullã doctrinæ ſalutiferę cognitionẽ habuit: ſed poſteà Scripturã ſanctã ſummo ſtudio & diligentia legere cœpit, libris adiutus in linguã uernaculã cõuerſis: ꝓpterea q Latini ſermonis nõ ita erat ꝓtus, ut eius facultate in ſacris literis uerſari poſſet: uerũ optimè intelligẽs eã eſſe uirtutẽ Dei, optimi maximi ut cũ hominib. uult reuelari, ad eã cognitionẽ certo aliquo genere ſermonis nõ utat̃, cõmoditate linguę patrię adiutus, diligentẽ operã ad legendã Scripturã cõtulit. Poſt diuturnum aũt ſtudiũ, ſentiens in ſeipſo optimũ ſuauiſſimumq;

Lectio ſacræ Scripturæ, uia ad pietatem.

simumq; fructū, quē ex ea lectione atq; meditatione perceperat, statuit ꝓ singulari pietate ac gratitudine, thesaurum tam liberaliter à Deo sibi cōmunicatum, nō in seipso occultare, sed alijs cōmunicare atq; impertire. Erat enim plane persuasus nullo modo hominib. licere, neq; æquum esse, postquam Deus eos semel Spiritu suo illuminauit, atq; in agnitione uoluntatis suæ instituit, cognitam occultare ueritatē qua nihil est ei preciosius, eamq; quodammodo sepelire. Itaq; cœpit paulatim diuersis in locis diuulgare, ac pluribus patefacere hominib. eam cognitionē, quam tū quidē ex Euangelio Dñi nostri Iesu Christi adeptus erat. Nō ꝙ primùm omnib. quid sentiret, publicè declararet: sed satis esse arbitrabat, si initiò priuatim aliquē eius gustum dare potuisset. At satellites Pōtificis Romani, eiusq; administri, cùm hoc eius studium intellexissent, omnib. modis operā dederunt, ut Faninus caperet. Cùm esset in carcere, uxor liberiq; eius & amici eum cōtinuis precib. ita solicitarunt, ut homo uictus eorum studijs, patrocinium ueritatis susceptum deposuerit, testimonioq; iudicij sui, qd Euangelio dederat, improbato, ueniam, & carceris liberationē sit cōsequutus. Verùm simulatq; carcere dimissus est, ita animo fuit perturbatus, mēteq; affectus, ut desperare plane uideret. Et certè nisi Deus eum sua prehēdisset manu, atq; eum pro sua misericordia retinuisset, in horribilē desperationē confusionēq; prolapsus esset. sciebat enim se Christum Iesum quē & summo studio amplexus fuerat, & magno cum gaudio spiritus ꝓfessus, perfidiosè indigneq; abiecisse, ut cum suis in hac uita remaneret: atq; ita charitatē suorum pietati Christo debitæ prætulisse. Cōscientia autē eum ita premebat, ut perpetua perfidiæ recordatio, summum & acerbum animo eius cruciatum die noctuq; adferret. Itaq; grauissimum illud peccatum suum gemere, & peramarè deflere cœpit, q Christum Iesum, Dñm glorię, ac ꝓ se mortuum, uerbum eius prodens, abnegare ausus esset: uitamq; ita tristē acerbamq; suscepit, ut eum nemo lætum alacrēq; postea uiderit: donec eum animum recepit, quo officium studiumq; suum Dño fidelius q̄ antèa fecerat, præstare cōstituit. Cùm igit animo ita esset cōfirmatus ac persuasus, ut causam ueritatis, quam turpiter deseruerat, omni animi cōtentione tueret, abiecto omnium periculorum & malorum metu, cœpit palàm dicere, ut illam suam abnegationē ac proditionē præclarissima confessione resarciret, se tantò magnificentius Deum Christumq; Filium eius confessurū, quantò turpius indignius antea illum abnegauerat. Itaq; hoc spiritus studio summoq; ardore inflāmatus, oēm illam regionē Romaignam peragrans, singulas urbes adibat, in quib. publicè puram Euangelij doctrinam tanta ui spiritus & cōstantia annuntiabat, ut oēs maxima admiratione afficeret. Si uerbum Dei quibusdam in oppidis ac locis publicè nō erat ita receptum, tum priuatim ad certos homines aliquos accedebat, ut hoc modo experiretur qui essent dociles capacesq; percipiēdæ eius doctrinæ, quę in Euangelio continet. In quib. quidē docendis atq; instituēdis quantum poterat, elaborabat, ut eos ad cognitionem uoluntatis Dei & salutis uiam adduceret. Dicebat autē se in ijs instituēdis, quibuscum uersaret, huiusmodi ratione uti & ordine, ut primū ex eorū animis euelleret prauas impiasq; opiniones ac errores quib. erāt occupati atq; ꝓfusi: quo intelligere ac sentire possent eā impietatē in qua erāt iādiu cōfirmati: deinde paulatim eos ad meliorē disciplinæ uitæq; rationē adduceret. Atq; ita eos erudiebat, ut tēporis ꝓgressu ad maiorē ueritatis cognitionē deduceret. Hoc quidē certè magni æstimabat, cū ex aliquo loco discederet, si duos aut tres in uera pietatis doctrina informasset: ꝓpterea q unusq;sq; eorū rectè instituto, alios ipse docere atq; instituere poterat: cæteri idē si facerēt, maximū fideliū hominū numerū futurū. Porrò cū hæc ita gererent, pius homo Faninus Anno 1547. captus est quodā in loco cui Bagna cauallo lingua Italica nomē est, in quo cū capitis dānatus esset ut igni cremare

Veritatis abnegatio summæ crux animi.

Veræ institutionis ad pietatem ratio.

tur,

tur, gaudere cœpit, dicens, horã suã nondũ ueniſſe, ſed hunc eſſe tantũmodò doctrinæ ſuæ introitũ, ut plus alijs prodeſſe poſſet, & in eo quidẽ uerũ dixit: nam paulo pòſt Ferrariã deductus atq; ibidẽ per biennĩũ in carcere detentus fuit. Tandẽ uerò Inquiſitores hæreticæ prauitatis Anno 1549. morti adiudicarunt. Cũ aũt tẽpus eius nondũ adeſſet permanſit ibidẽ ad ſeptemb. Anni 1550. Interim multi fideles, pijs eius exhortationib. nõ mediocrẽ conſolationẽ acceperunt, magisq; in timore Dei ac uera pietate ab eo inſtituti, ſeipſos in propoſito gratiæ diuinę confirmarunt, ſed Papa Roman. qui ſua ſemper cogitat, ueritus huius hominis parrheſiã mandauit ut Faninus arctiore cuſtodia teneretur. Itaq; interioríb. arcis ergaſtulis incluſus octodecim menſes fuit, ibiq; grauia tormenta perpeſſus, grauiora etiã paſſurus, ſi Dominicani eius urbis eum apud ſe habere potuiſſent. Et quanquã carcerẽ eius ſæpè mutarent, eũq; nunc in hunc, nũc in illũ locũ tetrũ atq; horribilẽ includerent: hęc tñ animũ mentẽq; ipſius non mutarunt: ſed idẽ qui antè extiterat, conſtans in ea fide qua leſum Chriſtũ amplexus fuerat permanſit. Includebaẽ aliqñ ſolus in carcere, ab alijs ſeparatus: aliqñ cum alijs captiuis coniungebaẽ. Sed peræquè illi erat, propterea q; utraq; in ratione fructũ aliquẽ ſemper adferebat. nã & alios, quos in conſuetudine ſua habere poterat, cũ exẽplo uitæ modeſtæ, tũ optima pietatis doctrina inſtituebat. Hac uerò priuatus uitæ ſocietate, in ſolitudine conſtitutus, perpetuò ſcribebat aliquid, ſuiſq; ſcriptis demonſtrabat, quod corã ſermone declarare non poterat. Deniq; incluſus fuit in quodã carcere, ubi erant primarij duces ac principes hominũ factioſorũ, qui in Italia plerunq; partes ſectasq; facientes, magnorũ authores motuũ exiſtunt. à quib. pius homo ſæpe atq; aſperè diuexatus eſt, propterea q; ſcelerati homines, qui uidebãt illũ ita loquentem, arbitrabantur aliquẽ melancholicũ humorẽ, ut uulgò dici ſolent, in cerebrũ eius aſcendiſſe atq; ita mẽte eſſe alienata. porrò etiã homines cauti ac prudentes, officio monitorũ apud eum utebantur, demonſtrantes eam opinionẽ ei eſſe deponendã, libere cũ hominib. uiuendũ, neq; fatigandũ animũ, ſed quiſcendũ eſſe quoad de huiuſmodi reb. eccleſiaſticis aliquid cõmuni cõcilio decretũ eſſet. Tum Faninus, ut erat homo admodũ modeſtus & ſumma comitate præditus, primũ de ſolicitudine & cura quã haberẽt de ſalute ipſius, gratias egit. deinde eam doctrinã, quã conſtanter tuebaẽ, oſtendit nõ eſſe humorem aut opinionẽ in ſuo natũ ingenio, ſed purã Dei ueritatẽ, in uerbo atq; Euangelio leſu Chriſti reuelatã hominib. & his maximè temporib. reſtitutã: ſe nullo modo cõſtituiſſe hanc certiſsimã ueritatẽ abnegare, ut mendacijs hominũ adhæreſceret. q; uerò ad animã, quæ ſanguine filij Dei redẽpta eſſet, ſuauiſsima frui libertate. De concilio uerò dicebat ſe nullã aliã ſententiã & authoritatẽ expectare aut uelle, q̃ eã quæ in Euangelio declarata ei conſtaret. nã Chriſtũ leſum, cùm illud lætũ gratiæ & ſalutis nuntiũ attulit, conciliũ ac decretũ huiuſmodi annuntiaſſe, atq; morte ſua cõfirmaſſe, ut nulla confirmatione alia opus eſſet. Huiuſmodi uerbis illorũ animos ita cõmouit, ut eos ad rationẽ uitæ melioris reuocarit, ad eamq; adduxerit admirationẽ, ut eum ſanctũ uirũ appellarent. Quod cùm ille animaduertiſſet, eos ita confirmauit: Equidẽ, fratres, ſcio & agnoſco me miſerum eſſe peccatorẽ: ſed fide, qua de gratia Dñi noſtri leſu Chriſti perſuaſus ſum, peccata mihi condonant: quemadmodũ ueſtra uobis quoq; ignoſcent, ſi Euangelio, in quo certiſsimũ eſt gratiæ Dei teſtimoniũ, firmã fidẽ habeatis. Erant præterea alij captiui, qui molliori ac lautiori uitę aſſueuerant: quibus commutata iam conditio maximum dolorem afferebat. ſed eorum dierum conſuetudine, quam cum Fanino habuerunt, ita fuerunt recreati, ut eam uitæ rationem moleſtiæ atq; acerbitatis plenam, non tam grauiter indigneque ferrent, neq; liberationem ita uehementer appeterent: ſed huiuſmodi captiuitatem ſibi quodammodo gratularentur, de eaque gloriarentur, per

Faninus cũ factioſis includitur.

Chriſtiani ſoli liberi: etiamſi carcere detinentur.

Carceris aſperitas lenior fit alijs Fanini cõ ſuetudine.

per quam in meliorem libertatem, quàm unquam antea edocti fuerãt, uocati essent. Porrò parentes eius, de ipsius statu certiores facti, facilè intellexerunt eo illũ in discrimine uersari, ut de uita eius actũ esse uiderẽt. Itaq; uxor sororq; Fanini, ad carcerẽ accesserunt. Res erat planè acerba, cũ hæ duæ mulieres, quarum altera amore fraterno, altera maiore beneuolentię & charitatis cõiugalis uinculo apud eum plurimũ ualere poterat, ambæ mœstæ ac mœrentes, cũ fletu ac lachrymis eum orarent, obtestarentẽ, monerent, ut si sui nollet rationẽ aliquam habere, memoriã certè & beneuolentiã curamq; erga liberos suos susciperet & conseruaret. At uerò Faninus eis ita respondit, ac tenerrimo naturæ sensui admirabili fidei constantia ita restitit, ut qui uidebant & audiebãt, admiratione tantę uirtutis atq; magnitudinis animi, attoniti uiderentẽ. Dñs, inquit, meus & magister, mihi non mandauit ut ipsum abnegẽ familiæ causa tuendæ meæ. uobis quidẽ satis esse debet, q̃ propter uos semel in eã perfidiã sum delapsus quã scitis. Quanquã gratia Dei nõ ita turpiter lapsus fuissem, si hanc tantam cognitionẽ, quã post illũ lapsum mihi dedit, habuissem. Sed, obsecro, domũ uos recipite in pace. ego enim planè scio, Deũ usq; ad hunc diẽ opera mea usum fuisse: nunc finẽ meũ appropinquare, ut ex hac uita me ad eum conferã. Tum mulieres illæ cũ magno eiulatu ac multis lachrymis discesserunt. ipse uerò sine ulla animi perturbatione in illa sua admirabili constãtia firmitateq; permãsit. Porrò Paulo Pontifice mortuo, successor eius Iulius tertius, id tẽporis Papa creatus, misit literas, quib. iubebat ut Faninus uita priuaretur. Itaq; minister quidã magistratus eũ conuenit, ac significauit ipsum uesperi in communẽ ducendũ esse carcerẽ, propterea q̃ Pontifex omnia eius acta diligenter inuestigarit atq; hæreticã eius doctrinã inuenerit, ita ut capitis sit dãnatus. q̃ si uerò hanc doctrinã reuocare & abiurare uelit, ipsum hanc & futuram uitam conseruaturum. Tum uerò Faninus ministrum eum nuntiumq; mortis suę amplexus ac deosculatus, pro allato nũtio huiusmodi tam grato atq; exoptato gratias ei egit, ac dixit: Ego uerò, mi frater, mortem quam nuntias mihi, æquissimo animo suscipio propter Dñm & saluatorem Iesum Christum, qui ut me à morte redimeret, uitæ non pepercit suæ. Deinde perlongum sermonẽ habuit de felicitate uitæ sempiternæ, coram ijs qui tum ibi aderant. quorum quidam ei dixit: Quo in statu nunc discedens liberos tuos relinquis? quem tutorem & uicarium tui absentis mortuiq; instituisti? obsecro te, mi Fanine, ut paruulorum liberorum tuorum recorderis, uxorisq; tuæ, quam tantoperè diligis, miserearis. Ego, inquit Faninus, optimum omnium tutorem curatoremq; illis relinqui, in cuius quidẽ certissima & fidelissima custodia tutelaq; eos perpetuò fore tibi affirmo. Tum ille quæsiuit quis nam ille foret. Dominus, inquit, Iesus Christus, fidelissimus eorum tutor & conseruator futurus est. Vnde nuntius ille contristatus lachrymabundus discessit, atq; omnibus declarauit Faninum esse hominem innocentem & sanctum. Sequenti tamẽ die Faninus digressus ex eo loco, in manũ ciuilis magistratus est traditus: cumq; in cubiculo quodã inclusus fuisset, compedibus eũ constrinxerunt, hancq; solã impertierunt gratiã, ut manus solutas liberasq; haberet: reliquo uerò corpore toto uinctus & constrictus fuit. Interea nullus ex urbe eum adire poterat, nisi ij qui ex domo & familia Præfecti erant eiusq; satellites, aut ij qui apud Præfectũ gratia ualebant. qui aũt potuerũt ad eum accedere, quorũ magnus fuit numerus, dicebãt eum diabolũ habere in corpore: ea etenim ui ipsum loqui, ut eũ à diabolo occupari oporteret. nã hoc quidẽ modo profani homines, de ueritate Dei cõtumeliose loqui solent. Verũ cùm eximiã eius constantiã propius aduerterent, summamq; animi æquitatem atque tranquillitatem aduersus omnem mortis horrorem comparatam uiderent, & in ore nihil eum nisi uerbum Dei habere, & totum ardore Spiritus cœlestis accensum atque inflammatum, cœperũt ut cæteri

Fanini constantia.

Faninus arctius constringitur.

cæteri, oculos in eum suos intendere, aurésque ad eum attentè audiendum adhibere. Mulieres quidem eorum qui erant in magistratu, cùm audirent eum tanta suauitate & gratia loquentem, à fletu ac lachrymis continere se non poterant. quinetiam ipse carnifex, eius mortis administer, non potuit se à lachrymis temperare. Faninus autem eis dicebat: Fratres mei, Deus quidem uobiscum sit: sed uenistis ne uos huc, ut mecum una gaudeatis quòd ex hoc mundo decedens, in cœlum ad Deũ meum concedo? Deinde sursum oculos attollens suos, tanta uehementia ardoreq; precabatur, ut quasi igneus exardescere totus uideretur. Tum paulo pòst animo & uultu ita hilarescebat, ut omnium oculos in se conuerteret, omnesq; ad se alliceret, ut etiam ij qui ad eum accedebant ut ipsum confirmarent, consolationem ab eo acciperent. Fuit quidam ex amanuensibus publicis, qui eum monuit, si quod professus erat retractare uellet, consilium Papæ non esse ut ipse moreretur. Cui Faninus tum sub rides respondit, si quid haberet falsi aut praui, posse facilè coargui atq; conuinci: sed eam uim esse ueritatis, ut quanuis laboret aliquando, opprimi tamẽ nunquam possit. itaq; se nullo modo uelle ita liberari, ut ueritas obscuraretur atq; extingueretur. Sed amanuensi illo relicto, quoniã id quod ab eo proponebatur non erat ita magni momenti, cœpit exponere multos sacræ Scripturæ locos: ac quò maiorem authoritatem haberet oratio, Latinum textum proferebat, ac memoriter pronuntiabat. quæ res erat non parua admiratione digna: propterea quòd homines satis sciebant eum in lingua Latina exiguè uersatum atq; exercitatum esse. is tamen magnum numerum locorum ac testimoniorum adducebat, singulaq; capita ita allegabat, ut in nullo falleretur, ut omnes facilè animaduerterent eum Spiritu Dei regi & gubernari. In his etiã pronuntiauit quosdam uersus, quos de iustificatione, de prædestinatione, & aliis quibusdam grauissimis fidei capitibus composuerat. Sed quoniam paulò lætior hilariorq; esse uidebatur, exultareq; immoderatius: quidam ex ijs qui ibi aderant, ei dixit: Quid causæ est, quòd tu nunc tantopere lætaris? nam si Christus, cùm mors ei impenderet, præ animi tristitia sanguinem & aquam sudauit, Patremq; orauit cum summo animi angore ne moreretur: quid habes tu, cur hac tanta lætitia efferaris? Ei tum Faninus respondit, Dominum Iesum, quanuis nullum unquam peccatum habuisset: tamen cùm nostra causa iudicio Dei uellet satisfacere, omnes nostras infirmitates suscepisse, pœnasq; omnes luisse ac persoluisse, quæ peccatis nostris debebantur, ita ut cùm in horto esset & in cruce suspensus, ueros mortis dolores senserit, eásque inferorũ pœnas, quas nos meriti iurè perferre debebamus. itaq; eã causam fuisse cur in horto tãto animi angore affectus afflictúsque fuerit: quoniã in carne nostra mortem nostram infernúmque sentiebat. Ego uerò, inquit, qui uera fide possideo benedictionem Iesu Christi, ea nunc perfruens, maximoperè lætor plane persuasus, quòd moriens in uitam transferor sempiternam & beatam. Cur igitur ego non lætarer, cùm huiusmodi fiduciam atq; spem habeam? Porrò cùm Faninus hac consolatione perfusus ita loqueretur, ecce tribus horis ante diluculum duxerunt eum in plateam urbis ne populus posset adesse, eáque audire, quæ ipse ante mortem dicere constituerat. Ibi denuò conterranei, qui forte uasa figulina Ferrariam adduxerant, admonere cœperunt ut ratione habita uxoris & liberorum sententiam suam mutaret, ne ita essent misere derelicti. Quibus respõdit, sese illos Christo commendasse, qui optimè ipsis prospecturus sit. Tum uerò de more crux ei allata est, quam cùm uidisset, Obsecro uos, inquit, ne tantum laboris suscipiatis, an existimatis uos memoriam Domini nostri Iesu Christi in cœlo uiuentis ac regnantis, hoc fragmento ligneo mihi magis renouaturos ac confirmaturos, quam ego in corde meo infixam habeo? Et simul genibus in terram positis Deum summo animi studio precatus est, uerbis

Faninus memoriter Scripturæ locos explicat.

Quare Faninus in morte adeò sit lætus.

uerbis maximi ardoris pleniſsimis, quibus à Deo petebat ut ipſe pro ſua gratia & miſericordia mẽtes cordaq; occæcata miſerorum eorum hominum qui ibi aderant, illuminaret. Deinde cùm ſeipſum ad trabem ac funem, qua ſuſpendendus atq; ſtrangulãdus erat, compoſuiſſet ac pręparaſſet, atq; carnifex eius innocentiam intelligens auffugere cuperet, hilaris dixit carnifici, ut quod ei mandatum eſſet perageret: Satis quidem ſe ſcire multos hic eſſe qui putarent ſeſe rem gratam facere Deo, alios uerò ſanguinolẽtos pijs inſidiari quantumuis cauſa illa ſancta ſatis ſit eis cognita, tñ ſe Deum patrem orare, ut ex æquo omnibus ignoſcat. Ita ſemper ſe commendans Domino Ieſu Chriſto, eumq; orans ut animam ſuam reciperet, laqueo uitam finiuit. circiter uerò horã prandij conſuetam, in eodem loco quum corpus eius combureretur, plericq; dixerunt ipſum uaporem, qui ex corpore eius exhalabat, quaſi gratiſsimum mortis eius odorem, in mentes multorum hominum penetraturũ, maioremq; uim ad homines admonendos & conſolandos habiturum, quàm uerba illius habuiſſent. Conſuetudo autem in ea regione eſt, ut oſſa & cineres relicti, extra urbem deferantur, ſed nec Præfectus, nec inquiſitor, nec Epiſcopus, nec magnus eius uicarius, nec ullus Theologus id negotium ſuſcipere uoluit: unuſquiſq; eam curam à ſe reijciens & conferens in eum qui mortis illius cauſa fuiſſet: planè omnes apertè declarabant quid de eo homine ſentirent, quem innocentem fatebantur, neq; mortem huiuſmodi commeruiſſe. Tandem populus negotium ſuſcepit ut oſſa eius uſtulata cum cineribus ex platea deportaret.

Gratiſsimus odor mortis piorum.

Is ſcripſit complures epiſtolas & multa alia, tum cùm in carcere teneretur. Inter alia eius opera, duo ſunt libri de Proprietate Dei, & alij duo de Confeſſione, totidem etiam de Modo ac ratione qua fidelis homo cognoſci, atq; ab infideli diſcerni poſsit. Præterea ſunt eiuſdem centum homiliæ de maximis & grauiſsimis fidei capitibus, multáque alia ſcripta, quæ hic ſanctus Martyr Faninns poſt mortem ſuam reliquit.

Dominicus à Baſana Placentiæ religionis gratia ſuſpenſus in ſeptemb. Anno 1550.

EOdem tempore quo hæc Ferrariæ acta ſunt ſimile quippiam Placentiæ contigit. Erat enim quidam Dominicus à Domo alba ciuis in urbe Baſana ditionis Venetorum. Hic ante aliquos annos Carolo Imperatori in Germania militarat, atq; ibidem Euangelij doctrinam perceperat. Idcirco ſtatim ſecularia arma depoſuit atq; ſpiritualia induit. ut autem certiorem cognitionẽ omnium capitum religionis impetraret, ſemper ſeſe peritioribus coniunxit, cum ijſdem conferendo & diſputando. Quo factum ut breui eam ſapientiam nactus ſit, quod ubicq; ad annum quinquageſimũ multa bona in Eccleſia Chriſti præſtiterit. Hoc uerò Anno Neapolim ꝓfectus ut hinc inde in oppidis & uicis Chriſtũ prædicaret, & uerbũ Dei diſſeminaret ubicq;. Cùm uerò Placentiam redijſſet, in foro cathedra erecta magna hominum multitudine circumſtante diſſeruit pro concione, de uera confeſsione, purgatorio, & indulgentijs. Altero uerò die egit de uera fide & bonis operibus, quatenus, ad ſalutem ſint neceſſaria, promittens interim ſeſe die ſequenti de Miſſa aliquid propoſiturum, atq; Antichriſtum depicturum ſuum coloribus. Cùm itaq; hora ſolita cõpareret atq; cauſam illam iam cœpiſſet, ſtatim adeſt fori Magiſtratus, qui eum iuſsit de cathedra deſcendere & eum lictoribus tradidit. Dominicus libenter obediuit, dicens ſe ualde mirari, quod diabolus tam diu ſuum conatũ ferre potuerit. Inde ſtatim ad Epiſcopi uicarium ductus, rogatur, an ſacerdos ſit, & quis nam ei hanc functionem cõmendarit? Reſpondit ſeſe non eſſe ſacerdotem Papæ ſed Ieſu Chriſti qui ipſum quoq; ad miniſterium illud legitimè uocarit. Deinde propoſitum num uelit ea reuocare quæ contra Eccleſiã Romanam dixerit? quod ſi enim renuat eſſe moriendum. Sed conſtanter reſ

Dominicus Chriſtum prædicat in Italia.

S ſpondit,

spondit, sese non suam sed Christi doctrinam proposuisse, quã etiam sua morte consignare & confirmare paratus sit. Agere etiam Deo ingentes gratias, quòd dignus sit habitus ut nomen eius Martyrio suo glorificet. Propterea in fœtidum carcerem magna crudelitate retrusus. Cùm etiam ibi per menses aliquot detineretur, sæpius admonitus est ut reuocaret, ni de uita periclitari uellet. Sed constans in sua doctrina permansit. Vnde tandem ad forum ductus, ubi prius concionatus erat, ut ibidem laqueo finiret uitam. Ibidem omnib. papisticis superstitionibus reiectis sese ad Christi solius gratiam & misericordiã conuertit. Orauit etiam ardenter pro inimicis suis. sicq; spe plenus, anno ætatis tricesimo uitam hanc miseram cum æterna gloria commutauit, in septembre Anno 1550.

MACAEVS MOREAV Trecis combustus, Anno 1550.

M.D.L. SEquenti anno qui erat post millesimum quingentesimum quinquagesimus, Macæus Moræus Trecis Campanis (Troia in Campania à Gallis nunc nominatur) combustus fuit, atq; in confessione huius piæ salutarisq; doctrinæ constantissimus semper permansit.

IO. GODEAV, ET GABRIEL BERAVDIN, Chamberiaci combusti, Anno 1550.

IOannes Godæus, Chinone Turonensis Gallię oriundus, & Gabriel Berau dinus patria Iuliodunensis quod Lodunum hodie dicitur, cùm Geneuæ uterq; habitaret, capti fuerunt Chamberiaci, quòd sacerdotem quendam, nomine Dei contumeliose in sermone abutentem reprehendissent, amiceq; admonuissent. Godæus cùm doctrinam Euangelij purissimè integerrimeq; defendisset, ea in urbe combustus est, mense Aprili, anno *M. D. L.* Gabriel autem Beraudinus, quanuis initiò, horrore tormentorum sensibus percepto, in confitenda ueritate nonnihil uacillasset: ea tamen morte quam Ioannes perpessus erat, ita fuit animo confirmatus ut paucis post diebus idem genus mortis constanter sustinuerit: adeò ut aduersarij, cùm summam eius constantiam cernerent, ne posset loqui, linguam ei præcidendam curauerint. Is tamen sanctissima quadam ui spiritus præditus, nunquam loqui destitit, adeò ut satis intelligeretur: Præpositusq; qui eum ad ultimum supplicium ducebat, carnificem uehementer accusarit, quasi non bene ei linguam amputasset. Cui ille multis audientibus satis aspere respondit, in sua non esse potestate ut eum loqui prohiberet. Hi autem duo, multos ueritatis ignaros ædificarunt, cùm summam fidei constantiam diuinitus datam, ad extremum usq; spiritum declararent ac præstarent. hoc uerò exemplum imprimis memorabile est eorum, qui cùm in ecclesia Dei Geneuæ piè uixissent ac Deum coluissent, egressi postea, doctrinam Euangelij in qua fuerant instituti, grauissimo constantissimoq; testimonio & martyrio comprobarunt.

Miraculum loquentis sine lingua.

Mulier Augustana Anno 1550. in periculo.

MVlier erat quæpiam Augustæ, ciuis, quæ pretereunte fortè sacrificio, & ad ægrotum quempiam deferente panem azymum, quem hostiam appellant, accensis de more cæreis, perconctando mirabatur, quid ille claro die lucernam adhiberet. propter hoc dictũ capta fuit, & in magno uersabatur periculo. Sed multis fœminarum precibus, ac demum sororis Cæsaris Mariæ intercessione seruata, relegatur. Io. Sleid. 22.

Magdeburgensium periculum. 1550.

QVum hoc tempore Imperator in Germania quasi triumpharet, atq; omnes ciuitates & principes ferè Religionis nouam formulã suscepissent, soli Magdeburgenses in cœpta doctrina fortiter perseuerabant, nullisq; minis, nulla proscriptione, nulla bellorum calamitate à proposito abduci potuerunt.

runt. Hinc ergo bello petuntur, urbs obsidetur, & infestissima quæq; inferuntur. Ita ut multi honesti & cordati uiri Euangelij nomine hoc tempore apud eos mortis pericula subierint. tandem tamen cùm ultra annum constantes in omni calamitate permãsissent, Dei beneficio, honestos pacis articulos unà cũ cognita ueritate impetrarunt, atq; in gratiam ab Imperio recepti sunt. Memorabile antiquæ constantiæ in Germanis exemplum. Sleid. lib. 23.

THOMAS SAMPAVLINVS Lutetiæ martyrio affectus, 19. Septemb. Anno 1551.

Thomas Sampaulinus, patria Suessionensis, cùm anno M.D.XLIX. cum matre, ac fratribus, alijsq; multis propinquis se Geneuam ad Deum purè colendum contulisset, reuersus est in Galliam propter quædam sua negotia, anno M.D.LI. quo in itinere magna in pericula incidit, cùm spiritu Dei permotus (quẽ purissimè in ecclesia aluerat) blasphemias ferre non posset, sed liberè eas reprehẽderet atq; alia uitia, quę in eo Gallię regno diuturna iam cõsuetudine & licentia, ueluti ius quoddam obtinuerunt, ut non sine summo piorum periculo reprehendi possint. Deus tamen eum ex omnibus eripuit, & pro sua singulari prouidentia, alium in locum theatrumq; celebrius reseruauit, quod ei Lutetiæ ad Euangelij doctrinam confitendum, paratum erat & constitutum. Is igitur in eam urbem cùm uenisset, atq; ibi quasdam merces uenderet, ferre non potuit cuiusdam blasphemias, quin cùm eum liberè redarguisset, comiter etiam pro ea qua præditus erat humanitate ac naturæ suauitate, monuit ut huiusmodi uerba contumeliosa, sanctissimo Dei nomine indigna, euitaret. quare offensus ille tam sancta admonitiõe, atq; inter Papistas inusitata quibus homnos Dei pro nihilo ducitur, suspicatusq; eum esse Lutheranum, (ut inuidioso nomine appellant eos, qui piè de Deo sentiunt) eum curauit diligenter obseruandum, eiusq; uestigijs insistẽdum usq; ad domum in quam diuertebat. qua notata ac designata, eum statim ad loãnem Andream librorum propolam Liseti & Sorbonicorum emissarium detulit, hominem nobilitatum ea crudelitate, quam in seruos Dei exercuerat, in qua ad flammas illas excitãdas inprimis faces subdidit. Captus deniq; ac ductus est in eam comitialem curiã, quæ Castelletum Lutetiæ appellatur: ubi per consiliarios eius curiæ, magis ex ore ipsius & confessione, quàm ex chartis & commentarijs quos secum habebat, causa eius fuit informata atque instructa. Postremò ab ea curia fuit cõdemnatus ut uiuus igni cremaretur: cuius quidẽ sentẽtiæ causa, fuit eximia quædã illius constantia in confessione fidei ac ueritatis cognita atque perspecta: quã neque ullæ tormentorum minæ ei propositæ infringere unquam potuerunt, neque promissiones huius suauissimæ iucundissimæque uitę, quam iudices, sine ulla ignominia atque emendatione publica, ei promittebant deferebántque, si, quod senserat ac testatus fuerat, uellet apud ipsos cõfessione sua improbare. Hoc autem illi cùm consuetudine quadam adducti agebant ut eum perderent, ipsique religioni hac iudicij uarietate, omnem detraherent authoritatem, tum etiam permoti commiseratione quadam ætatis, in qua uix annum XVIII egressus esse uidebatur. sed singularis Dei bonitas & ueritas, quæ nullis rebus uinci unquam potest, contra impetus omnes eum infractũ inuictũque effecerat. Nam cùm quæstio de eo tam uehementer atque acriter, quàm de ullo unquam latrone aut sicario homine, habita fuisset, ut socios fideles homines quorum conscius esset, nominaret: Deus tanta animi ui eum confirmauit, ut nullum eam in partem uerbum exprimi potuerit: nec ulla mentio facta fuerit eorum quidem, qui maximè ab aduersarijs poscebãtur. eos uerò soiùm nominauit, qui aduersariorum manum effugerãt, ac iam in liberis ciuitatibus degebant. ita Deus Sampaulinum gubernauit, eóque robore muniuit, ut suo indicio neminem in periculum adduxerit: nã iudicibus qui instabãt, eumque

Tomæ Sampaulini zelus.

Sampaulini constantia.

premebant,ita dicebat, Cur me tam atrociter torquetis, ut uobis tot probos homines nominẽ? quæ utilitas ad uos redibit, cùm eo modo eos quo me nũc torquetis, cruciaueritis? sanè si referre ueſtra exiſtimarẽ, eorũ nomina quemadmodum & cæterorum, nũc proferrem: ſed certò ſcio uos in eos, ſi in ueſtra poteſtate haberetis, maiore ſęuitia atq; atrocitate ſuppliciorum, quàm in me ipſum, uſuros eſſe. Nihilominus tamen tortores illi & carnifices in illa immani crudelitate obfirmati, omnia odij ſui, ſæuitiæ ac furoris inſtrumẽta ad eum iam ſatis afflictum & propè confectum, magis adhuc cruciandum & laceran dum adhibuerunt atq; explicarunt, cùm ſummis tormentis, tum etiam clamoribus eum urgentes prementesq; ut ſocios indicaret: aut ſe eius corpus in fruſta diſcerpturos. Denicq; tortorum manus in huiuſmodi quæſtione exercenda fuerunt fatigatæ. Maillardus uerò, egregius doctor & Sorbona dignus, ac pleriq; eius ſimiles, à curia accerſiti ut Thomam conuerterent, perculſi tanta in iuuene conſtantia, exclamarunt, uehementius arctiusq; torquendum. Homines fide digni audiuerunt ex Auberto, qui unus erat è numero urbanorum conquiſitorum urbis Pariſienſis, qui tum ei quæſtioni præerat, homo ad ſæuitiam procliuis, tum uerò maximè cùm de religione ageretur: eum tamen tantam atrocitatem ferre non potuiſſe coactumq; fuiſſe præ lachrymis ſeorſum recedere: eundem porrò dixiſſe pluribus audientibus, ſe multis de rebus cùm priuatis, tum etiam ad diſquiſitionem Lutheranam pertinentibus loquutum eſſe: ſed eum ſibi iuuenem probum integrumq; uiſum fuiſſe. Cùm autem eorum immaniſsima crudelitas, ſingulari Thomæ fide, conſtantia, animiq; magnitudine ita uicta fuiſſet, tandem fuit ductus ad plateam celeberrimam Malbertinam appellatam, ut ibi uiuus cremaretur, habens in comitatu ad conſolationem ſuam doctorem Maillardum, ut eum ab inuocatione nominis Dei auocaret, atq; ad omnem aliam fallacem ſpem cogitationemq; traduceret. is Thomæ ſæpius dixit, ſe ab ipſa Curia mandatum habere, ut uitam ei offerret, ſi priſtinam fidei confeſsionem uellet contraria teſtificatione improbare. ad quod cùm alter reſpõdiſſet ſe millies mori malle, ſtatim in aerem ſublatus eſt: ubi ſimulatq; cœpiſſet populũ de gratia Dei & ipſius ſalute admonere, ignis ſubiectus exarſit. eum autem cùm uehementer ſentire cœpiſſet, ſubitò ex eo fuit extractus hortatu ipſius Maillardi, qui ei affirmando incolumitatem promittebat, ſi commutata ſententia uellet ſummam Curiam appellare. hoc autem ille agebat, exiſtimans ſe de eo triumphaturum, cùm horrore mortis ipſum ac ſenſu tormenti, de ſententia deieciſſet. Sed Deus uerus fideliſq; in ſuis promiſsis, oculos ei aperuit, ut contemplaretur excellentem ipſius gloriam, ad quam uocatus, toto animi ſtudio ac deſiderio aſpirabat. Itaq; maxima uoce eis dixit: Cùm ego fuerim in uia ut irem ad Deũ, remittite me in eam ac me ire ſinite. Ita Thomas Sampaulinus, cùm fortiter, ut egregius miles Ieſu Chriſti, cauſam eius & gloriam Dei propugnaſſet, atq; admirabili conſtantia defendiſſet, Lutetiæ coronam martyrij eſt adeptus, XIX. Sept. anno M.D.LI.

Sorboniſtarũ crudelitas etiã impijs odioſa.

CLAVDIVS MONIER, Lugduni uiuus exuſtus ultimo octob. anno 1551.

CLaudius Monerius, natus in urbe ſancti Amandi, Talanda appellata, alio dicta nomine Cathedra, tribus milliaribus ab Iſsiodoro in Aruernia, cũ ea in urbe & Claromonte, quæ Gergobia à Cæſare nominata, metropolis eſt totius Aruerniæ, ſcholas aperuiſſet: ac iuuentutẽ imprimis in timore Dei eiusq; uerbi cognitione inſtituiſſet, in ſuſpicionem uenit apud eos qui huiuſmodi integritatem ac pietatem ferre non poſſunt. Itaq; eum à munere ſuſcepto inſtituendæ iuuentutis remouerunt. Poſtea regionem Aruerniam locaq; finitima obiuit, docens ſemper & annuntians uerbum Dei, donec graui perſecutione

secutione eiectus illinc, eò se contulit ubi & doctrinam Euangelij receptam, & ecclesiam uerbo Dei emendatam esse audiuerat. Itaq; Lausannam est profectus, urbem in ditione Bernensium positam: quæ quoniam non studijs solùm religionis ac pietatis, uerùm etiam omnis doctrinæ elegantis liberalisq; florebat, in ea aliquandiu studuit. Inde Lugdunum profectus, aliquorum puerorum curam disciplinamq; suscepit: quos in literis sacris ita erudiebat, ut multis hominibus pijs cognitus, & in sancta modestaq; uitæ consuetudine probatus gratusq; extiterit. Erat enim suaui, placido mitiq; ingenio, quemadmodũ complures homines testesq; fideles retulerunt: qui omnem eius & uitæ & doctrinæ rationem, ea in urbe cognouerant. quam quidem ipse etiam maximè declarauit ea nota, quæ ueræ piæq; doctrinæ propria sequi solet. Nam cùm aliquandiu in ea urbe ita uiuens docensq; uersatus esset, accidit ut die Dominica, xv Iulij, cùm ipse domum cuiusdam amici ac familiaris hominis uenisset nunciaturus illi aduentum Præfecti urbis, ut periculum uitaret: ac quum amicum extra portas deduxisset, reuersus redijt ad ædes amici, ut uxorem eius & familiam consolaretur: hoc officio amici Christianiq; hominis perfunctus, in ea domo Præfectus eum quadam suspicione motus comprehendit, ac deinde ad Officialem adducit, à quo interrogatus de præcipuis Christianæ religionis capitibus, receptisq; in Papatu superstitionibus ita respondit, ut subito periculo nihil planè territus esse uideretur: sed potius paratus ad ea omnia quæ homini Christiano Euangelium profitenti proposita, sunt expectanda. Sed in iudicium postridie adductus, ut de pluribus rebus interrogatus fuit, ita de omnibus non minus constanter quàm prudenter commodeq; respondit, ac ueritati, huiusmodi dedit testimonium, in quo summa sacrarum literarum cognitio & pietas cum pari magnitudine animi coniuncta esse uidebatur. Cùm autem ab eo uehementissimè flagitaretur, ut eos nominaret, qui eam doctrinam sequerentur, nullius unquam fecit mẽtionem, nisi eorum qui eò profecti erant ut nullum periculum eis pertimescendum uideretur. Sed quandoquidem in carcere cùm detineretur nactus est Dei beneficio occasionem scribendi exemplar quoddam actionum atque percontationum iudicialium aduersus ipsum habitarum: illud hic inseremus ut ipse in sua ad fideles Lugdunenses epistola loquens audiatur.

Ingeniũ & indoles Monerij.

Monerius in iudicium adductus ueritatem tuetur.

Claudius Monerius captiuus Iesu Christi, omnibus fratribus pauperibus simul & diuitibus, electis à Deo ad hæreditatem immortalitatis perpetuamq; in domo eius habitationem μετὰ παῤῥησίας: Gratiam & fiduciam per unigenitum Filium eius.

ANtea quidem ad uos scripsissem, nisi papyrus aliaq; ad scribendum necessaria mihi defuissent. Gratias ago quòd uobis adeò curæ sim, ut & certis hominibus et literis ad me missis facilè perspexi. Dominus in regno suo cõpenset uestram operam. Non latet uos, ni fallor, quo modo comprehensus fuerim: reuersus scilicet in domum amici quem deduxeram: sex aut septem satellites in eam irruunt infestis sanè animis, nec quenquam ibi reperiũt præter me extraneum. In summa, præda petita frustrati, me uelut suspectum arripiunt: ad Officialem deducor. Is ut primùm ingressus essem, rogat ex me, num corpus Iesu Christi in pane esset. respondeo, me adorare Iesum Christum sedẽtem in cœlis ad dexteram Patris sui. De purgatorio autem quid ais? Quia, inquam, post mortem nullus est misericordiæ locus, nihil etiam opus est purgatione. nam anteq; ex his corporibus migremus, purgatos esse oportet. De Papa uerò quid sentis? inquit ille: Episcopum equidem dicerem æquè atq; alium, modò Diui Petri imitator esset. Sed quia eo die Dominico nempe, pauci habiti erant sermones: postridie ad auditorium ducor, ubi à me studiosè contendebãt, ut dicerẽ si quos in hac urbe noslem, quibus familiariter usus essem: quod

Instrumenta scribendi martyribus in carcere desunt.

genus uitę aut quam artem profiterer, fassus sum, siquidem ille quem dixi amicus iam notus erat ipsis pro Lutherano, ut uocant, me ædes illius subinde frequentasse, nec alias insuper quàm ab octo aut nouem diebus diuersorium meum oliua pensili insigne celebrasse: in quo ego diuerterem, quòd in meditullio ciuitatis situm esset, quò facilius illic arte mea scitè scribendi scilicet, quęstū aliquem facerem. illud autem diuersorium minimè ipsis suspectum est. Sequenti die uenerunt tria religiosorum genera, ac tum ego accersitus, cum illi supra modum urgerent ut nominarem mihi notos homines, ui magna coactus, cupiens uitare duriora tormenta, tandem duos nominaui qui iam à duodecim ut minimùm diebus discesserant, alter in Angliam, alter Geneuam. cuius quidem rei mihi testis est Dominus. Nam reuera, fratres mei, nihil meum animū adeò cruciat, quum coram ipsis sto, quàm si quando de uobis aliquid ex me audire uolunt. Inter religiosos istos, inquā, uariè uexatus fui, hinc inde me pupugerunt aduersarij suis aculeis uenenatis. Sed quoniam pluribus Papistarū articulis respondendum erat, Quæsiuit ex me Officialis quid de uotis sentirē. dixi tāta uoueri haud posse quin multò plura præstari â nobis Lex ipsa requirat. Deinde, an inuocandi essent Sancti, Respondi ipsos precari sine fide nequire, ac proinde frustra quos ipsos obtunderet: Angelos enim à Deo constitutos ut nobis obsequiū præstent ex præcepto eius. Tum etiam, ánnon oporteret recitare Aue Maria ad salutandam Virginem. Quum in hoc mundo, inquam, uersarē, salutatione egebat Angelica, quia salute opus habebat perinde ac cæteri mortales. nunc autem quum plenè beata sit, nulla illi maior optari potest salus. Rogatus præterea an habendæ essent imagines. respondi, Quū ingenium hominum adeò procliue sit ad idololatriam, ac magis semper omnes occupati simus & intenti ijs quæ oculis cernimus, quàm quæ non uidemus, Christianis nō proponendas esse eiusmodi imagines. Scitis enim, fratres mei, adorandum esse quod oculis nō subijcitur: Deum nempe solum, qui Spiritus est. hunc itaq; in Spiritu & ueritate adorare oportet. Visus nihil prodest, cor tantummodò ille desiderat. De uoto autem religionis, respondi unā nos retinere & seruare religionem Christianam. Quod ad horas canonicas attinet, negaui nos certis horis anxiè astrictos, sed quoties nos spiritus Dei impelleret, precari: ac tum quidem attentius cùm necessitas aliqua urgeret. Ventū est ad oleum illud sacrum, salem, aliasq; eius generis nugas. quas aiebam merum esse Marranismum. Hic cùm uiderem Officialem hæsitare in uoce Marranismi, declaraui illi quid ea sibi uellet, dicens istiusmodi unguenta & salsamenta, prorsus redolere legem Marranorum, ac superstitionem Iudaicam. Ad extremum percontati sunt num probarem siqui Psalmos Dauidicos lingua uernacula canerent publicè. Quidni? inquam ego, modò id cum reuerentia fiat: omissis nimirum putidis cantilenis, quarū putore atq; spurcitie totus aer passim infectus est. Paucis diebus pòst reuocatus fui, ut quid haberem animi cognoscerent. Illi nihil me immutatum offendentes, à percontationibus prorsus abstinuerunt. Tum ego rogaui, quī nam essent aduersæ partis. Officialis autē subridens, Sunt, inquit, plurimi qui diuersas partes tuentur. Excipiebam ego, quòd optarem de fide mea interrogari. Iudex uerò dixit satius esse ut confessionem meam in scripto exhiberem, quemadmodum Richardus fecerat. His dictis, me recedere iusserunt, se de ea re deliberaturos. nec ipse eos deinceps uidi. Spero autem (si Deo placet) me ad uos missurum confessionem meam postquam illam nitidius descripsero. Hactenus de testatione mea. Reliquum est ut nunc in quo statu sint res meæ, & quid ualeam cognoscatis: meq; uobiscum consoler in hac nostra captiuitate. Nostram dico captiuitatem, quando quidem ut me uestram, sit & uos meam sentire oportet. Inter fratres enim omnia communia sunt bona simul & mala.

Articuli obiecti.

Primùm,

Primùm, amici mei, siquidem Dominus uestris impulsus precibus me patientia fulserit, nolim in domo Regis esse, atq; hũc carcerem regis palatio præ tulero, ac potiorem duxero. nam ibi si fuero metuens ueritatem profiteri, pungetme atq; intus accusabit conscientia: qui haud mediocris est cruciatus, sed ipsis inferorum tormẽtis quodammodò grauior. cuius rei mihi testes esse potestis, quicunq; inter Babylonios uitã agitis. In ea, inquam, detinemini captiuitate, quæ mea nihilo est leuior. Corpore quidẽ liberi estis: sed animæ uestræ non sine gemitu ferunt, non ferendum sanè cuiquam iugum Antichristi. Ac licet corpus meum intra quatuor parietes inclusum sit: spiritus tamen habet q; se in Dño oblectet: quum is me tanto honore dignatur ut me in societatem Filij sui ad ferendam crucem asciscat. Orandus est præcipuè Dñs, ut q; illa carni est tristis & amara, spiritui contrà tam iucunda & suauis reddatur. ut quo maiore metu illam antehac subire recusaui, nunc fortiori animo complectar. Eheu, fratres mei, si gustu percipi possit suauitas quæ sub hac cruce latet, nemo à se illam reijceret, sed certatim omnes cõtenderemus, quò primus quisq; eam humeris sustineret. Multi tum inuenirentur Simones Cyrenæi qui crucem portarent. Verùm caro nostra tam delicata est, ut ne extremitate quidem digiti attingere uelit. Precemur igitur, precemur, inquã, Omnipotentem, ut nos corroboret Spiritus sui uirtute propter Filium suum, ad ineundum certamen pro uirili: quo superemus oẽs hostes nostros, carnem, mundũ cum principe eius Sathana, mortem, ipsos deniq; inferos. Sed præ cæteris non reperio capitalio rem hostem (quemadmodum sæpe in precibus meis dicebam) quàm proditricem illam Voluntatem nostram quę perpetua nobis comes est. Ipsa cùm sit domestica & familiaris, alijq; oẽs exteri tantùm hostes, plus nobis ab illa metuendum est. Non enim caret dolis, probeq; nouit inescare hominem. Si quis huic uenificæ indulget & assentatur, eiq; placere studet: si miser eius maritus Spiritus astutiam & arrogantiã illius dissimulat & tolerat, tota repẽtè domus tumultu ardet, subit diabolus quo illa uelut nitido fidit adultero. à quo tentata facile se patitur opprimi, nec fidem spõso datam rumpere ueretur. id multũ curat scilicet. Nonne ipsa sceleratis parentibus, filia sceleratior? Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. necesse est ut ortus sui naturam referat, atq; ad ingeniũ semper redeat improbum, nisi illam Dei gratia conuertat, ut patriã, familiã, parentes, omnia deniq; quæ possidebat prius, relinquat: atq; adeò semet ipsa abneget. Sed quis tanti operis effector existet? Quis nisi Iesus Christus, nouus maritus ac sponsus omnium piarum animarũ & uoluntatum syncerarũ. is eam de integro immutabit, eamq; liberã, obedientẽ ac placidã dabit. tum demùm castus erit lectus, nullis diuulsus querimonijs: nequaquam metuendũ erit ne Sathan eius tentet pudicitiã. quandiu fidelis erit Spiritui sancto, procul erunt oẽs maligni spiritus. Quapropter, fratres mei, precemur assiduè Patrem cœlestem, ut creet in nobis cor mundũ, det nobis cor nouũ, gubernet semp̃ uoluntatẽ nostrã spiritus sui ductu, ne adulter ille Sathã eã suis prestigijs illudat, q ut illã ad nequitiã abducat, nihil omittit, eamq; assumpta boni Angeli forma petit. O terq; quaterq; fœlicẽ D. Paulũ, qui pbe huius nouerat insidias & quò tãti nebulonis calliditas tenderet exploratũ habebat. Cõsiderate, quæso, fratres mei & sorores, an ullus locus segnitię aut socordię sit, ac nõ potius assiduas in specula excubias agere debeamus, cũ tã cautos habeam⁹ inimicos, maximeq; piculosissimũ omniũ in nobis ipsis domi certamẽ. Dicat nũc aliqs nos à cruce liberos, omniq; molestia & prælio uacuos. non'ne cõstat in hoc q̃ uerè dixerit Iobus: militia est uita hominis in hoc mũdo? Qd' q dẽ bellũ perpetuũ & funestũ iure dici potest, siq̃dẽ in eo ad extremũ usq; uitæ spiritũ nobis dimicãdũ sit, nec ulla ante mortẽ pax aut inducię iniri queãt. Ad hæc non'ne horrẽda & ferox pugna est, qñ ipsi nosmet petimus & nobis ipsi

Martyrum carcer pro palatio habetur.

Paulus fœlix, dictus.

hostes sumus? Atqui si nostri nosmet haud miseret, quis quæso nos respiciet? Pater nimirum omnis misericordiæ, ei si uidebitur: qui etiam inimicis suis benefacit, atq; iniuria accepta beneficium reddit. faxit is pro sua gratia, ut & nostri & aliorum misericordia tangamur. Agite ergo commilitones mei, ad prælium accingamur, ad arma, inquam, ad arma. Bono animo este uiri fortes, & audacter in medium procedite. Nequid timeatis hostes. facilè ipsos superabimus: duce enim Christo nihil desperandum, qui eos omnes pro nobis uicit. Spes itaq; uictoriæ eius nobis sit loco galeę, deinde clypeum assumamus qui ictibus telorum sufficiat, fidem scilicet uiuam, firmam & constantem. Videamus etiam atq; etiam ne gladius nobis è manibus elabatur: ensis, inquam, Spiritus sancti utrinq; incidens, qui est uerbum Dei uiui, quod penetrat corda & animas, cogitationes omnes & uoluntates, deniq; nihil ei resistere potest. cuncta illi patent ac cedunt: illud prosternit inimicos suos, etiamsi ne strictim quidem attingat. Solo uerbo, ut ait Paulus, interficiẽdus est Antichristus. Sed diligenter cauendum ne quis hęc arma commutet ferro. nec enim ferrum, lacerti, equitatus, nec aliæ humanæ uires in militia Christiana adhibendæ sunt. relinquamus hęc omnia tyrannis atq; Rhodiensibus equitibus, qui nihil non arrogãt armis, & fustibus inculcare fidem hominibus conant̃. Sed uidetis quid proficiãt & quàm fœliciter res ipsis succedat. Idem illis impendet quod Tem plarijs, ut uocant, accidit, qui una nocte omnes proflígati fuere. Capta iam est Rhodus maximum illorum præsidium & munitissimum propugnaculum. atq; ita paulatim amittent quicquid habent reliquum. est enim planta quam non plantauit Pater cœlestis, quapropter etiam conuelletur. Papa cum fautoribus nequitiæ suæ nónne robore & potentia humana utuntur, dum nos uolunt cogere ut abiuremus Iesum Christum: contraq; credamus Antichristo falsamq; religionem amplectamur? Vincula, ignes, & alia eorum tormenta recte dici possunt, potentia tenebrarum & uis tyrannica. quę quidem tyrannis, etiamsi omni alio crimine uacarent, satis tamẽ arguit ipsos mancipia esse Antichristi, totumq; papatum plantam esse non bonam quæ tandem eradicabitur. Turca li cum papistis cõparetur plus sanè habebit humanitatis. nec enim quenquam cogit ad religionis suæ abnegationem: cuius etiam in orationib. nostris immemores esse non debemus. Videtis ergo crudelissimos in orbe tyrannos esse eos qui nomen Christiani usurpantes, falso prętextu sanctitatis, ui occupant locũ Filij Dei. Tempus breui affore manifesta sunt præsagia, quod iam Papæ dominatus multum imminuitur, alæq; ipsi præciduntur, dum se exosum reddit Principibus. Vtinam Deus regnum Filij sui Iesu Christi instauret, Antichristum uerò sede sua pellat. fiet quando illi uisum fuerit. nostrum est orare & optare tantam generi humano fœlicitatem. Cæterùm ne cogitemus hæc humanis uiribus perficienda. Deus enim, ut ait Paulus, filium illum perditionis spiritu oris sui conficiet, id est, uirtute Verbi. Quantos ammodò progressus fecerit in uarijs regnis lenis ille spiritus oris Dei, uerbum istud Domini amabile supra modũ, absq; ullo tumultu, nullaq; ui externa, res ipsa passim loquitur. Hoc ipsum diuinum Verbum docet, haudquaquam certandum cum inimicis nostris robore corporis aut ferro. Discite à me, ait Iesus Christus, quòd mitis sum & humilis corde. Sanctis igitur armis contenti simus, de quibus suprà locuti sumus, fide scilicet & spe quam in Iesu Christo habere debemus, Verbo ipsius tantummodò præfulti. Restat, fratres mei, ut de charitate dicamus, cuius praxis inter homines parũ est in usu. Nunc etenim sunt tempora, quibus Christus charitatem plurimorũ labefactatũ iri prædixit, frustra nomen Christianorũ, fidelium & euangelistarũ usurpamus, frustra etiã libros Scripturæ euoluimus: frustra Scripturã semper in ore habemus, si charitas friget: nihil agimus, inquam, si illa non excolitur. An fides dare lucẽ potest absq; charitate?

Rhodienses equites fidẽ papisticam armis propagare uolunt.

Charitas defit.

charitate: non secus quàm si lumini non instilletur oleum. Charitas singularis est nota qua ueri discipuli Iesu Christi dignoscuntur. Charitas certissimus est nostræ fidei testis. Charitas de pluribus unum cor et unam animã efficit. Charitas pusillum gregem compellit in unum. Charitas communionem Sanctorum conciliat. Qui charitatis expers est, inquit Ioannes, in morte manet, in tenebris uersatur, atque homicida est. Res ipsa tam excellens est, ut Ioannes ipsum Deum charitatem esse scribat. Cùm tanta igitur tamque necessaria sit charitas, ut sine ea mortui simus, quantumuis nobis omnia prosperè cedant: orandus est assiduè Dominus, ut in nomine dilecti Filij eam in cordibus nostris accendat uirtute Spiritus sui, ut toti ardeamus eius amore, zelo gloriæ eius, & desiderio eius uidendi: quò tandem præsentes cum eo in æternum mutuo conspectu fruamur, festumq; celebremus perpetuum in perfecta lætitia, hymnos & cantica spiritualia incessanter canentes in honorem & gloriam Dei nostri. Amen. Fratres, ne cœtus uestros celebrare omittatis, etiamsi paruo numero congregati: neue usque adeò uestes aut anulos respicia tis, scitis quòd Diuus Iacobus eam curam ut inanem reprehendat. Aestimet se quisque minoris quàm cæteros. Frequenter inuicem inuisite, ac præsertim imbecillios animo & corpore: uestrasq; domos ita constituite, ut meritò ecclesiolæ dici possint: atq; dum corpus cibo & uino reficitis, sermones habetote sanctos, hac enim ratione familiam totam ædificabitis, animæq; pastum simul & corpori præbebitis. Ne mea uos terreat captiuitas quo minus in officio sitis, sed potius meo exemplo firmiores nunc reddamini quàm unquam antea. Hic enim sum ut asseram ueritatem Dei in me operantis, precibus etiam uestris assiduis adiutus, quibus me plus millies commendo, commendabo itidẽ me ecclesijs superioribus. Quod ad me attinet, meministis quantam mea desideria uim habeant. Reliquum est, fratres mei, ut Deum orem, quò beneficia quę à uobis in me adhuc in dies proficiscuntur, sua bonitate compẽset, quemadmodum iam initiò dixi: supplicans uobis coram Domino, ut mihi ignoscatis quòd ea prudentia atq; constantia inter uos non egerim qua oportuit. Nã reuera probè mihi conscius sum imbecillitatis meæ, quòd recesserim quũ me progredi opus esset. idq; feci præ nimio metu hominũ, alijsq; infirmitatibus, quas mihi condonet Deus merito Iesu Christi Filij sui obedientissimi, rogo. Ministris honorem exhibite, non uelut idolis, sed nuntijs Domini. De me autem ne aliâs solliciti sitis quàm in orationibus uestris. nam & me & mea Deo trado omnia, cui honos, laus, gloria exhibeatur cum gratiarũ actione pro omnibus beneficijs in æternum. Amen. Rogo uos ut hanc epistolam in multorum manus tradendam curetis: nõ quòd illius dignitas id mereatur, sed ut omnes simul fratres gaudere possint, & pro me Dei opẽ implorare. Saluto uos et amplector omnes in Iesu Christo. Vester frater Claudius Monerius.

Geneuenses scilicet et Lausanẽses intelligit.

In carcere uerò Lugdunensis Archiepiscopi quandiu fuit, & fideles homines Deum que timentes literis magnopere in fide uocatione que Christiana confirmauit, & magistratus iudices que Lugdunenses de ipsorum sæuitia & crudelitate in filios Dei, atq; intolerabili dominatiõe grauiter admonuit. quæ fuit causa, ut in locis carceris profundioribus. atq; obscurioribus. demissus fuerit: ubi cũ maxima corporis molestia & ærumna, usque ad *XXVI.* diem Octob. inclusus fuit, patienter constanter que perseuerãs in ea fidei cõfessione quã antea præclarã ediderat. Quanq; sæpius maxima ui impetúque tentationũ mouere tur, quibus sathan eius fidẽ oppugnabat: tum etiã aduersarij, qui uarijs modis ac rationibus eũ à proposito auocare conabant. sed summa dei benignitas eũ semper in puritate fidei eiusq́ue constanti cõfessione cõseruauit. Itaque eodẽ Octobris die, qui fuit dies Lunæ, in maximam plateam summi templi nomine sancti Ioannis appellati, deductus est: ibiq́ue hæreticus palàm declaratus:

Fidei tentatio & uirtus.

deinde

deinde à uicario Archiepiſcopi Lugdunenſis motus de eo gradu, quem ſacerdotibus & ſuo clero conſecrare conſueuerunt: ac ita ea gradus neceſsitudine ſolutus, in manum ciuilis magiſtratus eſt traditus. indeq; lętus, quòd turpiſsima illa nota liberatus eſſet, ad alium carcerem regium Roanam appellatum traductus, in foſſamq; obſcuram miſſus uſq; ad diem Sabbathi ſequentẽ fuit, pridie eius diei quem feſtum omnium Sanctorum appellant & celebrãt. Eo autem profeſto die ſententia pronuntiata, capitis damnatus ut uiuus igni cremaretur, in locum, Sacellum appellatum, deductus eſt, ut ibi expectaret illud tempus quo iudices pranſi fuiſſent. Ibi parum piſcis & panis uiniq; allatum eſt ei ut pranderet. Itaq; cùm diu flexis genibus Deũ oraſſet, atq; aliquantum panis cœpiſſet ſumere, duo Franciſcani ad eum acceſſerũt: qui multis & uarijs ſermonibus cum eo habitis, in quibus ab illo pręclarè repulſi refutatiq; fuiſſent, alio tandem tentationis genere aggreſsi ſunt, crimẽ edacitatis ei obijcientes, tempusq; illud nõ edendi eſſe demonſtrantes, ſed alia maiora magiſq; neceſſaria cogitandi. Quibus ille cum ſumma manſuetudine lenitateq; reſpondit, ſe nõ uentris ac uoluptatis cauſa comedere, ſed corporis tantummodò aliquantum confirmãdi: ne ipſum, cùm ſit infirmum, promptitudinem ſpiritus interturbaret in grauiſsimo atq; aſperrimo certamine quod ei ſtatim ſubeundum eſſet. Hoc reſponſo tam manſueto ſummæq; æquitatis pleno, homines impudentes maximo pudore affecit coram hominibus quibuſdã qui eo in loco aderant. Horam circiter ſecundam, ſuis exutus ueſtimentis, curru ad locum ſupplicio conſtitutum ductus fuit: cuius conſtantiam, manſuetudinem, ſummamq; patientiam cùm iudices uiderent, continere ſe non poterant quin gemerent: quidam etiam lachrymas, eius innocentiæ indices ac teſtes, emitterent. Nam priuſquàm inde diſcederet, petijt ab illis ut ſibi liceret Deum orare atque inuocare. Id quod ea conditione ei conceſſum eſt, ne contra ipſos ullo modo loqueretur: aut eam ſibi pœnam eſſe propoſitam ſciret, ut lingua ei amputaretur. A carcere igitur ductus eſt uſq; ad eum locum, qui à magnitudine terræ congeſtę, atque ad Rhodanum uſque in amplam & longam plateam complanatæ, Territorij nomen habet, iunctis manibus uultuq; ſemper in cœlum erecto. aſpectuq; læto atque hilari. Porrò cùm duceretur per urbem magna hominum multitudine occurrente aut comitante, quidam obuius ei factus, eũ his uerbis ſalutauit: Vale in Chriſto. Qui ſtatim inſtinctu duorum Franciſcanorum qui ibi aderãt, comprehenſus eſt. Cùm igitur ad locum ſuprà nominatum demonſtratumq; ueniſſet, declarata fidei ſuæ ratione, & oratione Domini Ieſu pronũtiata, catena præcinctus eſt: deinde accenſo igne in aerem ſublatus: diu priuſquam moreretur, flammas eius perpeſſus eſt, ſemper orans atque hæc uerba iterans, Mi Deus, mi pater: atque ita ſpiritum Domino reddidit.

Fràciſcani edacitatis crimen Monerio obijciunt.

Cõſtantia Monerij.

Tridentinum Concilium.

HOc tempore Iulius tertius Pontifex Tridentinum concilium continuabat magna ſeueritate. Imperator enim Carolus ſeriò admonebat omnes ſtatus Imperij ut ibidem comparerent, & decretis eius ſubſcriberent. Propterea hinc inde paſsim per Germaniam pij in maximo erant periculo, qui tamẽ fortiter in cœpta Euangelij doctrina mundi minas contempſerũt. Sleid. li. 23.

GILLOTVS VIVIER, Michael Faber, & eius pater Iacobus Faber, & Anna Gilloti uxor Vallencenis ob uerbum Dei exuſti.

Perſecutio memorabilis.

PErſecutionũ tẽpeſtas, rurſus nos ad Hãnonienſes reuocat. Nã circa illud tẽpus, multi nomine Euangelij in carcerẽ cõiecti fuerũt grauẽq; perſecutionẽ paſsi in ea inferiore regiõe Flãdrica, quę ad Hiſpanũ Regẽ ptinet, impriſq; Vallẽcenis Hãnonię urbe, comite Lalaino acerrimo eius pſecutionis authore ac principe. Inter alios iſti ſunt, quorũ memoria eſt cõſeruata: Gillotus

Comes de Lalain.

Viuierus

Viuierus, natus in pago quem uocant San Saluatoris tribus milliaribus à Tornaco, homo panni texendi artifex: & Michael Faber, ex eodem quoq; loco affinis ipsius Gilloti, annos natus XIX, paterqúe eius Iacobus Faber, annos LX natus, pater Annæ quæ Gilloti uxor fuit, quæ paulo pòst propter eandem Euangelij causam in carcerem coniecta est. Eorum autem unusquisq; susceptã Euãgelij ueritatem constantissimè defendit. Iacobus uerò Faber cùm in summa ætate ad agnitionem ueritatis deductus esset, in eius professione ac confessione adeò permãsit, ut nullis impeditus aduersariorum quæstionib. cauillisqúe obiectis, ab ea ullo modo dimoueri potuerit. Si minus aduersariorũ argumentis satisfacere aut respondere posset, constanter tamen ad ueritatem Euangelij prouocabat. Neq; uerò minus insignis atq; admirabilis fuit uirtus Annę Fabræ, Gilloti uxoris, quæ pręclarum patris, fratris, maritiqúe exemplũ fideiqúe testimonium imitata, eorum quippe supplicium ac martyrium aliquo tempore, puerperio uidelicet absoluto, pòst sequuta est. Nam capitis dãnata propter constantem Christi eiusqúe Euangelij confessionem, eandem ignis pœnam mulier uirili animo cum summa omnium admiratione sustinuit. *Annæ Fabræ Constantia.*

MICHELLA de CAIGNONCLE, ibidem eodem tempore cremata.

EOdem quoq; tẽpore fuit fœmina primaria, Michella de Caignoncle nominata, uiduaqúe relicta à Iacobo Clerico, qui ex eadem urbe Vallencenensi fuit ex qua Michella eius uxor. Ea autem antequam in manus eorum incideret qui Euangelium persequuntur, fuerat postulata in coniugium à quodam fideli atq; honesto homine, ut eam secum in ecclesiam uerbo Dei emendatam ac puræ religioni restitutam adduceret. Quod quidem illa recusauit, modestissimeqúe excusauit, non quòd in eum hominem amicam non haberet uoluntatem: sed quòd Spiritu Dei nondum se impulsam eò diceret, ut patriam suam relinqueret: ac contrà in proposito gratiæ Domini atq; eius uocationis confirmatã, ut pura & integra ab omni idolorum atq; abominationum pollutione conseruari posset. Quòd si in huiusmodi ratione uitæ caperetur, Dominum pro sua benignitate & consuetudine, uirtutem eam daturum, qua prædita confiteri sanctissimum eius nomẽ posset, id quod etiam summo cum honore Dei & singulari fœminæ exemplo præstitit. Nam cùm capitis damnata esset, ut cum Gilloto ac cæteris, quorum suprà mentio facta est, uiua comburetur, ad supplicium ducta cæteros ad constantiam hortabatur, ostendens ipsos iudices à quibus erant cõdemnati & qui ad illud supplicium constituendum aderant, non posse aliud habere quàm horrendam & perpetuã conscientiæ carnificinam: cùm ipsi qui paterentur, placidissima animi pace summaqúe certitudine salutis suę fruerentur. Itaq; Psalmos canens & laudes Domini, animo non solùm æquo, sed etiam lubenti lætoqúe suum reddidit spiritũ ei, cuius nomine pœnam mortis propositam sustinebat. *Insignis constatio.*

MAVRICIVS SECENAT, Nemausij combustus 16 Augusti 1551.

MAuricius Secenatus fuit natus in ijs montibus, qui quoniam Prouincię Narbonensi adiacent, Græcè uidentur esse appellati Κέμμενοι, Gebenni nũc uulgari Prouincialiũ lingua appellant. Proprius tñ eius patriæ locus S. Saturnini nominatur, prope montẽ Coletũ in Deza, unũ ex ijs montib. qui paulo antè nominati sunt. Is igitur Mauricius cũ Nemausi studeret literis, studiaq; humanitatis cũ pietate cõiũgeret, in qua eos quos poterat in ædib. priuatis instituebat, captus est anno M.D.LI. atq; in arcẽ eius urbis inclusus, in qua cũ à Locũtenente eius curiæ quadã arte & summa prudẽtiæ humanę moderatione de sua fide interrogatus fuisset, ita respõdit, ut dissimulata ueritate quã debebat cõfiteri, incolumitatẽ uitę adeptur⁹ esse uideretur. Nã ita solẽt agere astuti homines ut ar- *Astutia Iudicũ qui cognouerunt ueritatẽ.*

ut artificiosè & callidè totam interrogationem moderantes, fideles homines à uera Christi cõfessione abducant. Sed interrogatione à ludice primario repetita, Mauricius tanto dolore dissimulatæ ueritatis affectus est, ut eam perfidiam Christiana testificatione corrigendam sibi esse existimauerit. Itaq; à primario ludice interrogatus, ita libere constanterque respondit, ut ipsius confessionem sententia capitis & pœna ignis sit consecuta, quam summa cum lætitia suscepit ac pertulit. Eius autem mors præclara & beata omnes fideles Prouinciæ Narbonensis maximoperè in fide Christi ac uera religione confirmauit, *XVI.* Augusti, postridie eius diei qui Virgini Mariæ consecratus est.

IOANNES à PVTEO Vcetiæ in prouincia ob religionem strangulatus 1551.

VCetiæ in Prouincia Narbonensi, eodem tempore ac mense quodam die Lunæ mensis Aug. nomine Euãgelij ac religionis crematus est Ioãnes, cognomento dictus Medicus, homo literarum omnium imperitus, in ea urbe artificio utens eo, quod ad ligna cædenda tractandaque pertinet. Is autem doctrina Euangelij tum imbutus fuit quum Episcopus eius urbis, rebus quietis ac tranquillis, sine ullo persecutionis periculo, ueram pietatis disciplinam nescio quomodo amplexus, eam curarat & Vcetiæ & in tota diœcesi annuciandam, ita ut ab ijs uerbi ministris, quos ad concionandum asciuerat, forma quædam & ratio piè pureque docendi conseruaretur. Itaq; Medicus cùm eorum conciones diligenter atq; studiosè frequentaret, in agnitione ueritatis fuit instítutus. Sed causa cur delatus ad Prætorem urbis fuerit, atq; in carcerem coniectus, hæc fuit. Is puteum habebat controuersum cum alio quodam ciue Vcetiensi, qua in controuersia aduersarius ut causam meliorem faceret, confugit ad ea remedia, quibus plerique hodie causæ diffidentes suæ uti solent, ut eos crimine hæreseos confícto obiectoque opprimant, quos non possunt iure atq; æquitate causæ superare. Hac igitur calumnia utens, non modò in re priuata & parua aduersarius, sed in religione inimicus, non puteum solùm, uerumetiã caput proximi ac uicini petere cœpit. Atq; ut facilius quæ intentabat testimonijs comprobaret, omnes uinitores, quorum opera Medicus in uinea sua usus fuerat, conduxit, ac quid ille sensisset aut dixisset de religione, exquisiuit atq; ad Prætorẽ detulit. Itaq; Medicus causa informata approbataque ijs testibus, in carcerem coniectus est, in eoque de fide sua interrogatus de cœna Domini, ita respondit homo illiteratus, ut à docto & literato nihil purius dici potuerit. nam & disciplinam eam, in qua fuerat institutus allegauit, ex qua didicerat Christum Dominum in eo fruſto panis nullo modo esse inclusum, & illud caput fidei suæ protulit, in quo illum ad dexteram Dei Patris sedere confitebatur. Itaq; ea sententia à iudicibus est condemnatus, ut strangulatus primùm, igne deinde cremaretur. Interea autem cùm in sacello quodam asseruaretur, dum ad supplicium duceretur, quidam facinorosus, qui ob maleficia sua flagellabatur, per eum locum ducebatur, quem cùm uidisset Medicus, causamq; cur cæderetur intellexisset, statim exclamauit, beatos esse qui propter iustitiã paterentur, & carmen quoddam spirituale in eam sententiam compositũ, usq; ad locum supplicio constitutum cecinit.

Causa cur delatus sit Medicus

Christus fruſto panis nõ includitur.

Antè uerò quàm laqueo præfocaretur, orans Dominum memoriter pronunciauit eam orationem, quæ Geneuæ die Mercurij in precibus solennibus ad Deum haberi solet. Deinde propositam pœnam summa cum æquitate animi & mansuetudine, quasi agnus sustinuit. Huius uiri constantia atq; integritas tanta fuit, ut plurimos qui ab ipsa ueritate alieni erant, ad ipsius cognitionem pertraxerit,

Ioannes

Duæ puellæ in Germania interfectæ religionis causa.

DVæ puellæ sunt interfectæ in diœcesi Bambergensi, quibus erant impositæ coronæ stramineæ cùm ducerentur ad supplicium. Admodum autem hilares & ingenti motu animi perpessæ sunt mortẽ. Inter cætera uerò una dixit ad alteram. Cùm Christus pro nobis tulerit spineam coronã, cur & nos non libenter ferremus stramineam? Quin & in cœlo Deus nobis pro his dabit alias aureis longè præstantiores. Dicebant quidam has esse Anabaptisticas. Potuit fieri, quòd habuerint aliquid stultitiæ admixtum: tamen habuerũt articulorum fidei fundamentum, & mortuæ sunt fœliciter in bona confessione & agnitione filij Dei. Pauci homines sunt sine erroribus. Non blandimini uobis, existimantes uos sine errore uiuere. hæc Phil. Melancht.

Mercator Lutetiæ suspensus ob Franciscanos notatos.

PAristijs diues mercator ioco dixerat ad Franciscanos: Vos geritis funem circa corpus: quia cùm Franciscus suspẽdendus esset, Papa redemit eum ea lege, ut per omnem uitam funem gereret. Franciscani Parisienses hinc statim apprehenderunt eum & in carcerem coniecerunt, iudicatumq; est ut suspenderetur. Ille uerò periculum mortis euadere cupiens, cecinit Palinodiam. Monachi audientes hæc, rectè inquiunt dicis, & si in hac sententia manseris saluus fies. Igitur iubent pergere & properare lictores ad patibulum dum esset in confessione, ne iterum deficeret. Sic suspensus est, quia per ioçum dixerat cur Franciscani funem gererent. Cognouerat hic ueram doctrinam, quam tamen metu mortis reuocare uolebat. Sed illi, more solito, nihilominus ad crucem tendebant. Hæcq; sunt arcana Dei iudicia, qui à ueritate deficientes & hic & in futuro seculo grauiter punit. Sic etiam frater Tameri suspendit se, eo quod cùm antea purè docuisset Euangelium de Christo, postea per fratrem à uera sententia esset abductus. Sicq; cum Spiera & alijs qui Christum negarunt pœnas dedit. Io. Manlius in dictis Phil. Melanchtonis.

Monachi non lacessendi.

IOANNES IOERIVS, & famulus ipsius Tholosæ exusti 1551.

IOannes Ioerius natus in quodam pago Sanct ioerio nominato, tribus milliaribus ab urbe Albigensi, maiore parte ætatis suæ Montalbani educatus fuit. Ex ea urbe Geneuam se contulit ad maiorem pietatis cultum capiendũ, atq; in ea ecclesia purè Deum inuocandum. ubi cùm aliquandiu esset commoratus, mense Iul. anni *M.D.LI.* atq; ætatis suæ *XXII.* iter in patriã instituit, habens secum itineris comitem quendam adolescentem, qui ei seruiebat. Vt autẽ aliquem profectionis suæ fructum & consolationem fidelibus adferrent, secum libros piè de religione scriptos, deferendos acceperũt. quæ fuit causa, ut cùm essent Mendæ in Prouincia Narbonensi, capti fuerint & condemnati ut igni cremarentur. Ab ea sententia Ioerius (qui sæpe amicis ac familiaribus dixerat, si Dominus ipsum uocaret ad testificandam ueritatẽ, se maximè cupere Tholosæ testimonium ei suum dare, & morte sua obsignare) appellauit. Itaq; Tholosam ad supremam curiam missi fuerunt: ubi Ioerius amplam confessionem fidei suæ edidit, eamq; confirmauit authoritate Scripturæ, in qua erat non mediocriter uersatus: in omnibusq; suis responsis se ualdè modestum & temperatum præbuit. Neq; uerò adolescens seruus, pro ætate & cognitione qua præditus erat, minus gratiæ habebat, eandem fidem professus, quam Ioerius illius herus declarauerat. Quanquam tum propter ætatis infirmitatem, tum etiam ignorantiam earum rerum quæ in controuersia agitari solent, non ita commodè poterat dissoluere ea argumenta, quæ ab aduersarijs obijciebantur. quare cùm uideret se uehementius premi ab his qui quæstioni exercendæ, causæq; informandæ præfecti erant, eos ad Ioeriũ herum suũ & magistrũ remittebat,

Ioerij uotũ uaticinio iunctũ.

testificans se quidem uelle in edita cõfessione omni ratione permanere. Cùm autem illi dicerent, ipsum non debere ullam fidem adhibere hero suo, qui hæreticus esset ac planè reprobatus: eis respondebat, se eum cognouisse uirũ bonum & sanctitate uitæ præditum: certumq; se esse nihil ab eo præter ueritatẽ, quæ uerbo Dei continetur, didicisse. Porrò eo die quo hi duo capitis damnati fuerunt, multi sacerdotes & monachi ueniebant in carcerem, ut cum Loerio disputarent: quibus ille ita placidè ac sedatè respondebat, quasi solutus uinculis in summa libertate sine ullo periculi terrore esset. Cùm autẽ ducti essent ad locum supplicio constitutum, in plateam S. Georgij appellatam: adolescens postremò interrogatus, ad struem lignorum adductus est, dum Loerius postremis interrogatis responderet. Ibi complures hypocritæ adolescentem cœperunt solicitare ut uirginem Mariam inuocaret, susceptamq; sententiam deponeret: atq; ita importuni extiterũt ut iuuenis uel imbecillitate quadã ætatis, uel importunitate aduersariorum & molestia motus, illachrymari cœperit. Tum uerò Loerius, qui cum alijs loquebatur, cùm conuersus illum ab aduersarijs solicitari animaduertisset, ilicò festinauit eò ascendere. Et cùm eum ita flentem reperisset, Cur, inquit, mi frater, tu fles? an nescis nos nunc quidem accedere ad optimum benignissimumq; Deum nostrum, & quàm primùm fore liberos ac solutos his ærumnis quibus affligimur? Cui adolescens, Ego, inquit, flebã quòd mecum non esses. Non est, inquit, Loerius tempus quo ploremus, quin potius canamus Domino. Tum cœperunt Psalmum canere. At cùm flamma ignis exarsisset, & iam ipsum Loerij corpus inuasisset, ille quasi sui oblitus, & magis de adolescente quàm de se solicitus, se quantum poterat ad postem eri gebat, respiciens ut adolescentem confirmaret eiq; animum adderet. deinde cùm animaduertisset illum iam extinctum, ore aperto flammam ignis hausit, caputq; demittens spiritum Deo reddidit.

Serui de hero pia opinio.

Pastor & concionator in Eluagen ob ueritatis professionem occisi.

QVum hinc inde lux Euangelij passim exoriretur, duo boni uiri in Eluagen pastor & eius concionator supplicio affecti sunt, qui nihil aliud fecerant nisi q; mollissimè taxauerant crassissimos abusus papisticos. Concionatoris nomen erat Cræsus, qui fuit olim præceptor Phil. Melanchtonis. Illi duo duxerant uxores. Concionator quidem erat egregie doctus, Pastor uerò non item. Cùm essent in carcere ille non fuit fortis, adeò ut pastor licet indoctior confirmauerit illum. Postea ambo in ueræ fidei confessione sunt decollati. Io. Manlius in dictis Melanchtonis.

Quidam etiam rex profecturus ad bellum Anglicum & moturus castra, in principio itineris cremauit hominem propter religionẽ & confessionem ueræ doctrinæ, tanquam uictimam, ut fœlicius iter succederet. Quid uerò effecerit, & qua ratione postea à Deo punitus, omnibus notũ est. Solet enim Deus sæpissimè huiusmodi piorum persecutores horribili pœna confundere, ut reliquis sint exemplo, & pij in cognita doctrina fideliter pergant. Id quòd uno aut altero exemplo ostendemus.

Persecutores piorum puniti à Deo.

Hoffmannus ille Papisticæ religionis acerrimus propugnator, iturus ad conuentum Ratisbonensem, ut Euangelicis resisteret non procul ab Vlma in horribilibus mugitibus est mortuus.

Latomus etiam Theologus Louanienſis morituras mugijt instar bouis & uociferatus est de suo dolore & peccato, quod fuisset persecutus homines sanctos, & adiuuisset consilia necis contra conscientiam.

Dominicaster Monachus Monasterij in ipsa cõcione percutiebat fulmine cum clamaret contra Euangelicam doctrinam, & ita est mortuus.

Quidam etiam alius magni nominis homo cùm audiuisset cantilenam: Ein feste

feste burg iſt unſer Gott: dixit: Ich uuill helffen die burg zerſchieſſen, oder ich uuill nit leben: poſt triduum eſt mortuus ſine confeſsione ac ſine agnitione filij Dei.

Sic Heliodorus olim ſubita conſternatione in Tẽplo Hieroſolymitano eſt oppreſſus. Sic Iulianus Apoſtata & Arrius hęreſiarcha miſere periêre. Io. Manlius in dictis Phil. Melancht.

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENErũt, maximarumq; per Europam, præſertim uerò Germaniam, Galliam, & Italiam, perſecutionũ, ac ſanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER OCTAVVS.

GODEFRIDVS DE HAMELLE, *Tornaci exuſtus 23 Iulij Anno 1552.*

GODEFRIDVS Hamellæus, natus in urbe Brabantiæ Niuella nominata, Tornaci ubi agebat, artem ueſtium conficiendarum ſarciendarumq; exercens, propter Euangelij doctrinam captus eſt. Et quoniam ex ſuis literis quas in carcere ſcripſit, acta iudicij & confeſsionem de plurimis & grauiſsimis rebus ad religionẽ pertinentibus cõplexus eſt, nos exiſtimauimus dignas quæ ad omnium cognitionem peruenirent. Nam quantum ex illius epiſtolis intelligere poſſumus, uidet uir fuiſſe cùm magnitudine ſpiritus amoreq; in Chriſtum excellenti, tum etiam ſtudio & cognitione ſacrarum literarũ ſingulari: tametſi nullius alterius linguæ facultate, q; uernaculæ & Gallicæ inſtructus eſſet. Hanc aũt primam epiſtolam miſit ad quandam mulierem fidelẽ, ut eam cæteros q; pios hoc fidei ſuæ & gratiæ in ſe Dei teſtimonio, in doctrina Euangelij ſuſcepta confirmaret.

Scripta Martyris teſtimonia gratiæ Dei ſunt.

Gratia & miſericordia optimi Patris noſtri per Ieſum Chriſtum Filium eius ſalutem tibi impertiatur.

EGo chariſsima atq; amantiſsima ſoror, toto animi ſtudio tibi gratias ago pro ea memoria & cura, quam tum corporis tum ſpiritus mei ſuſcepiſti. Certè huiuſmodi amorẽ ueſtrum ita mei memorem, quali quendam Dei nuntium atq; etiam ſuauiſsimum odorem accipio. ſum etiam magnoperè in ſpiritu recreatus ueſtris precibus atq; orationibus, quas ad Deũ cum aſsidua mei memoria adhibetis, quas ſcio, quemadmodum uos dicitis, nõ inanes & fructu uacuas à cõſpectu Altiſsimi abituras. Quare te toto corde rogo, ne in hoc pietatis officio fathiſcas atq; orare deſinas, ut hoc excellens certamẽ, ad quod me Dñs deduxit, ad ipſius gloriam & eccleſię ædificationem obire poſsim, id qd eius gratia ſpero & confido. nam is quidem optimè ſcit, quanto perè ego deſiderem ut nomen ipſius per me exiguum eius inſtrumentum glorificetur, ſi eo quidem tum ad uitam, tum ad mortẽ uti uult. Ego enim nihil aliud cupio atq; appeto, niſi ut ſanctiſsima eius uoluntas de me perficiatur, non ſolùm ut in infimum obſcurumq; aliquem carceris locum demittar: uerumetiã ut pro ipſius nomine moriar, ſi illud mea morte poteſt ullo modo illuſtrari, perſuaſus eius

uerbo Christum mihi esse lucrum, tum ad uitam tum ad mortem.

Confessio fidei Godefridi.

Ego uerò, charissima soror, nondum planè constituerã hanc confessionem meam ad te mittere, quoad scirem an isti ex me aliquid amplius uellent quærere: sed quoniam hic tabellarius mihi significauit se ad biduum aut triduum domo profecturũ aliquò, eam ob rem mittere coactus sum. Neq; uerò hanc confessionem ad te mitto ut tu ea quasi excellenti quadã perfectaq; sapientia eruditaris atq; instruaris: sed ut confessione serui Dei minimi, qui noluerim defodere talentum quod à Domino mihi commissum acceperã, ut tu tantummodò intelligas me in simplicitate mea Dominum Iesum Christum coram hominibus non abnegasse, sed pro mensura fidei mihi ab eo tributę confessum esse. Qua in re confido Dñm hoc meo studio atq; officio contentum esse, quum uitæ non parcam meæ ut eam conseruem, sed eam negligam & perdam, quoniã Dominus eam dignam existimat quæ coram hominibus amittatur. Sic habeto, mea soror, cor meum, simulatq; à satellitibus magno cum impetu & ui comprehensus fui, exclamasse, O Domine, ego paratus sum non modo in carcerẽ conijci, sed etiam mortem pro nomine tuo perpeti, si id in gloriam potest tuã redundare. Atq; hæc quidẽ erat uoluntas mea, quæ in confessione quoq; mea fuit, & erit usq; ad ultimam guttam mei sanguinis, postremumq; os membrorum meorum, quę igne combusta in cinerem sunt redigenda. Equidem ipsius sum & ad uitam & ad mortẽ. faciat de me quod statuerit. ego enim siue uiuendum sit, siue moriendũ, mihi planè persuasi me ipsius semper fore, propterea quòd filij eius sum Iesu Christi, à quo permagno pretio redemptus sum, ita ut iam hæres Dei, & cohæres Iesu Christi sim. Itaq; nunc quidem persuasum planè habeo mea esse omnia, siue uitam siue mortem, siue præsentia siue futura:

Christus spes unica salutis.

omnia, inquam, mea esse: me autem Christi, Christum uerò Dei esse: atque ita persuasus, ipsum Christum cùm ad uiuendum tum etiam ad moriendum lucrum esse. Neq; uerò me pudet coram hominibus confiteri eum solum fuisse & nunc esse in quo omnem spem salutis meæ uitæq; beatæ reposuerim: quocum me perpetuò uicturum esse spero. Itaq; quoniam nulla alia in re spes fiduciaq; salutis posita mihi est, quàm in eo sacrificio Iesu Christi, in quo semel crucifixus corpus suum Deo Patri pro meis peccatis obtulit: idcirco adduci nullo modo possum, ut ijs assentiar quæ ex me quæsiuerunt, approbariq; uoluerunt, cùm præsertim Spiritus Dei certissimus sit testis & comprobator huius animi mei atq; iudicij, quòd ea quæ sentio & credo uera sunt, & quæ ab aduersarijs mihi proponuntur, falsa, atq; ab omni uerbi Dei ueritate abhorrentia. Illud etiam certo sciens, in meq; experiens, corde credi ad iustitiã, ore uerò confessionem fieri ad salutem. Itaq; Dominus hoc exiguo uolens uti instrumento, me dignum iudicauit ut uocarer ad hoc genus excellentis confessionis, & coram hominibus producerer, ut ex abundantia cordis ore ter interrogatus ipsum confiterer. Prima cõfessio à me edita fuit *VIII* die Martij anni *M.D.II.* circiter tertiam horam pomeridianã, cùm Decanus Officialisq; adessent, & præterea Inquisitores duo cum notario qui scribebat. Priusquam in præcipuã & legitimam confessionis meæ rationem ingrederer, multa sunt ex me quæsita & agitata, quæ longa nimium essent ad scribendũ. Neq; uerò ego omnia uerba his literis committere, sed breuiter ac summatim tantùm præcipua capita scribere constitui earum rerum quæ ad fidem ac religionem pertinent.

Hamellæus nouum testamentum postulat.

Ac primũ ut ad rem ipsam ueniamus, quæsiuerunt ex me, quandiu iam non confessus fuissem. Ego ab illis primùm postulaui, ut mihi nouum darent Testamentum, in quo responsa mea & fidem fundare constituereq; planè possem. Id cùm illi recusassent, atq; instarent ut responderem ad id quod rogauerant, ego eis dixi, ut illud quidem mihi concederent. Quæsiuerunt, an non credere sacerdotem ab ecclesia Romana institutum, cùm peccatorũ confessio ad aures

res eius fieret, posse ignoscere peccata, atq; absoluere per pœnitentiã. respondí me nullam peccatorũ ueniam nec absolutionẽ expectare, nisi à sola Dei misericordia, per gratiam Filij eius Iesu Christi. Quæsiuerunt, an non crederẽ in ecclesiam Romanã cuius Papa esset caput & successor Petri, cui Christus claues dedisset: multaq; alia quæ ad illum impium dominatũ confirmandum nefariè usurpata omni ui tueri solent. Quibus ego deliberato animo respõdí, me Ecclesiam sanctam credere per Spiritum sanctum institutam & fundatã, quæ unum Christũ caput haberet atq; agnosceret: deinde successores eos, qui doctrinam Apostolorum ac Prophetarum sequerentur. ecclesiam uerò Romanam me nõ habere pro uera ecclesia, quæ potius esset synagoga quædam Antichristi, in qua tantũ abest ut oues Iesu Christi foueantur & saluberrimo uerbi Dei pastu nutriantur, ut potius ab immanissimis uoracissimisq; lupis deuorentur, aut erroribus doctrinarũ humanarum pernicioſissimis pascantur. Sicci ne ais? inquit Decanus: scriptis hæc mandentur. Deinde quæsierunt ex me quid de ipsa Missa sentirem, ego uerò eos monui, ut de ijs rebus, qui in scriptura sancta continentur loqueremur, nam me illud nomen Missæ nusquam nec in nouo nec in ueteri Testamento reperire, quantum quidẽ legere aut meminisse poteram. Ita sanè, inquiunt Decanus & cęteri murmurantes: ac iubebant id notarium scribere, quòd Missam nusquam in Scriptura inuenirem. Tum illi co ex me quæsiuit, an transsubstantiationem panis in corpus Christi crederẽ: Cui ego respondi, me Missam eorum credere merum esse hominum inuentũ & commentum cum maxima cõtumelia Iesu Christi ac dedecore coniunctũ: propterea quòd ipsum populum in eum impium pernicioſumq; errorem induxerunt, ut Christum credat in fruſto panis incluſum, panemq; ipsum adoret: non quærat Christum, ueneretur, colatq; in cœlis ad dexteram Dei Patris supra omnes creaturas eleuatum & collocatum. Quòd uerò ad transsubstantiationem ipsorum attineret, dixi líberè, mihi quidem eam uideri imposturam quandam & ludificationem huiusmodi, quæ ad magos atq; incantatores pertineret. Rogarunt me, crederémne septem esse Sacramenta. respondi, me duo tantummodo tenere. Quæ? inquiũt illi: Baptismum, inquam, & Cœnam, quæ uos Sacramenta appellatis. Tum quæsiuerunt ex me, quid sentirẽ de ipsa Cœna, cùm eam Sacramentum appellarem. Ad id autem simpliciter ego respondi, sicut à Domino acceperam, ipsam Cœnam, cùm ita administratur ut est instituta à Domino, conuiuium esse spirituale fideli animæ propoſitum sub specie panis & uini, ita ut qui fide eum panem uinumq; sumit, is corpus quoque Christi sanguinemq; eius sumat: nõ quòd in eo pane corpus Christi sit, aut sanguis in uino aut cum uino: sed quòd credam id omne me spiritualiter accipere ad salutarem refectionẽ animæ meæ & consolationem: ita ut edens eum panem uinumq; bibens eo quo dixi modo, corporis Christi eiusq; sanguinis uerè sim particeps: neq; oculos meos defigo solùm in ea caduca elementa quæ corruptioni sunt obnoxia, sed longius oculos fidei meæ reiicio in Iesum Christum semel pro peccatis meis crucifixum & oblatum: uulnus contemplor lateris, ex quo purissimus sanguis emanauit, ut ab omnibus uitiorum peccatorumq; meorum maculis purgarer, ac eo líberarer debito quo me iudiciũ Dei obstrictum obligatumq; tenebat. Quæsiuerunt ex me, an panis ita suam naturam retineret, ut maneret panis sine aliqua immutatione, eodemq; modo uinum? respondi, nihil planè in his elementis immutari: sed quemadmodum ea corpus alerent ac sustentarent, ita fide, quæ carnem & sanguinem Christi sumeret, animam ali, uegetari, confirmari: neq; uerò opus esse aut necesse dixi, ut Christus Dominus à dextera Patris in hæc inferiora descendat elementa, quò se nobis communicet atque impertiat: sed potius ut mentes ipsi nostras & cordis cogitationes. ab huiusmodi rebus quæ sunt aspectabiles atq; ad tem

De Missa.

Impius error, credere Christum fruſto panis incluſum.

Verus usus Cœnæ Dominicæ.

pus propoſitæ, ad alia æterna & ſpiritualia quæ nõ cadunt ſub ſenſum & aſpectum, traducamus, animosq; noſtros reuocemus & erigamus ad dexterã Dei Patris: unde nullum eius corporalem aduentũ expectamus ante illud tempus quo ad iudicandum uiuos & mortuos uenturus eſt: tum ſanè Chriſtus Dominus ueniet non occultus & obſcurus, ſed illuſtris & gloria ſua ornatus. Cùm hæc ita utrinq; tractarentur ac dicerentur, ſeptima hora iam appropinquare uidebatur. Itaq; eam diſquiſitionem atq; interrogationem, tum quidem progredi longius noluerunt. me uerò in alium carcerem obſcurum incluſerunt: ubi ego ſum adhuc, quoad optimo Deo meo placuerit. Ab eo igitur die Martij, quem ſuprà ſcripſi, ab illis in eo loco fui relictus uſq; ad xv diem eiuſdẽ menſis: eo quidem die tanta moleſtia affectus, quantam uerbis nõ poſſem ſatis explicare, non propter obſcuritatẽ carceris, aut quòd uererer in eorum conſpectum uenire: ſed potius quòd me amplius rationem fidei meæ declarantẽ audire nollent. ego enim multò uehentius cupiebam fidem meam corã illis teſtificari ac planè confiteri, quàm ipſi me audire. Itaq; Dominum orabam, ut mihi eam daret facultatem, qua ſimplicis ac puræ confeſsionis meæ munere offício q; perfungi poſſem, qua in re ipſe pro ſingulari ſua benignitate, ſtudio animi mei ac deſiderio cumulatè ſatisfecit. Die igitur xv Martij, hora octaua audiui uocem ianitoris mihi nuntiãtis dominos iam aduenisſe, & ut me præpararem admonentis. Illud nuntium, ut fuerat mihi optatum, ita periucundum accidit. tum dixi, Perfice, Domine, quod in me iam cœpisti, & quod promisisti mihi conſerua ac præſta. nam hæc quidem tua cauſa eſt, in qua oportet Spiritum tuum mihi eſſe adiutorem. Cùm in ea ſecunda interrogatione coram eis productus fuiſſem, quęſiuerunt ex me an eſſem baptizatus. dixi quamobrem id à me quærerent: an uerò me Anabaptiſtam eſſe exiſtimarent. Sed cùm illi inſtarent, reſpondi, me iam inde prima ab infantia, non alio tempore aut aliter baptizatum fuiſſe. Ac cùm quæſiuiſſent, an ego eum Baptiſmum approbarẽ atq; amplecterer, dixi me eo quidem contentum eſſe. Poſtea quæſiuerunt, an ego Baptiſmum in Scriptura reperirem. hoc autem rogabant eo conſilio, ut nomine Sacramenti à me expreſſo cauillatoriè atque inſidioſe ad Sacramenta reliqua, & commenta ab ipſis introducta, comprobanda abuterentur. ego uerò eis ſimpliciter reſpondeo, Circunciſionem patri noſtro Abraham datam fuiſſe, ut ipſe ac ſemen eius octauo die circumcideretur: ei poſteà Baptiſmum ſucceſsiſſe, quo Chriſtiani in eccleſia utuntur, baptizantes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Deinde quæſiuerunt ex me, an ulla præterea eius approbatio eſſet in Scriptura. ego eos remiſi ad x. cap. i. epiſtol. ad Cor. ubi ab Apoſtolo dicitur, Patres in mari rubro ſub ipſa nube baptizatos fuiſſe. ea autem debere eis ſatisfacere. Tum uerò cupidiſsimè arripuerunt, quod ego (nullas eorum inſidias ſuſpicans) de Sacramentis dixeram atque ita nominaueram: moxq; quæſierunt, ubi illud nomen Sacramenti inuenirem. ego tum ita circumuentus, confiteri coactus ſum quod uerum erat, me illud Sacramenti nomen propterea uſurpaſſe, quod inter ipſos ad maiorem intelligentiam magis eſſet uſitatum: nolle autem poſthac eo appellare nomine, ſed Baptiſmum & Cœnam ut Scriptura nominaret. nam ſi illud nomen eis conceſsiſſem aut recepiſſem, magnoperè eos armaſſet contra me ut peraccommodatum ad Miſſam, Purgatorium, & alia huiuſmodi multa comprobanda, quæ ab ipſis introducta, nuſquam in Scriptura nominantur. itaque dixi me in his nominandis nullo alio nomine uſurum, quàm eo, quo Scriptura uteretur. Tum dixerunt, exiſtimantes me cauillis ſuis implicare aut protelare, Tu quidem tam ſæpe dicis te nihil planè uelle credere aut reſpondere niſi id quod in Scriptura continetur: quid ais de coniugio? habésne pro Sacramento? Ego, inquam, ſic ſtatuo, coniugium ſanctum Dei inſtitutum, cubileq; immaculatum,

Triſtatur Godefridus quòd ampliorem fidei confeſsionẽ non edat.

Sacramenti nomen quare in uſu.

Laus coniugij.

tum, eamq; coniunctionem ac societatem uitæ tantam esse ut homo patrem ac matrem suam derelinquat, adhæreatq; uxori suæ ut sint duo in carnem unam. Itaque hoc genus uitæ atque institutum tam necessarium & honestum maximi facio: quod ipse Christus tantoperè approbauit, cùm in Cana Galilææ nuptias & præsentia & miraculo ibi primùm edito honorare uoluit. Tum quidam, qui satis uersatus in Scriptura uidebatur, Credis' ne, inquit, uerbis ipsius Apostoli? Absit, inquam, ut ei ullo modo contradicam. Tu, inquit, duo recipis solùm sacramenta: Apost. tamen ad Ephesios coniugium sacramentum appellat, dicens, Sacramentum hoc magnum est. Quid tu ais? inquit. Cui ego respondi, me nullo in uerbo uelle dissentire ab Apostolo, siquidem ille coniugium nominasset Sacramentum. Sanè in omnibus que mihi proposita quæsitaq; fuerunt, nihil me magis conturbauit, nec maiore molestia affecit, quàm hoc unum, in quo nihil dicere contra poteram nec audebam. Sed Dominus me in hac difficultate ac obturbatione non diu hærere uoluit: mox enim Spiritus eius me commonuit rem non ita se habere quemadmodum ab illis allegabatur. Itaque memoria mea eius loci ita diuinitus renouata, eis dixi non ita legendum esse in ea Pauli epist. sicut ab ipsis citaretur: sed pro sacramento Secretum esse legendum, iuxta postremam translationem, qua nouum Testamentum ex Græco in linguam Gallicam conuersum est. Tum uerò ira atque indignatione uehementer in me commoti fuerunt, cùm propositum locum in libro noui Testamenti Lugduni impresso inspexissent, atque ut dicebam reperissent, multa tum dixerunt, quæ longum esset scribere. Ac quoniam duodecima iam hora appropinquabat, hæc omnis ea collocutio fuit intermissa. Postero autem die, qui dies fuit *xvi* Martij, ab illis sum reuocatus horam circiter octauam, & interrogatus an Sacramentum confirmationis crederem, quòd episcopus hominibus in legitima eorum ætate administrare solet. Ego uerò respondi, huiusmodi ceremonijs fidem meã non confirmari: sed tantummodo ea ratione uirtuteq; Spiritus, quæ aut in Baptismo me regeneraret ac nouam creaturam efficeret, aut me in Cœna communione corporis Christi in fide aleret & confirmaret. Cùm autem illi ex octauo capite Actuum protulissent exemplum Apostolorum, qui baptizatis hominibus manus imponebant: dixi me id quidem quod à Petro atque Apostolis factum fuisset, approbare eiusq; impositionis authorem ac moderatorẽ fuisse Spiritum: sed eam ceremoniam postea finem habuisse. Rogarunt an Sacramentum extremæ unctionis crederem. respondi me credere uerbum Dei esse uerum & sanctum oleum quod homini periculose ægrotanti adhibendum esset, quodq; omni credenti salutem afferre posset. Illud uerò oleum, quod ægrotis hominibus applicare solent, inutile planè esse, ut obnoxium corruptioni. Tum illi, ut eam unctionem probarent, proposuerunt tritum illud ex epistola, quam Diuus Iacobus scripsit. Quibus ego, Vos quidem, inquam, uidetis quid ea de re sentiam & credam. Postea de festis diebus interrogatus, respondi, Dominum sex dierum laborem populo suo præcepisse, nec ullum alium diem hebdomadis quàm septimum à negotijs uacuum ac liberum instituisse. Eodem modo de Quadragesima & quatuor ipsorum temporibus alijs q; hominum commentis interrogatus, respondi, ea mandata hominum ad populum onerandum inuenta, nusquam in Scriptura inueniri: sed aliam esse rationem & disciplinã mortificandæ carnis nostræ, totumq; hominis uitæ cursum perpetuũ quoddã esse ieiunium: nõ ut comedamus semel in die, sed ut in tota nostra uita summã sobrietatẽ sine ulla intẽperantia conseruemus. Itẽ de abstinentia à carnibus & ouis in illo quadragenario tẽpore rogatus, dixi me quidẽ ex quo Dñs è tenebris ad uerã lucẽ & cognitionẽ ueritatis trãstulisset,

De festis diebus.

De ciborum delectu.

nullum discrimen dierum ac temporum facere, atq; sine ullo conscientiæ scrupulo posse bibere ac comedere, quicquid à Domino creatum ad necessarium hominis uictum tribuitur. Fides tantùm adsit, qua his Dei beneficijs cum omni gratiarum actione purè ac piè perfruamur: sicut Apostolus in 1. sua ad Timotheum epistola præcipit. Tum illi, Ergo, inquiunt, tam facilè carnes comederes die magno Veneris qui Pascha præcedit, quàm ipso die Paschatis. Ego uerò, inquam, hic quidem nullum discrimen dierum planè facio, ac siue Quadragesima esset siue aliud tempus, nihil aspernarer eorum quæ ad esum mihi essent apposita: sed liberè his uescerer in fide & cum gratiarum actione absq; ullo animi scrupulo. Quòd si quis infirmus, cùm uideret me uescentem, offenderetur, tum nollem mea libertate uti, ne hoc modo non tam ad ædificationem, quàm ad offensionem proximi mei ambularem. non enim regnum Dei in cibo est constitutum, neque ego siue comedam, siue non comedam, melior & sanctior sum. piè tamen amplector eam libertatem, quæ per uerbum Dei benignissimè offertur, ut omnibus eius beneficijs cum gratiarum actione uti possim.

Vitandum scãdalum proximi in uictus ratione.

De uirgine Maria quid sentiẽdum.

Deinde quæsiuerunt, an preces ad uirginem Mariam adhibendæ essent, ut ea pro nobis aduocata apud Filium intercederet. Ego autem ad id respondi, me quidem credere eam apud Deum plenam gratię repertam fuisse, ac benedictam inter omnes mulieres: Dominumq; ita humilitatem ancillæ suæ respexisse, ut Filius Altissimi saluator mundi in eius utero resederit, ut humanitatẽ nostram susciperet: quem postea sine ulla corruptione est enixa. eandem etiã uerbis Angeli à Deo missi fidem habuisse: & propterea beatam iudicatam fuisse. uerùm ut honorem Filio Dei debitum in eam transferamus, absit à me, & ab ijs omnibus qui Christi nomen uerè profitentur. Nam ne ipsa quidem me docuit dare ei ullum titulum honoremq; adorationis, aut inuocare & orare ut mihi apud Filium patrona sit & aduocata: sed potius me monuit loquẽs de Filio suo in nuptijs in Cana Galilææ, ut quæ ille præciperet ac iuberet facerem. Idem quoq; quæsiuerunt de Sanctis, qui hac uita sunt defuncti, inuocandis & orandis, ut in curia cœlesti suo nos patrocinio atq; hoc aduocationis officio prosequantur. respondi, me nullum alium aduocatum agnoscere aut habere, quàm Iesum Christum ipsum iustum, qui merito mortis suæ ut solus purus atq; innocens, hoc officium honoremq; adeptus est, in quo uno Pater sibi bene complacuit, in cuius ore nullus unquã dolus est inuentus. Itaq; me eum solum Mediatorem, Aduocatum, Interceſſoremq; agnoscere: quemadmodũ 1. Ioan. 11. cap. scriptum est.

De Sanctorum inuocatione.

Quæsitum etiam est de imaginibus, num liceret effigiem habere crucifixum repræsentantem. respondi, quomodo id ex me quærerent, cùm legerent Scripturam tum ueteris tum noui Testamenti, in qua huiusmodi simulacra tam disertis uerbis prohiberentur. Tu igitur, inquiunt, nullas uis imagines? Non, inquam: nam ex eius uerbo didici eum in spiritu ac ueritate adorare: & qui uolunt à Deo exaudiri, oportet eos oculis fidei Patrem cœlestem in cœlo quærere.

De purgatorio

Postremò interrogatus ab ijs, num crederem certum esse locum, in quem animæ ex hac uita decedentes concederent, ut ibi purgarentur: respõdi tanto animi studio ac gaudio, quanto esuriens cibum unquam sumpsi, ita ut interiora uiscera mea quadam uoluptate perfundi uiderentur, cùm ita commodè de honore, gratia & salute Domini mei Iesu Christi loquerer. respondi igitur me nullum aliud purgatoriũ agnoscere, quàm sanguinem Iesu Christi saluatoris mei: à quo credebã æternum sacrificiũ factum esse, facta omniũ meorum peccatorum purgatione. cùm præsertim eo perfunctus sacrificio, nũc ad dexterã Dei Patris uiuat in perpetuum, atq; pro nobis intercedat. Neq; uerò dubito quin

quin Deus pro ſua miſericordia homini peccatori planè ignoſcat, tũ cùm ille relicta priſtinæ uitæ ratione ad eius gratiam ita confugit, ut cum pœnitentia melioris uitæ propoſitum ſuſcipiat. Neq; enim Dominus aliqua ex parte peccata ignoſcit: ſed omnia plenè perfecteq; remittit. Atq; hæc quidem ſunt, quæ in hac poſtrema interrogatione ex me quæſiuerunt: aliáne præterea ſint quæſituri, planè ignoro. Vnum penè oblitus ſum, quòd ut me fraudulenter circunuenirent Purgatoriumq; ſuum approbarent, ex me ſcire uoluerunt quóſnam libros ſacræ Scripturæ ego reciperem atq; approbarem, quibus ego reſpondi, uetus ac nouum Teſtamentum. Tum illi, Omniáne, inquiũt, credis eſſe bona ſanctaq;? Maximè, inquam, exceptis ijs libris, qui Apocryphi appellantur, quibus fundamentum fidei meæ niti nollem, neq; eorum authoritatẽ pro capitibus fidei aut firmamentis allegare: cùm cæteros, qui fidei meę ſatisfaciunt, approbem. Cur, inquiunt, hos potius quàm alios hoc iudicio fidei amplecteris? Quoniam, inquam, hi habent tam inſignem authoritatis notam, ut Spíritum eorum authorem eſſe dubitare nullo modo poſsim: de cæteris uerò, quorum certus non eſt author, idem affirmare non poſſum. Quanquam illos quidem propter multa bona exempla & præcepta quæ in ijs continentur, nõ omnino reijcerem, ſed meam in ijs fidem fundare nollem. Itaq; hac mea reſponſione impediti, Purgatorium ſuum comprobare non poterant. Interea ipſi inter ſe Latinè loquebantur. in quo quidem ut nihil à me metuerent, ex me quęſiuerunt, an ego Latinè ſcirem. id cùm negaſſem, iuſſerunt à notario ſcribi. Hæc, ſoror chariſsima, ſunt & ab illis interrogata & reſponſa à me. Ex eo tempore neminem eorum uidi, niſi canonicum quendam, Quintinum Charlardum nomi natum: quem ad me iam aliquoties miſerunt, ut me in ipſorum fidem induceret. Maxima fuit mihi cum eo diſputatio quatuor horas habita. Itaq; maximo perè doleo in eo genere uitę atq; errore eũ adhuc uerſari, neq; deduci ad hanc lucem admirabilem, quam aliquo modo aſpicit. ſtudium enim quoddam Dei habet, ſed non ſecundum ſcientiam: cùm illorum cauſam tueatur, nihil magis cupiens, quàm ut ego cum ipſo conſentiam, imprimisq; in ea doctrina, qua ille in Sacramento corpus Chriſti in pane incluſum eſſe ſtatuit. Affert ille quidẽ neſcio quas rationes de deſcẽſu Domini ad nos: quas ego nullo modo approbare poſſum, propterea quòd & à natura ueri corporis, quod Chriſtus in cœlum extulit, & à ueritate uerbi & fidei ratione confeſsioneq; abhorrent. Itaq; ei uſq; ad hunc diem acerrimè reſtiti, ſperoq; Dei gratia me reſtiturum adiuuãtibus ueſtris precibus. Te autẽ, chariſsima ſoror, rogo, & eos omnes qui ſummo ſtudio uerbum Dei amplectuntur, ut ſimul pro me Dominum oretis, ut ipſe me purum atq; integrum in fide Filij ſui conſeruet, atque in ea conſtantia & perſeuerantia confeſsionis quam ego hactenus edidi, mihi impertiens eam uictoriam, quam aduerſus omnes inimicos tum carnis tum uerbi ſui promiſit. Quòd ſi hoc corpuſculo uult uti, ut ad obſignandam Euangelij ueritatem ſanguis meus effundatur, atque in cinerem oſſa mea redigantur: is me confirmet uirtute Spíritus ſui uſq; in finem, ut fidei meæ teſtimonium ſine ullo pudore, fidele illuſtreq; ad ipſius gloriam atque electorum ſalutem extare poſsit. Si uerò uult me adhuc retinere in iſta uita, & ad gloriam ſuam, atque Eccleſiæ utilitatem reſeruare, ipſe furorem tyrannorum mitiget, ac me ex ore leonum eripiat. Equidem ad utrunque ſum paratus, ut me in ſacrificium Domino in omnibus offeram. Mea ſoror ac cæteri Euangelij amatores, gaudete mecum. nemo uerò offendatur & perturbetur ijs perſecutionibus, quæ hiſce diebus acciderunt: quemadmodum illi qui ſemen miſſum inter ſaxa receperunt. ſed potius huiuſmodi perſecutiones ad confirmandam fidem ueſtram cum ſumma animi æquitate à uobis ſuſcipiantur, & cum patientia perferantur, cùm in hoc quidem ad imaginem eius conformentur, qui dixit, Si me perſecuti

Quibus Scripturæ libris fides inniti debet.

Tum mors tũ uita piorũ ſeruit Dei gloriæ.

perſecuti ſunt, uos quoq; perſequentur. Hæc enim eſt conditio propoſita ijs omnibus, qui Chriſtum uerè profiteri uolũt, in eoq; piè uiuere. Neq; uerò hoc donum Dei eſt uulgare cum multisq; commune: ſed ijs tantùm tributum ac datum, quos Deus uocauit non ſolùm ut in Chriſtum credant, ſed etiam ut p eius nomine patiantur & moriantur. Orate pro me, nec pro me ſolùm, ſed etiã pro ijs qui uos perſequuntur: ut ſi errore atq; ignoratione eò ſunt delapſi, miſericordiam Dei conſequantur, atq; ad hanc uiam ſalutis adducantur. Itaq; benedicamus eis, & non maledicamus. Salutate eos qui me amant. Gratia Dñi noſtri uobis adſit. Frater ueſter Godef.

Godefridi ad iudices epiſtola.

IDem Godefridus cũ adhuc in carcere eſſet, alias epiſtolas ſcripſit, inter eas unam, quam miſit ad eos qui eo tempore Tornaci iudicia exercebãt. in qua quidem accuratiſsimè ſe purgauit atq; defendit aduerſus illud crimen, quo ab Inquiſitoribus fidei iniquiſsimè grauatus fuit, & ut hæreticus declaratus, in poteſtatem iudicum traditus. Itaq; integritatem fidei ſuæ eo modo atq; ordine declarauit, quo tota fidei Chriſtianæ ratio in ſymbolo Apoſtolorum eſt comprehenſa, atq; à pijs doctoribus explicata. Ea autem in confeſsione omnibus etiam iniquis alienisq; hominibus ſatis oſtendit ſe in religione talem nõ eſſe, qualem aduerſarij arguerent atq; damnarent: ſed ea pietate atq; fide, ad quam declarandam & teſtificandam nõ modò nullam interrogationem, ſed nec tormentorum perpeſsionem defugeret.

Sunt præterea aliæ eiuſdem epiſtolæ ad pios homines miſſæ, ſummæ conſolationis pleniſsimæ, quas ut prolixitatem euitaremus, omiſimus. Reliquum eſt, ut feliciſsimum eius exitum ac genus mortis, teſtimonijs hominum certiſsimorum approbatum, demõſtremus. Die igitur Sabbathi, qui dies fuit *XXIII* Iulij, anni *M.D.LII.* ſententia capitis pronuntiata, in qua ipſe Godefridus hæreticus eſt declaratus, his uerbis tantùm exclamaſſe dicitur, Heu, non hæreticus, ſed ſeruus Dei inutilis. Deinde poſitis in terram genibus, Dñm teſtem cauſæ ſuæ ac uindicem magna uoce ita appellaſſe, Dñe Deus, tu ſolus cauſam noſti, propter quam ego ſum condemnatus. Cùm aũt ueniſſet ad locum, in quo ſupplicium paſſurus erat ſatis diu locutus eſt, populumq; adhortatus ut in Chriſtum Ieſum crederet, totamq; fiduciam ſalutis in eo uno poneret, cuius morte ac paſsione remiſsionem peccatorem per ſolam fidem in eius nomine conſequuturus eſſet. Loquebatur autem ea conſtantia, ut omnes eius oratio grauiſsimè afficeret ac permoueret: adeò ut uulgus diceret ſe ignorare cur hominẽ huiuſmodi morte multarent, qui de Chriſto Domino eum in modum loqueretur. Iam quum eſſet in theatro, ſe in genua abiecit, & capita fidei Apoſtolicę in modum confeſsionis pronuntiauit, in qua cùm illud caput pronuntiaret: Credo Eccleſiam ſanctam, catholicam: & ſuprà dictus canonicus ciuitatis Tornacenſis Charlardus eum monuiſſet ut eccleſiam Romanã diceret. Minimè uerò, inquit Godefridus: ſed eccleſiam credo ſolùm catholicã. Tum propius acceſsit ad patibulum, in quo erat allígandus: ac dum carnifex eum ad ſupplicũ accingeret, catenisq; ligaret, dixit, Pater cœleſtis, exaudi gemitum ſerui tui. Et cùm Chalardus dixiſſet ei, ut ſe Virgini commendaret. Solus, inquit Godefridus, aduocatus meus apud Patrem pro me intercedens eſt Chriſtus Ieſus, cui me uni commendo. Hæc autem cùm dixiſſet, carnifex humanitate quadã adductus uolens eum ſubleuare, cruciatumq; ignis minuere, ſe comparabat ut eum ſtrangularet. Sed Godefridus hoc eius officiũ aſpernatus, Sine, inquit, ſine amice, ego ſententiam, ut eſt pronuntiata, ſequi ac perpeti uolo. Deinde maxima uoce exclamauit, Pater æterne, in manus tuas ſpiritum meum hodie ſuſcipe. Igne uerò accenſo, cùm angorem mortis iam ſentiret, iterum ad Deũ clamauit, Pater cœleſtis, recipe me in regnum tuum. Tum uiſus eſt obdormiſcere medio in igne, non minus placidè quàm ſi quis ſomno naturali quieſceret:

Godefridi condemnatio.

Poſtrema Godefridi oratio.

ret: atq; ita faciem habens in cœlum erectam expirauit. Hæc ex Crispino.

Eodē hoc anno Guilhelmus Gardinerus Anglus Vlisbonæ primaria urbe Portugaliæ summis cruciatibus martyrij corona est effectus, cuius animosa uirilitas (cum tota historia in prima parte libro 2. à Iohanne Foxo copiose sit exposita) hoc loco amittimus, & lectorem ex Hispania in Angliam dirigimus.

MARTIALIS ALBA, Montalbanus. PETRVS SCRIBA, Bolonienſis in Vaſconia. BERNARDVS SEGVINVS, Reolenſis in Bazadoia. CAROLVS FABER, Angoliſmenſis. PETRVS NAVIHERVS, Lemouix, quinq; Scholaſtici gymnaſij Lauſannenſis, pro nomine Dei confitendo mortem in igne propoſitam & oblatam, Lugduni conſtanter pertulerunt, Anno 1553. die 16 Maij.

INgredimur iam Annum quinquageſimum tertium, qui ut uariarum rerum historia, ita multorum martyrio insignis fuit: eorum uerò maximè qui Lugduni nobiliſsimo totius Galliæ emporio mortem oppetierunt. De quibus primi ut paſsi ſunt, ita nobis in hac historia occurrunt quinq; Scholaſtici urbis Lauſannenſis, Martialis Alba, natus Montalbani in Quercyo: Petrus Scriba, patria Bolonienſis in Vaſconia: Bernardus Seguinus ex urbe Reola in Bazadoia: Carolus Faber, Blanzaci natus in regione Angoliſmenſi: & Petrus Nauiherus Lemouix: qui omnes ſimul Lugduni capti fuerũt, atq; in carcerẽ conſecti primo die Maij, *M.D.LIII.* Ratio autem inſtitutæ eorum profectionis & captiuitatis huiuſmodi fuit. Cùm hi quinq; Lauſannæ ſtudiorum cauſa egiſſent, alij diutius quàm alij, literisq; tum Diuinis tum humanis ſtuduiſſent, poſt feſtum Paſchæ conſtituerunt omnes ſimul, optimis Dei auſpicijs in patriam ſe quiſq; ſuam conferre, alij uerſus Tholoſam, alij Burdigalam, alij ad Santones, alij ad Lemouices, unuſquiſq; ad ea loca & oppida, in quibus patriam natiuitatis ſuæ habebat: eo quidem cõſilio & animo, ut gloriæ Dei ſeruirent, eamq; gratiam, quam à Deo acceperant, cum parentibus ſuis communicarent atq; impertirent, ut ſi poſſent, eos adducerent ad eam Chriſti cognitionem, qua à Deo illuminati fuerant. Neq; uerò ſolùm hoc ſtudium pietatis plenum in parentes ac propinquos ſuos ſuſceperunt, ſed etiam in alios, quos opera ipſorũ, Deum ad agnitionem ueritatis uocaturum ſperabant. Hoc autem profectionis ad ſuos ſuſcipiendæ conſilium communicauerũt cum eccleſiæ Lauſannenſis miniſtris ac ſcholæ profeſſoribus, qui illud ut pium ac ſanctum magnoperè probarunt, cùm illud ad honorem Dei amplificandumq; regnum Chriſti eius Filij pertineret. Atq; ut eorum aduentus maiorẽ haberet approbationem, ea eccleſia tribus illorum teſtimonium dedit fidei ac probitatis eius quæ ea in urbe perſpecta fuiſſet, ut fideles homines, quos ita piè inuiſebant, eo teſtimonio quod afferebant adducti, eos libentius exciperent, meliusq; de illorum & uita & doctrina exiſtimarent, cui quidem teſtimonio, Ioannes Caluinus à Petro Vireto rogatus, facilè ſuum coniunxit. Cæteri uerò duo, aliquandiu in eadem urbe ſeruierunt, alter nempe Petrus Nauiherus apud ipſum Viretum, alter uerò Bernardus Seguinus apud Theodorum Bezam, eaq; in cõditione ac uitæ ratione ita integre uerſati fuerunt, ut fidem, officiũ & modeſtiã eccleſiæ ſuam probauerint. Paulo pòſt Geneuæ aliquot dies commorati, iter ſuſceperunt ut Lugdunum proficiſcerentur. Atq; in itinere quendam Lugdunenſem nacti comitẽ, rogatiq; ab eo ut ipſum quũ Lugdunũ peruenirent, inuiſerent, ſe id facturos promiſerunt. Itaq; qm̃ nullũ aliud diuerſoriũ reperiebant, in quo ad unum aut alterũ diem Lugduni cõmodè poſſent cõmorari, ad inſigne triũ piſcium diuerterunt: ac poſtridie duabus aut tribus pòſt prandium horis, omnes ſimul domũ eius à quo in ipſo itinere humaniter fuerãt inuitati acceſſerũt:

quæ

Vulgò Ennaiũ appellant.

quæ est ad Rhodanum, in ea urbis regione quæ à quibusdam Athenæus appellatur. Vbi cùm in horto aliquãdiu deambulassent, inuitati ab eo amico, adhibitaq; nominis Dei inuocatione inter pios priusquam cibus capiatur usitata, cœperunt accumbere, seq; ijs reficere, quæ ipsis appositа fuerant. Cùm autem ita in mensa donis piè fruerẽtur, lætarenturq; in Domino, Latrunculator Lugdunensis urbis, Poulletus cognominatus, cum suo satellitio aduenit, qui simulatq; cubiculum in quo illi erant, ingressus fuisset, nomen & cognomen uniuscuiusq;, patriam, rationemq; uitę ab eis quęsiuit, aliaq; huiusmodi ad indaginem reorum usitata. Id cùm fecisset, quatuor eorũ uinciendos curauit binos ac binos, quintum uerò medium inter satellites collocauit, nulla parte aduersatrice expressa causæue informatione habita cõtra omne ius in carcerem Officialis ducti fuerunt, in locumq; profundum & obscurum coniecti, atque hora propè pòst singuli ordine coram Officiali accersiti, eodemq; die interrogati de ijs religionis capitibus quæ illi magna contentione & ui tueri solent, ad quæ illi pro eximijs Dei donis, quibus prædìti erant, constanter secundum uerbum eius responderunt, & gloriam ei dederunt, confitentes eius nomen apud eos, qui etiam à mentione eius maximopere abhorrebant. Postero autem die, iterum interrogati fuerunt, & sequenti eam adepti facultatem ut confessionem suam ex scripto ederent, quam illi scripserunt: sed ita subitò ut uix eius exemplum retinere potuerint. Sequenti etiam hebdomade quidam eorum ad examen reuocati sunt: in quo quidem de religionis capitibus cum tribus monachorum generibus, scilicet Dominicanis, Franciscanis, & Carmelitis, erat eis disputandum. Postremò cùm eos adhuc ad se uocauissent, ut uiderent an in priore sententia permanerent: cognita eorum hominum constantia, confessioneq; ipsorum obsignata, eos in fossas carceris singulis separatim assignatas remiserunt. Postridie autem, qui erat dies Veneris 13 Maij, singulos eorum seorsim in auditorium Officialis produxerunt. à quo cùm in maxima hominum frequentia hæreseos condemnati essent, atque in manum Magistratus ciuilis traditi: quisque eorum, cùm huiusmodi sententia contra se pronuntiatam audiuisset, prouocauit de eo quidem, quòd ut hæreticus condemnaretur, postulauitq; ut ad parlamentum Parisiense duceretur. Id autem cùm Officialis magnoperè esset admiratus, tamen appellationem eorum admisit. In quo cùm quidam qui Officiali assidebat, audiuisset unum eorum ita appellantem, quæsiuit ex eo, an de reliqua quoq; sententia idem faceret. Ad id alter respondit, se quòd intelligeret præcipuum sententiæ caput in eo consistere, quòd hæretici essent declarati, ea quidem in parte ut iniqua appellare, in reliqua uerò se non intelligere quid uellent. Tum Officialis satis esse dixit, quòd illi ita appellassent. Ita his tredecim diebus ab aduersarijs causa illorum fuit cognita, in iudicioque uersata. Vt autẽ Causam illam exactius cognoscamus placuit ipsius Petri Scribę Confessionem subijcere.

Petrus Scriba pro uerbo Dei captiuus, omnibus fidelibus Christianisq; hominibus gratiam, pacem, salutemq; à Deo Patre, & Domino Iesu Christo etiam atq; etiam exoptat.

CVm ego, fratres in Christo charissimi, animò mecum perpenderem eum fructum qui ad uniuersam ecclesiam uenturus esset, si ea argumẽta, quæ de fide aduersarij in carcere Lugduni mihi proposuerunt, & simul quæ sunt à me responsa uobis exponerem: ob id confessionem meam ad uos scribere uolui, tum ut omnes fideles consolarer, tum etiam ut regnum Iesu Christi amplificarem: in qua quidem etiam complectar ea capita, quæ tractaui ac posui in ea confessione, quam ego manu mea scripsi, atq; aduersarijs dedi, cùm eam ex scripto recitassem. Cùm igitur nos inclusi essemus in carcere Archiepiscopi Lugdunensis, separatiq́ue alij ab alijs, Deumq́ue summo animi studio orare-

mus

mus ut ad nomen ipsius cum omni fiducia & libertate confitendum nos Spiritu suo cõfirmaret: uenit ad me ianitor carceris, qui duobus ostijs apertis eius infimi loci in quo eram, comitatus legato Præfecti me ducit ad auditorium coram Officiali, alijsq; hominibus qui ibi maxima frequentia & authoritate ad rant. Tum Officialis ex me quærit, Quomodo appellaris? Petrus, inquã. Scriba. Qua, inquit, es uitæ professione? Scholasticus, inquam. Vnde, inquit, nũc uenis? Ex Sabaudia, inquam, & ditione principum Bernatium. Qua ex urbe? Lausanna, inquam. Quid, inquit, ibi agebas? Verbo Dei, inquam, studebam. Quam, inquit, Lausannę doctrinam amplectuntur? Verbi Dei, inquam. Quo modo, inquit ille, scis tu uerbum Dei esse, quod illi amplectuntur? Quoniam, inquam, iandiu in ea urbe studui, concionibusq; interfui, quæ ibi quotidie habentur, uidi & audiui eos aliud nihil quam purum Dei uerbum prædicare, & ita credo, propterea quòd Spiritus sanctus animo meo eius rei testimonium dat, atq; ita affirmat, ut nullo modo dubitare possim aut debeam. Vis'ne, inquit, amplecti eorum legem ac secundum eam uiuere? Ego uerò, inquam, uolo: quoniam uerum Dei uerbum est. Num credis, inquit ille, corpus Iesu Christi in Sacramento altaris esse? Minime, inquam: nam id quidem repugnat illi fidei nostræ capiti, in quo dicimus ac credimus eum sedere ad dexteram Dei Patris, nec inde antè uenturum, quàm dies iudicij ille magnus & illustris uenerit. Diuinitatem quidem eius per totum mundum diffusam esse fateor. Sed ne uos existimetis me sanctum negare sacramentum, à Iesu Christo institutum: ego credo & confiteor, Sacramentum, à Iesu Christo institutum: ego credo & confiteor, Sacramentũ sacrosanctæ Cœnæ, in qua comedo corpus Iesu Christi, sanguinemq; eius bibo, non eo modo ac ratione carnis absurda qua Capernaitæ & Papistæ arbitrabantur: sed ita statuo me capiendo eum panem ac bibendo uinum, uerè corpus Christi edere ac sanguinem eius bibere: idq; per fidem atq; in spiritu. Tum Procurator fiscalis, homo doctus (quemadmodum ego intellexi) Clepierius nominatus, qui proximus Officiali assidebat, Tu, inquit, ais te cùm panem ac uinum in Cœna sumis, simul corpus & sanguinem Christi sumere? Sanè inquam: sed spirituali quadam ratione, non carnali. nam quanuis Christus nunc in cœlo sit, ubi eum fide quæro: uirtute tamen Spiritus sui qui res lõgo interuallo remotas superatasq; coniungit, animas nostras alit, fouet, reficit admirabili quadam ratione: quę ab humano ingenio minimè comprehendi potest: atque hoc modo efficit, ut nos corporis ipsius membra, os ex ipsius ossibus, caroq; ex carne simus.

Christum impanare repugnat fidei Symbolo.

Credis'ne, inquit, Purgatorium esse, ubi animæ purgentur, pro quibus nos orare debeamus? Ego uerò, inquam, credo sanguine Iesu Christi nos purgari, omniaq; peccata nostra eluí. nam eam ob causam effusus est: neque aliam credo, habeoq; peccatorum purgationem. Scriptura enim duas nobis uias proponit: unam fidei ad uitam æternam, alteram incredulitatis, per quam omnes infideles, qui non credunt in Christum, ad mortem æternam deducuntur. nã ita scriptum est, Qui in Filium Dei credit, uitam habet æternam: qui uerò in Filium Dei non credit, is iam condemnatus est, iraq; Dei super eum manet. Quare pro mortuis nullo modo orandum est. nam si in paradiso sunt, superuacanea est oratio, planeq; inutilis ijs qui iam fructum sentiunt mortis ac passionis Iesu Christi omniumq; promissionum, quæ in Euangelio offeruntur. sin damnati sunt, nil oratio potest illis prodesse, qui à Deo sunt maledicti in perpetuum. Num credis, inquit, sacerdoti esse confitendum? Ego uerò: inquam, sentio uni Deo confitendum esse, sicut Dauid multis locis dicit, ac præcipuè Psalmo XXXI, Tum dixi, Confitebor aduersum me præuaricationes meas Domino & tu dimisisti iniquitatem peccati mei. Hæc uera est confessio, quam statim absolutio peccatorumq; gratuita remissio sequitur. Ergo, inquit, tu non

Verum purgatorium.

Vni Deo confitendum.

credis confitendum esse sacerdotibus? Minimè, inquam, nam id quidem planè pugnat cum uerbo Dei, in quo docemur unum Deũ esse apud quem peccatorum confessio facienda sit, quemadmodũ Dauid ostendit Psalmo LI, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid tu, inquit, sentis de ecclesiæ cere moniis, ut de campanis, aliisq; rebus ab ea institutis? Quoniam, inquam, nos hac carne circundati non possumus comprehendere res Diuinas ac cœlestes, sentio ad infirmitatem nostram subleuandam huiusmodi adiumentis atque adminiculis nos opus habere. itaq; in Ecclesia Domini nostri certæ cere moniæ sunt obseruandæ, conueniendumq; unum in locum, tum ad audiendũ Dei uerbum, tum ad sacramenta à Domino instituta administranda & celebranda: quas ego ceremonias approbo. Quæ uerò à Papa in ecclesiam sunt introductæ, eas planè repudio, ut pernicioſas alienasq; à uerbo Dei, quibus homines à uero Dei cultu pietateq; abducuntur. Credis, inquit, uirginem Mariam orandam esse, cæterosq; item Sanctos qui sunt in cœlo: eosq; nobis esse aduocatos & patronos? Nullum, inquã, credo alium esse aduocatum, qui pro nobis apud Deum Patrem intercedat, quàm Iesum Christum, in cuius nomine certissimam habemus promissionem, nos in nostris precibus à Deo Patre exaudiri. Is etiam solus est Mediator inter nos & Deum, quemadmodum dicit Apostolus: neq; ullus est alius. Quòd uerò ad Virginẽ attinet, credo eam inter omnes mulieres maximè beatam esse, propterea quòd ea credidit, atq; Christum in utero suo tulit, uirgo & antequam eum pareret & postquam peperisset: eiusdemq; fidem ac consuetudinem uitæ imitandam: Deum uerò solum eius exemplo inuocandum atq; imitandum: quemadmodum in cantico suo nos monuit. Idem de Sanctis quoq; sentio. quos quidem existimo esse beatos, eorumq; exemplum imitandum, & laudandum Deũ, quòd tantis eos beneficiis affecerit atq; ornauerit. ut uerò eos inuocem adoremq́ue, nulla ratione adduci possum. nam ne ipsi quidem huiusmodi honorem uolunt. Cùm autem animaduerterem notarium non scribere ea quę à me dicerentur, ac locos Scripturæ qui à me citarentur, in scribendo prętermittere, ea de re Officialem admonui, ab eoq́ue papyrum atque atramentum petij, ut confessionem meã ederem, atq; ex certis Scripturæ testimoniis fidem meam declararem, demonstraremq́ue eam meam testificationẽ à ueritate uerbi Dei nulla in parte discrepare. Id cùm mihi ille assensisset, chartamq́ue & atramentum se postridie mihi curaturum promisisset, iussit ut meam confessionem subsignarem: atq; à ianitore legatoq́ue Præfecti in carcerem meum reducerer. ubi gratias Deo meo per Iesum Christum eius Filium egi, quòd me ita ad confitendum coram inimicis sanctum eius nomen uirtute Spiritus sui confirmasset, eumq́ue rogaui ut in eadem fidei confessione perseuerantiam usque in finem mihi præstaret. Post hanc precationem, quanuis in loco essem admodum obscuro ac tetro, in quo uix respirare poteram: tamen Spiritus uirtute magnoperè fui recreatus & confirmatus, eaq́ue consolatione ac lætitia affectus, quæ omnem tristitiam, angorem, molestiamq́ue superabat. Postero autem die, qui erat dies Lunæ ac secundus mensis Maij, custos carceris hora octaua me alium in locum traduxit: in quo aliquãto plus lucis ad scribendum habere poteram, partemq́ue folij dimidiam mihi dedit ad perscribendã confessionem meam. Id quod ego feci, inuocans Dominum ut author moderatorq́ue totius confessionis meæ esse uellet. Postridie ianitor sæpius ad me uenit, ualde urgens ut scriptũ quamprimum conficerem. cui ego respondi me non posse, propterea quòd ad scribendum non multum lucis haberem. Porrò duabus horis post meridiẽ legatus Præfecti uenit, meq́ue in amplam aulam adduxit, in qua erat Officialis, & iudex Cortrerius, aliiq́ue plurimi magnæ authoritatis aduocati, ciues, mercatores, cæteriq́ue alterius generis atq; ordinis homines, multi præterea monachi

Ceremoniæ in quem usum adhibendæ.

Virginis matris præstãtia.

Lux in tenebris oritur rectis corde.

monachi tum Dominicani tum Franciscani, alijq; pseudoprophetæ qui insignia bestiæ in capite atq; in toto corpore impressa habent. Tum Officialis ex me quæsiuit, num uellem in suscepta sententia permanere, & quod essem confessus defendere. Ego uerò, inquam, cùm nihil aliud quàm purum Dei uerbũ senserim ac dixerim, uolo id omni ratione tueri, atque in eo quod sum confessus & uiuere & immori. Scripsisti ne, inquit, confessionem tuam ac perfecisti? Partem, inquam, unam tantùm scripsi: sed uos rogo, ut concessu uestro absoluere mihi liceat, ad idq; faciendum iussu quoq; uestro ianitor mihi chartã suppeditet. Lege, inquit, id quod scripsisti. Tum ego magna uoce, quod à me erat scriptum legere cœpi. quo lecto atque recitato, Officialis ex me quæsiuit, num id quod scripsissem tueri uellem ac defendere. Ego uerò, inquam, etiam usque ad mortem, cùm id purum sit Dei uerbum, tueri paratus sum. Et postea cùm is iussisset ut cõfessionem meam obsignarem, id feci summo cum studio ac uoluntate. Deinde ille, Hic adsunt, inquit, doctores, qui sententiam tuæ opinioni confessioniq́ue contrariam tibi demonstrabunt. Incipiant igitur, inquam: nam ego eis respondere paratus sum. Tum unus ex illis monachis, quẽ cæteri dominum Doctorem honorificentissimis uerbis appellabant, cœpit mecum ita loqui, Age, inquit, amice, tu in confessione tua dicis Papam non esse ecclesiæ caput. at ego contrarium tibi probabo: Papa est successor sancti Petri, ergo ecclesiæ caput est. Ego, inquam, primùm nego antecedens, quòd Papa diui Petri successor sit. Ego, inquit, tibi probo, Papa est in loco sancti Petri, ergo eius successor est. Ego uerò, inquam, neutrum concedo. neque enim Papa annuntiat uerbum Dei, quemadmodũ fecit Diuus Petrus. Porrò oportet eum qui S. Petro uult succedere, illum quoque imitari, ut & annuntiet uerbum Dei, & oues Domini nostri Iesu Christi pascat: id quod Papa nullo modo facit, sicut ego in confessione mea uobis ostendo.

Dux gregis ip se caper.

Præterea etiam si Papa, ut uerus uerbi Dei doctor pastorq́ue Ecclesiæ, exemplum Petri sequeretur, atque ei ita succederet: non tamen caput esset Ecclesiæ Domini nostri Iesu Christi, sed membrum tantùm, aut minister & Apostolus. Itaque nullum est aliud caput Ecclesiæ: neque alterum ego agnosco, quàm Dominum Iesum solùm sine uicario ac successore. Nam Diuus Paulus eum unum constituit Angelorum caput & hominum. Tum monachus, Equidem, inquit, scio Paulum dicere Christum totius Ecclesiæ caput constitutum: ueruntamen uicarius qui uices eius suppleat, est in terra constitutus. Minimè, inquam ego. nam cùm ille magnitudine ac uirtute Diuinitatis suæ omnia impleat, atq; Spiritu suo Ecclesiam suam regat, ubi ille ita præsens est, nullum uicariũ esse oportet. Ego, inquit monachus, ostendo Christum, quamuis totius cœli ac terræ rex sit, plurimos tamen uicarios habere in hoc mundo, reges ac principes, quos uult populo suo præesse. Aliud est, inquam, in rebus ciuilibus, aliud in spiritualibus. nam in illa rectione rerumpublicarum atque rerum humanarum administratione reges uult esse ac principes qui ad societatem generis humani conseruandam dominentur: in ecclesia uerò & regno Christi, quod est spirituale, non eadem est ratio regendi & gubernandi. Tum is mihi alias similitudines afferebat: quas ego ut leues & ineptas præter mitto. Cùm autem in hac mihi cum illo monacho instituta disputatione cæteri eiusdem farinæ ac rasuræ homines uiderent illum magnum doctorem ita uictum: tum contrà ut me clamoribus suis consternarent, bini aut terni interdum uociferabantur. Ex illis unus fuit Franciscanus, doctor Cumbanus appellatus, qui me hunc in modum aggressus est, Tu ais, inquit, sanctum Petrũ ecclesiæ caput non fuisse. Maximè, inquam. Ego uerò, inquit, contrarium probo, Dominus noster dicit Petro, Tu es Simon filius Ionæ, tu Cephas uocaberis, porrò Cephas, caput Latinè dicitur. Vnde, inquam, hanc tu interpretatio-

Christus solus caput Ecclesiæ

nem accepisti? Ioannes quidem in Euangelio suo aliter interpretatur, cùm in primo capite eius Euangelij ita scribit: Tu Cephas uocaberis, quod declaratur Petrus. Tum iudex Vilardus nouum Testamẽtum in manu sumpsit, ut uideret an ea interpretatio ita esset quemadmodum ego dicerem: quam à meis uerbis discrepare nullo modo comperit. Itaq; monachus demisso capite sum moq; affectus pudore conticuit, ac planè concidit. Tum Dominicanus interruptum suum sermonem hoc modo continuauit: Tu, inquit, tua confessione dicis hominem nullum habere liberum arbitrium: ego uerò contrariam sentẽtiam probo. nam ita scriptum est in Euangelio, hominem quendam cùm Hierosolymis in Iericho descenderet, in latrones incidisse, à quibus fuit spoliatus ac uulneratus, semimortuusq; relictus: Thomas autem Aquinas, eam parabolam à Domino propositam interpretatur de libero arbitrio, quod dicit in parte quidem læsum, sed non planè comminutum attritumque fuisse ut nulla uis amplius hominis remanserit. Hanc ego interpretationem, inquam, nullo modo accipio. Quid, inquit ille, es'ne doctior S. Thoma? Ego, inquam, non tantum mihi arrogo, ut me eo doctiorem esse dicam, sed hanc parabolam ita exponendam esse nego: sed potius eo proposito à Domino nostro Iesu exemplo nobis eam charitatem commendari, quam nos erga proximum nostrum suscipere & habere debemus. De libero uerò arbitrio, nos omnem eius facultatem ac uim amisimus, quemadmodum ego in mea confessione declarauí. Nos enim planè mortui sumus & non aliqua in parte, sicut ait Diuus Paulus. Quòd si benè agimus, id nobis non est attribuendum, sed Deo, qui per Spiritum suum in nobis agit: qui etiam, ut idem Apostolus testatur, facit ut nos & uelimus & efficiamus. ita ſi Deus huiusmodi uoluntatis & facultatis largitor effectórque in nobis est, nullo iure eam possumus nobis arrogare. Tu, inquit, ais in confessione tua, nos sola fide iustificari. Maximè, inquam, at ego, inquit ille, probo nos operibus iustificari: Nos operibus meremur, ergo nos per ea iusti sumus. Ego nego, inquam, antecedens. Ego uerò, inquit, illud probo: Diuus Paulus ultimo capite epistolæ ad Hebræos ita dicit, Beneficentiæ & communionis ne obliuiscamini: talibus enim uictimis promeretur Deus: Vides, inquit, promereri significare mereri. ergo nos operibus nostris meremur. Nego, inquam, in eo textu ita legi: siquidem ueram translationem sequi uelimus. Tum Officialis ac monachi cęteri, Dic tu ipse, inquiunt illi, quomodo eo in loco legendum sit. Si, inquam, proprium sermonis genus quo usus est Apostolus, eiusque sensum sequamur, ita legendum est: Talibus uictimis Deus delectatur, aut gratas acceptasque habet: huiusmodi hostiæ ei placent. Itaque Iudex Vilardus in nouo Testamento Franciscani mox inspexit, atque ita esse ut ego dixeram comperit. Tum uerò Pseudoprophetæ illi uehementer perturbati fuerunt, tantoque pudore affecti, ut loqui non possent nec auderent homines alioqui audaces atque impudentes. Ego autem, fratres, uobis uerè affirmare possum, me quum disputarem cum miseris huiusmodi hominibus, ita liberum, alacrem, paratumque fuisse, ut ad omnia quæ mihi ab ijs proponerentur, placidè comiterque responderem. Illi uerò erant planè consternati & attoniti. Alij caput demittebant, alij frendebant dentibus, quemadmodum ego facilè uidere poteram, inprimisque Franciscani ea in disputatione cum maxima animi indignatione, molestia & confusione uersabantur. Ex quibus unus quæsiuit ex me, quid de confessione sentirem. Cui ego cùm respondissem uni Deo confitendum esse, eosq; locos quos ad probandam auricularem confessionem afferret, ut Iacobi Apostoli, non debere de ea intelligi aut exponi, sed potius de fraterna reconciliatione, miseri homines obmutuerunt. Tum Officialis, Equidem amice, inquit, uideo ea quæ isti ad te admonendum afferunt: sed tu in tuo errore obstinatus semper permanes. Quare cogita, quem-

De libero arbitrio disputatio

De confessiõe.

admodum

admodum res tua causaq; se habeat. Tu uerò, inquam, optimè perspicis eas demonstrationes, argumenta, rationes quas undiq; afferunt, nō ualere ut me de eo quod affirmo, redarguant atq; conuincant, neq; uerò eos, quæ à me secundum uerbum Dei dicuntur, posse refellere ac refutare. Quare ego non sum pertinax, neq; ullo in errore: neq; aliud quidquam assero quàm purũ Dei uerbum, quod ego usq; ad ultimum uitæ spiritum tueri paratus sum. Tum is iussit, ut ego in carcerem meum reducerer, ubi ego fui usq; ad diem Martis sequẽtem, qui dies decimus erat mensis Maij, Dominum orans, ut me ad causam suam defendendam uirtute Spiritus sui confirmaret.

Et quoniam in postremis disputationibus de sacramento Cœnæ nihil obiectum mihi fuerat, præparaui me ut responderem ad ea quæ ab illis dici atq; obiici possent contra ea quę ego in confessione mea professus sum. Qua in re Deus benignissimus uoto meo ac desiderio respondit & satisfecit.

Decimo igitur die Maij, eodemq; Martis, circiter horam septimam ianitor me accersit, ut ad Officialem adduceret, quo cum etiam erat Officialis Primatius, ut uocant, primus in inimicis Iesu Christi infestissimusq; hostis: præterea Clepierius procurator, cum quibusdam alijs Antichristi administris, eiusque impiæ sectæ & causæ defensoribus: in quibus erat Dominicanus doctor, qui nostris interfuerat disputationibus, sed mecum congressus non erat. Cùm igitur ad eos essem productus, Amice, inquit, Officialis, uis'ne permanere in ea sententia & confessione, quam tu antea nobis edidisti? Sanè, inquam. nam ea quidem à me facta est ex uerbo Dei, pro quo ego tuẽdo & uiuere & mori paratus sum. Tum Dominicanus, Num credis, inquit, corpus Christi certa corporis lociq; ratione in Sacramento inclusum? Minimè, inquam: nam uerbum Dei nos docet eum esse in cœlo, ibiq; tandiu futurum quoad iudicaturus uiuos & mortuos ueniat. Atq; hoc quidem unum fidei nostræ caput est, in quo credimus eum in cœlum ascendisse, ac sedere ad Dei omnipotẽtis dexteram. Quare si Christus est in cœlo, quòd ad ipsius humanitatẽ attinet, atq; ibi, quẽadmodum dicit S. Petrus, usq; ad restitutionem omnium futurus est, non oportet in Sacramento eum quærere, quasi quodam in loco inferioris terrę inclusum. Iesus Christus, inquit, sumens panem dixit: Hoc est corpus meum. In pane ergo corpus est. Non ita est, inquam. Neq; enim Christus dicere uolebat eum panem quem discipulis suis dabat, suum esse corpus: sed signum eius tantummodo. neq; enim EST substantiuè accipitur in sua propria significatione, ut naturam rei existentis significet: sed significationem rei significantis notat, genere sermonis in Script. usitato, quo nomẽ pro nomine accipitur, & ita signum nomine rei significatæ appellatur, aut cõtra nomen signi cũ re quam significat, communicatur: ut in Genesi Dominus Circuncisionem fœdus suũ esse dicit: neq; tamen Circuncisio fœdus erat, sed signum ac sigillum fœderis, quemadmodum eo in libro nominatur: & à Paulo sigillum iustitiæ Abraham dicitur. De agno etiam in Exodo scriptum est, eum esse Pascha, id est transitũ Domini. Neq; tamẽ agnus erat transitus: sed significationem rei præteritæ habebat illius præclaræ memorabilisq; redemptionis, qua Deus populum suum ex Aegypto eduxerat. Itaq; uerbum substantiuum EST his duobus locis pro Significat accipitur, præsertim cùm sermo de Sacramentis est institutus. Tum monachus, Maxima, inquit, differantia est inter Sacramenta ueteris Testamenti, & noui. Neq; enim Sacramenta ueteris Testamenti gratiam conferebant, sicut ea quæ in nouo sunt instituta. Nec ueteris, inquam, nec noui Testamenti sacramenta gratiam conferunt: sed solùm eam à Iesu Christo in nos conferri ostendunt. Nam minister quidem tantummodo sacramenta nobis administrat: sed Iesus Christus uirtute Spiritus sui gratias dat, eaq; communicat quæ promissa nobis in Sacramentis proponuntur & repræsentantur. Pa-

Corpus Christi est in cœlo.

Sacramẽta gratiã nõ cõferũt.

tres, inquit, ueteris Testamenti, nónne eiusdem gratiæ promissionumq; participes fuerunt, quibus nos hodie participamus? Maximè, inquam: Nam Paulus ad Corinthios scribit, Patres ueteris testamenti eundem nobiscum cibum spiritualem comedisse, eundemq; potum bibisse spiritualem. Ex quo efficitur eandem gratiam nobiscum & promissiones iustitiæ ac uitæ communes habuisse per fidem, qua Christum ipsis promissum ac mutis signis præmonstratum expectarunt. Iesus Christus, inquit, in Euangelio Ioannis 6. cap. ita loquitur: Patres uestri in deserto comederunt manna & sunt mortui. ergo eiusdem gratiæ nobiscum participes non fuerunt. Iesus Christus, inquam, eo in loco de ijs loquitur qui man per fidem non acceperunt, symbolum & sacramentum eius panis, quem ipse de cœlo missum ac uiuificum largitur: sed non de ijs loquitur qui fide illum cibum acceperunt, quo in numero fuit Moyses, Aaron, Iosue, Caleb, & alij pij qui sub illis figuris umbrisq; ueteris testamẽti Christum uenturum, quasi eminus aspexerunt. Nam de Abraham ipse Dominus dicit in Euangelio Ioannis, uidisse suum diem lętatumq; fuisse. Abraham autem uidit Iesum Christum, non corporis, sed fidei oculis. Itaque dominus doctor tum magnopere erat perturbatus, atque ita incertus, ut quid ageret, aut quò se uerteret planè nesciret. Et simulatq; ego aliquot eius argumentũ dissoluerã, quærebat semper aliquid quò posset effugere, ne uictus à me esse planè uideretur, sæpe me his uerbis interpellans, Audi, amice, ne tantoperè incalescas, neque ita clames: expecta parum, expecta. Ego, inquit, probo homines ueteris testamenti, eius gratiæ, cuius nos sumus, participes non fuisse. Diuus Paulus ait, Lex iram operatur: & alio loco, Quicunque sunt sub Lege, sub maledictione sunt. Quòd si sub ira sunt & maledictione, sequitur eos gratiæ nobis communicatæ participes non fuisse. Diuus Paulus, inquam, ostendit his locis, Legem non posse nos iustificare, propterea quòd eam nemo præstare potest: atque omnes qui uolunt per eam coram Deo iusti esse, in iram Dei maledictionem'que incurrere: sed ad Christum esse confugiendum, qui eam omnibus partibus compleuit, per fidem'que in ipsum eam nobis iustitiam donari, quæ iustitiæ Dei respondeat, ac iudicio Dei satisfaciat. Itaque Lex iram efficit, nosq́ue omnes condemnat, non natura sua quæ ad uitam salutemq́ue data est, sed culpa nostra, qui non possumus eam implere. Patres autem ueteris Testamenti uidemus iustitiam non in Lege quæsiuisse, sed in Christo Iesu, qui ipsius Legis finis est, in quem ipsi crediderunt. Diuus Paulus, inquit, septimo capite ad Romanos ostendit in ueteri Testamento nihil præter iram ac minas fuisse: in nouo uerò gratiam & misericordiam nobis proponi & commendari, cùm ita dicit: Ego miser homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Paulus, inquam, eo in loco non loquitur de ueteri & nouo Testamento: sed de pugna & certamine carnis atque spiritus, in quo homo uersatur Spiritu Dei regeneratus, quod certamen carnis spiritui resistentis Apostolus in seipso ostendit. Præterea in ijs libris qui de Græco in Latinum & Gallicum sermonem rectè sunt conuersi, non legitur, Gratia Dei, sed, Gratias ago Deo per Iesum Christum. Interea dum ego cum hoc monacho disputarem, Officialis Primatius ira indignationeq́ue furebat, & magnis crebrisq́ue clamoribus hæreticum me appellabat. Cùm igitur uideret dominum doctorem os habere clausum, nec posse mihi respondere: aduersum me uociferans, Tu, inquit, scelestè hæretice, negas sanctum Sacramentum? Minimè uerò, inquam: sed credo & amplector sicut à Christo Domino est institutum, atq; Apostolis ipsius impertitum. Tu, inquit, corpus Iesu Christi in Sacramento esse negas, & panem uocas Sacramẽtum. Scriptura, inquam, admonet nos, ut Christi corpus in cœlo quæramus, inprimisq; Paulus Coloss. 3. Si uos cum Christo

Lex non iustificat.

Officialis Primatij rabies.

Christo resurrexistis, quærite non quæ sunt in terra, sed quæ sursum in cœlo sunt, ubi Christus est ad dexteram Dei collocatus. Quòd uerò ego dicam sacramentum non esse corpus Christi, sed panem, qui suam naturam propriam retineat, idem quoq; facit Paulus 1. Corinth. cap. 11. Nam quater aut quinquies sacramentum Cœnę, Panem appellat. Tum monachus, Iesus Christus, inquit, dicit se esse panem uitæ. Et Primatius Officialis, Scelestę hæretice, inquit, Iesus Christus dicit se uitem esse & ostium: ubi quidem figuratè ac per similitudinem loquitur: sed uerba Sacramenti non ita sunt intelligenda. Testimonia, inquam, quæ uos allegatis, pro me potius, quàm pro uobis faciunt. Age scelestę, ain tu panem Cœnæ, atq; eum quo in uictu quotidiano utimur, eundem esse, neq; quidquam interesse? Natura, inquam, & substantia nihil planè differunt: qualitate uerò & usu magnam habent differentiam. Panis enim Cœnæ cùm eiusdem sit naturæ cum eo quo quotidie uescimur, aliam tamen qualitatem accipit, cùm ad sacramentum adhibetur, atq; ad obsignandam promissionem uitæ spiritualis æternæq; proponitur. Tum ille furens, Abi scelerate hæretice, tu igne cremaberis, atque ad diabolum ibis. Si ego, inquam, comburar pro uerbo Dei tuendo, non propterea ibo ad diabolum. Vos quidem nunc iudicatis, atq; omnia ad iudicium arbitriumq; uestrũ refertis: sed uidete quid agatis. Nam alius est summus Iudex, qui de causa nostra uerè ac sine acceptione personarum iudicabit. Is innocentes, iustos pronuntiabit, quòd causam ac ueritatem suam defenderint: improbos & sceleratos, qui impiè eius uerbum persequuntur, condemnabit. tum ille ut insanus furoreq; correptus exclamare cœpit: Abi scelestę, reducite eum in carcerem. Ego autem Officiali Buathęrio dixi, Obsecro te, domine, ut concessu uestro liceat mihi confessionem meam absoluere. Sed is, itemq; monachus, atque alius Officialis iusserunt, ut ego meum in locum me reciperem. Itaque digressus sum ab illis maxima cum molestia ac dolore animi, eorum causa accepto, quibus meã fidem cumulatè approbare aut certè declarare non poteram. Sed in locum reuersus meum, cœpi Deum inuocare, animoq; reputare, quã de impijs hominibus, administris Antichristi atq; hostibus ueritatis reportaram uictoriam, quos uerbo Dei plenè cõfeceram. Tum uerò Spiritus sanctus in memoriam mihi reduxit id quod Christus Iesus ijs promisit, qui pro causa ipsius defendenda corã inimicis eius prodirent. Vos quidem, inquit Dominus, coram regibus, præsidibus, iudicibusq; producemini in testimonium eis: sed ego uobis dabo tum os & huiusmodi sapientiam, cui aduersarij resistere non poterunt. O summam consolationem & lætitiam, quam ego, fratres charissimi, animo meo accepi, cùm uidi illud Christi promissum in meipso completũ esse, uerbumq; Dei aduersus sathanam & Antichristum eiusq; administros superius extitisse? Equidem magnas consolationes Spiritus Dei antea percepi, ex quo Dominus me ad cognitionem uerbi sui uocauit, inprimisq; dum in ecclesia Dei, in sancto fidelium cœtu & conuentu uixi: sed minima consolatio & lætitia, quam paulo antè in his meis uinculis cepi & nunc capio, omnia solatia gaudiaq; superat, quæ unquam in tota uita mea habuerim. Nunc enim Spiritus sanctus reducit mihi in memoriam tot & tam suaues promissiões factas ijs qui pro nomine ipsius patiuntur, gustuq; ac sensu cœlestium gaudiorum afficit: Tu quidem, inquit, nũc in his locis obscuris tetrisq; beatus es, quanuis à toto mundo ut miser & infelix reijciaris, detestandusq; existimeris, non ob aliud, nisi quòd nomen meum confiteris: Tu nunc in angore, lachrymis, squaloreq; uersaris: sed tempus est ut teipsum erigas, in Deoq; authore huius tam excellentis uocationis gaudeas, exitumq; huius certaminis felicissimum, atq; amplissimum uictoriæ præmium tibi proponas. Quòd si hoc tempore tu ducaris ad tormẽta cũ summa ignominia & dedecore, ô beatũ hominẽ qui corã Deo eiusq; Angelis omnes

Panis Cœnæ in quo differt à quotidiano.

Gaudiũ capti, ui in S. Spiritu

reges atq; Imperatores huius mundi honore ac dignitate ſuperas. Nam primùm hoc modo imagini Filij Dei conformis conſimilisq; fis, ut eius quoque gloriæ atq; immortalitatis particeps ſis, deinde Spiritus gloriæ in te honorifi centiſsimè requieſcit: cuius quidem ea uis eſt atq; præſtantia, ut cętera omnia huius mundi uel ornamenta uel ſolatia gaudiaq; cum eius commendatione atq; conſolatione comparata euaneſcant. Denicq; nunc tu es in ſchola & diſci plina Filij Dei, in qua Pater cœleſtis omnes diuitias ac theſauros gratiæ ſuæ, ſecretaq; ſapientię ſuæ admiranda, & iudicia altiſsima explicat: in qua omnes Prophetæ, Apoſtoli, Martyres uerſati fuerunt, & iniurias, opprobria, contumelias q; perpeſsi, inſtar ignis in fornace probati atq; explorati extiterunt priuſquã adipiſcerentur coronam immortalitatis, paratam propoſitamq; ijs omnibus qui cauſam Chriſti & dignitatem uſq; ad mortem tueri uolunt. Hęc eſt lectio, fratres chariſsimi, in qua Spiritus ſanctus optimus filiorũ Dei doctor, & ſuauiſsimus eorum qui affliguntur conſolator, nos quotidie in his noſtris ærumnis conſolatur & hortatur.

Carcer ſchola Filij Dei.

Poſtero autem die, qui erat dies Mercurij, undecimus eius menſis ſuprà notati, ego traductus ſum in alium carceris locũm non ita obſcurum: ubi erat frater & ſocius huius noſtræ captiuitatis propter communem cauſam Euãgelij: quocum me ipſum per duos dies magnoperè ſum conſolatus. ſumma aũt Dei prouidentia eum in locum translatus fui. Nam cùm eſſem ibi cum eo fratre, admoniti fuimus, ut appellaremus ab iniquitate eius ſententiæ, in qua nos hæreticos pronuntiarent. Cuius quidem rei nunquam mihi ueniſſet in mentem, neq; alteri fratri qui in carcere erat inferiore, niſi hoc modo conſiliũ nobis datum fuiſſet. Itaq; cùm ueſperi in meum priſtinũ carcerem reducerer, per latrinas id conſilium communicaui cum eo fratre qui in loco ſub me inferiore erat conſtitutus. Porrò die Veneris ſequenti, 13 eius menſis, ianitor me accerſit ut ad Officialem adduceret: cum quo nullus erat alius præter ipſum ianitorem & alium quendam qui ex me quæſiuit, an ego in oppido nomine Charitatis appellato, unq; fuiſſem. Cui ego, Minimè inquam: neque ſcio ubi nam ſit ea urbs. Num, inquit, tu cum ijs fuiſti qui Richardum eripuerunt, cùm is Lutetiam captiuus ad parlamentum duceretur? Non, inquam, neque unquam Richardum cognoui aut uidi, niſi Lauſanna tranſeuntem: quem quidam eũ eſſe mihi ſignificarunt. ac ſic habeto, domine, credasq; mihi pro ea fide ac religione iuriſiurandi quo obſtrictus me uerum dicturum uobis promiſi, me nunq; ibi tum interfuiſſe, nec eam rem ullo modo approbare. Neq; enim ea eſt ratio, qua uerbũ Dei, aut eos qui illud tuentur defendere debeamus. Vis tu igitur, inquit, errorem tuum & ſuſceptam opinionem retinere? Quod ego amplector, inquam, & tueor, nihil eſt aliud quàm uerbum Dei, cui ego nihil repugnãs affero. Qui, inquit, ſcis tu, id quod aſſeris, purum eſſe Dei uerbum? Quoniam, inquam, id cum doctrina Prophetarum, Apoſtolorũ ac ipſius Ieſu Chriſti conuenit, & Spiritus ſanctus certiſsimum mihi de eo teſtimoniũ reddit, & ego ita perſuaſus ſum. Prętera tu ipſe, domine, perſpexiſti & perſpicis aduerſarios nullã rationẽ, quæ quidem ualeat, contrà afferre: nec me reuincere quominus id quod dico uerum ſit. Vidiſti enim eum qui mecum de Sacramẽto et alijs quibuſdam reb. diſputabat, uictũ fuiſſe. Tu, inquit ille, ſanctũ negas ſacramentũ. Minimè, inquã: ſed de eo ita ſentio, ut Chriſtus Dñs inſtituit, & D. Auguſtinus in Ioannẽ ſcribens exponit. Cùm aũt uiderem Officialẽ alia ueſte indutum q; uti conſueuerat, et quia id mihi antè dixerat, putabam eum tum latu rum eam ſententiã, qua me hæreticũ declararet, atq; ita de nobis breui actum fore. tũ ego ei dixi, Nos cùm Lugduno tranſiremus, atq; aliò iter haberemus, captos eſſe ſine ulla cauſæ inquiſitione, cùm nihil contra Regis edictũ dixiſſemus aut feciſſemus: quod iurigentium repugnat.

Agit de Richardo le Feure, cuius hiſtoria huic martyrologio infra aſcripta eſt.

Tu interro-

Tu interrogasti nos de fide nostra, quid de tota religione sentiremus: nos tibi ex uerbo Dei respondimus. Conceditur Turcæ aut Iudæo, ut rationem reddat fidei suæ, eiusqúe doctrinæ quam profitetur, sine ullo uitæ periculo, cur nobis quoque non concedetur, qui nihil dicimus nisi quod uerbo Dei continetur? Nos quidem certò scimus non temerè ac fortuitò, sed certissima Dei uoluntate & prouidẽtia in manus uestras incidisse: sed uos quoq; à Deo estis constituti, ut de causa nostra, quæ iusta & æqua est, iudicetis. Quare considerate, quid nam de ea statuatis ac decernatis. nam si aliter quàm oportet iudicaueritis, atque optimam causam ueritatemqúe condemnaueritis, alius est supremus iudex, ad cuius tribunal uos sisti aliquando oportebit, ut sententiam quoque contra uos ipsos audiatis, si nunc quidquam iniquè in nos eius ueritatis testes constitueritis. Cùm autem hæc à me ei maximo animi studio & summa Spiritus ui dicerentur, homo miser attonitus atque exterritus incedebat, ut nullum uerbum loqui posset. Non erat illi eadem facies ac uultus lætus aut compositus quo me antea interrogare consueuerat, sed tristis & pallidus, index summæ perturbationis: planè nullo loco consistere poterat. Cùm ego ei proponerem iudicium Dei, nihil omnino loquebatur, nec tamen à me digredi poterat. Interea Dominus in caput eius fulminabat: mihi uerò summam in loquendo libertatem & audaciam concedebat. Ac cùm diu postea loquutus esset, ad postremum discedens dixit, uerbum Dei quidem tuendum esse. Id cùm ille dixisset, ianitor me in meum carcerem reduxit: & quarta horæ parte pòst, me accersiuit ut in auditorium ad Officialem, aliosq; iudices produceret, ubi maxima hominum frequẽtia erat. Tum Buatherius legere cœpit ac pronuntiare meã sententiam, in qua me ut hæreticum, schismaticumq; cõdemnabat. Tum dixi me ab ea sententia appellare, qua ad optimã causam me am condemnandam abuterentur: itaq; ab huiusmodi abusu prouocare. Tum Officialis, Cur, inquit, tu appellas? modò non ita loquebaris. Egõ, inquam, in mea confessione contra abusus, non contra uerbum Dei locutus sum. itaq; à uestra sententia appello ut abusiua & iniqua. Porrò post eam sentẽtiam & appellationem nostram, aduersarij ira & indignatione cœperunt furere. Officialis quidem uicarius Lugdunensis Archiepiscopi, postq; nos condemnasset, domum maximo cum tremore ac terrore reuersus est: ita ut cùm de prouocatione nostra loqueretur, in summa perturbatione atq; animi angore uersaretur. Cùm autem domum suã ita attonitus consternatusq; se recepisset, sesquihoram pòst uenit ad eum iudex Melierus, qui se à Suppręfecto Regis missum esse dicebat, ut eos Lutheranos ad Rouanam Regium carcerem traduceret, ut postridie supplicio afficerentur. Cui Officialis respondit, non ita futurum, quoniam nos appellassemus, eamq; appellationẽ repudiare se non posse. Tũ ille, quasi leo rugiens, Tu igitur, inquit, non uis in hos sceleratos homines animaduertere? Sanè uolo, inquit Officialis: sed consilium ante nobis capiẽdum est, & Lutetiam scribẽdum, ut sciamus an eorum appellatio sit ualitura. Ita Deus mirabiliter nos defendit per eum, qui paulò antè nos cõdemnauerat: leoq; nobis ad tempus pastor fuit, ut nos aduersus rabiem cæterorum leonum tutaretur. Qua in re Deus manum suam fortem ac potentem exhibuit, atq; in cõspectu nostro opus admirabile effecit, ut in ipsius bonitate, misericordia, ueritate totã fiduciam nostram reponamus, planeq; nobis persuadeamus, cùm optimus Pater huiusmodi amorem, curam, solicitudinẽ in nos suscipiat, nullã uim tantam diaboli aut mundi fore, quæ nobis nocere possit, ac ne pilũ quidẽ capitis nobis periturũ. Quamobrẽ maximas Deo gratias agere debemus pro huiusmodi liberatiõe, in qua mirificè nos tutatus est, nostrã in ipsa morte uitã cõseruãs, multosq; pios homines suscitãs, à quib. magna & corporis leuamẽta et animi solatia quotidie accipimus, Cõfidamus igit̃ et speremus, Dñm qui ita

Fideliũ cõditio deterior quàm Turcarum.

Prouocatio à sentẽtia iudicũ

Dei erga suos prouidentia.

qui ita nobis affuit, nullo unquam loco, tempore ac re defuturum: atque eius bonitatem, & gratissima animi memoria, & certissima fiducia in eo uno collocata illustremus. Nos quidem hactenus eius singularem gratiam opemq; experti sumus, apud quos nec pericula acerbissimæ mortis proposita, nec magna huius suauissimæ uitæ commoda ab aduersarijs promissa, quidquam ualuerunt, nec unquam efficere potuerũt, quò minus nos fidem in Deum, Christumq; purissimè susceptam, summa cõstantia retineremus ac declararemus. Itaq; nos totos in eius fidem atq; opem permittamus, qui causam suam, honorem, gloriam nobis tuendam commisit: eiq; nostrum studium & officium, omni constantia, fide, obseruantia approbemus.

Habuerunt etiam reliqui quatuor suas conflictatiões cum aduersarijs, atq; quisq; suam confessionem scripto exhibuit. Scripserunt præterea ex carcere aliquot epistolas consolatorias ad fratres captiuos, & huiusmodi aliquot ab alijs acceperunt, præsertim ab omni genere uiro doctissimo Iohãne Caluino Ecclesiæ Geneuensis pastore, quæ omnia, breuitati hoc libro studetes, omittimus. Si quis tamen plura uidere desideret, legat uelim lib. 6. Iohannis Crispini, ex quo hæc, sicut alia multa, ferè ad uerbum excerpsimus.

Mors quinque Scholasticorũ descripta.

Cùm igitur illi quinque fideles Euangelij testes, omnes impetus inimicorum ueritatis summa constantia sustinuissent, ab eo die qui 1. erat Maij M.D.LI. quo in carcerem coniecti fuerant, semper eundem animum in confessione nominis Dei, studiumq; in optima causa retinuerunt, seipsos continuis ad Deum mutuisq; precibus confirmantes, usque ad eum diem, qui anno exacto fuit eiusdem mensis Maij XVI. qui sanè dies gratus faustusq; uenit liberationis eorũ, ac coronæ eius quæ ipsis à Domino post insignem dimicationem proposita & parata fuerat. Itaq; circiter horam nonam matutinam eius diei. cùm in cancellorum area carceris Roanensis sententia recitata capitis damnati fuissent, cuius summa erat: ut ad locum Territorij nomine appellatum ducerentur, ibiq; sepultura ignea absumerentur collocati fuerunt quodam in loco, in quo facinorosi ac damnati capitis supplicium expectare solent. Illi itaq; eo in loco locati, ut primam aut secundam supplicio dictam horam pomeridianam expectarent, cœperunt Deum inuocare & orare maximo cum ardore spiritus, atq; eorum admiratione qui eos inspectabant: alij se in terram prosternentes, alij faciem in cœlum attollentes: ea demùm comprecatione facta, in Domino gaudere ac lætari, eiq; Psalmos canere cœperunt. Cùm aũt secũda iã hora appropinquaret, eo ex loco educti sunt uestitu subcinericio induti, ac uincti funib. sese inuicẽ hortantes ad constantiã perseueransq; studiũ, atq; ad eũ cursum uitæq; exitũ, qui ad postẽ cui mox alligandi erant propositus erat, ubi Dominus insignia ornamentaq; uictoriæ eis constituarat. Impositi igitur currui nonum canebant Psalmũ, Celebrabo te Domine toto corde meo: & quanuis eis per aduersarios non liceret canticũ institutũ absoluere, Deũ tamen inuocare nunq; destiterunt, multasq; Scripturæ sententias transeuntes pronuntiare. Inter cæteras aũt cùm per forũ transirẽt olitoriũ, ad exitũ pontis qui Ari iunctus est, unus ex ijs multitudinem alloquens, maxima uoce precatus est in eam sententiam quæ est in fine epistolæ ad Hebræos: Deus pacis, qui eduxit è mortuis magnum illum ouium Pastorem per sanguinem fœderis æterni Dominum Iesum Christum, uos in omni opere bono confirmet, ut eius uolũtatem faciatis. Deinde pronuntiare cœperunt symbolum Apostolorum, per ea fidei capita, quibus distinctum est, ita ut cùm unus eorum incepisset, alius quod sequebatur ordine exciperet ac pronuntiaret. Cui autem ille articulus obuenit, Conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine: sublata quàm maximè potuit, uoce pronuntiauit, ut populus falsam iniquamq; calumniam intelligeret, quam inimici sparserãt de ipsorũ fide, quasi id caput negarent, ac de

Calũnia uulgata in filios Dei hoc tempore.

ac de uirgine Maria malè & sentirent & dicerẽt. Satellitibus uerò qui eos perturbabant, ac nisi tacerent, minabant, mansuetè bis responderunt: Siccine uos agitis, ut nos impediatis, quominus in hoc breui & exiguo spatio quo in hac uita futuri sumus, Deum nostrum inuocemus & laudemus? Cùm uerò ad locum supplicio constitutũ peruenissent, summa cum animi alacritate conscenderunt ingentem congeriem lignorum, quæ circa postem erectum coniecta erant: duo eorum qui minimi natu erant primi ascenderunt: quos postquam carnifex uestibus exuisset, ad postem constitutum alligauit. Postremus ascendit Martialis Alba, natu omnium eorũ maximus, qui diu genibus super struẽ lignorum positis Deum orabat. Itaque carnifex, cùm cæteros ad postem alligasset, uenit ad eum adhuc in genua prolapsum, quem erectum per axillas uolebat ad alios eius socios deducere. Tum Martialis Prefecto Regis in ea urbe Tignacio dixit, domine Præfecte largire mihi unum. Cui ille, quidnam illud est? Vt possim, inquit Martialis, antequã moriar, fratres meos deosculari. Hoc autem ei cùm prefectus concessisset, ille ex summa lignorum strue in qua erat seipsum inclinans, fratres suos reuinctos atq; alligatos osculatus est, eorũ uni cuiq; amantissimè dicens, Vale mi frater. Eum autem cæteri quatuor sequuti sunt, atq; alij alios osculati, retrorsum reflectentes collum, ac suum quisque ab alio digressum ex hac quidẽ uita uerbis uerè fraternis prosequentes dicebant, Vale mi frater. Ea amoris charitatisq; ue significatione facta, Martialis, cùm fratres suos Deo commendasset, priusquam descenderet, ut ad postem ipse quoque alligaretur, admonuit tortotem ne eorum quæ ei dixerat obliuisceretur. Deinde statim ut cæteri quatuor ligatus fuit, omnesq; una uincti catena quæ circum postem ducebatur. Porrò carnifex cùm mandatũ à Iudicibus haberet, ut mortem eorum acceleraret, singulorum collo funem illigauit, ita ut quinq; illi funes reciderent in alium maiorem funem, qui trochleis uolubilibus uersabatur, ut hoc modo strangulando eos citius necaret. Itaq; carnifex, cùm adipe unxisset eorũ facies, sulphurq; ue atq; stramen circuniecisset, putabat se eo uersatili instrumento mortem eis celeriorem allaturum. sed funes ui ipsius ignis consumpti fuerunt ac quinq; Martyres exauditi, aliquandiu se inuicem huiusmodi uerbis cohortantes, Bono animo, fratres, bono animo. Quę fuerunt postremæ ipsorum uoces, in ipsa media flamma editæ atq; exauditæ, testes eius constantiæ ac fidei Christianę, quam pro nomine Iesu Christi usq; ad extremũ spiritum retinuerunt & conseruarunt.

Singularis inter fratres amoris significatio

Philippus pius Cattorum princeps 4. Sept. Anno 1552. ex diuturna captiuitate liberatus.

QVum Carolus Imperator post bellum Germanicũ quasi triumphasset, atq; Euangelij doctrinã per Conciliũ Tridentinũ abolere statuisset (noua forma Religionis, quã Interim uocarunt, tantisper publicata atq; statib. Imperij proposita) multi ex principib. Germaniæ sese huic eius conatui fortiter opposuere. Inter hos precipuus erat illustrissimus princeps Philippus, Hessię Landgrauius &c. Cùm enim ille principum quorundam intercessione 18 Iunij Anno 1547. Halam Saxonum ad Imperatorem uenisset ut ei reconciliaret, præter omnem expectationẽ apud Albanum principem post cœnam detentus atq; captus fuit. uidebatur enim is Euangelicorũ coriphæus, ut qui facilè eius hortatu cõtra Concilij Tridentini mũdiq; ue minas in cœpta ueritate perrecturi essent. Sic pius princeps cùm in Euangelij doctrina constanter perseueraret magnaq; patientia Christi sui liberationẽ expectaret, inter Hispanorũ custodias aliquãdiu hinc inde captiuus circunductus, & tandẽ Mechliniã in Brabantiã ad carcerem relegatus fuit. Interceſſerant quidem aliquoties multi principes & status Imperij pro eo apud Imperatorẽ: sed omnia frustra. Tandẽ uero

uero cum per quinq; annos plurimas ęrumnas senſiſſet, Dei miſericordia una cum Ioanne Friderico Saxoniæ duce liberatus atq; in auitas prouincias magna ſubditorum gratulatione 4. ſept. Anno 1552. reſtitutus fuit. Qui etiã Euangelij doctrinam purè retinendo, ad alioſq; ſumma induſtria propagare ſtudẽdo, gratũ ſeſe Deo ad hæc uſq; tempora exhibere conatur. Cum hic poſtea à Philippo Melanchtone rogaretur, ecquid in ijs anguſtijs cogitaſſet? reſpondiſſe fertur: ſeſe martyrum conſolationes diuinas probè percepiſſe, adeoq; impoſsibile ſibi fuiſſe tot ærumnas atq; miſerias perferre, niſi Verbo Dei & æternis promiſsionibus cõtra ſathanæ & mundi inſidias ſeſe munijſſet. Sic Dominus pro ſua bonitate nos uiſitare, & uiciſsim conſeruare, atq; ſæpius (ut in Iobo uidemus) cumulatioribus beneficijs afficere ſolet.

PETRVS BERGIERVS, urbis Geneuenſis incola Lugduni exuſtus in Maio Anno 1553.

Godiuell uulgo cognominabatur.

COniunctam habet cum ſuperioribus quinq; martyribus cauſam atq; hiſtoriam Petrus Bergierus, Barri natus oppido ad flumẽ Sequanam poſito: mercator annonarius atq; œnopola profeſsione. Is cùm Geneuæ habitaret, ſubinde Lugdunum, ubi aliquandiu artocreaticam artem exercuerat, cõmeabat atq; uxoris ſuæ parentes inuiſebat. Anno autẽ M.D.LII. cùm eſſet Lugduni in domo eius cuius ſororem in matrimonio habebat, captus eſt circiter quartum Maij diem quatriduo pòſt quàm illi quinque Scholaſtici capti fuiſſent. Is autem cùm eſſet in carcere, puriſsimam doctrinæ Filij Dei confeſsionem edidit, non ſolùm coram ludicibus ad quos productus fuit: ſed etiam ut erat ingenio alacri & uehemẽti, apud omnes qui ab eo rationem eius fidei diſciplinæq; Chriſtianæ, quã profitebatur, quæſiuerunt. Quin etiam cùm apud eos ludices ſæpius eandem doctrinam declaraſſet, qua omnia fidei ſuæ capita complectebatur, ad eam magis adhuc teſtificandam & confirmandam, manu ſua ſubſignauit confeſsionem, in ſuperiore quinq; Martyrum narratione poſitam, quandoquidẽ unam cum illis eandemq; Euangelij ac religionis cauſam confitendam & tuendam ſuſcepiſſet. Erat autem eodem tempore quidã latro Ioannes Chambonus in carcere, qui ferè ad deſperationem mortis metu adigebatur. Hunc uero diabolo mancipatum, & tantum nõ deſperationis uoragine abſorptũ Bergierus ſanctiſsimis ſuis exhortationibus ac precibus Chriſto Domino in uinculis fuit genuit. Id q; ex Epiſtola ipſius Ioannis, quã ad quinq; Scholaſticos, (qui ipſum ſcripto conſolati ſunt) dederat, quilibet facile poteſt cognoſcere. Hanc enim ſubijcere uoluimus, ut hiſtorię eius ſeriem & Dei miſericordiam intueri liceret.

FRatres chariſsimi, ac uerè Chriſtiani, primùm uobis omnibus ſalutem in Chriſto Ieſu exopto ac dico: quod ego iandiu quidem cupiebam facere, ſed uſq; ad hunc diem, nullam unquam ſcribendi facultatem habui: quãuis aliter facere cuperem, ſi ea optimi Patris noſtri cœleſtis eſſet uolũtas, ut ego uobiſcum coràm communicarem. Sed tamen uos rogo, ut hoc quod nunc per literas facio, tam uobis gratum ſit, quàm ſi coràm facerem, ac me ita uobiſcum conſolarer. Illud quidem uerè uobis ſignificare poſſum, me à quarto die Auguſti, quo de ueſtra captiuitate à Petro Bergiero fratre noſtro cum magno animi mei dolore certior ſum factus, nec ueſtri, nec illius in meis precibus, quas ad Deum interdiu noctuq; adhibeo, oblitum unquam fuiſſe: ſed memoriam quam debeo, uobis præſtare. Neq; ullus eſt cruciatus morbusq;, qui hanc ueſtri memoriam beneuolentiamq; impediat: nõ magis quàm eam, quam fratri meo debeo & præſto, qui propter maleficium à me commiſſum & perpetratum eſt in carcere, cùm eo in crimine planè ſit innocens, non minus quàm uos qui nihil huiuſmodi unquam admiſiſtis. Hæc autem iniuria ei facta, mihi plus doloris affert, quàm ullæ ærumnę, tormentorumq; acerbitates quas in his uin-

Chamboni frater ob delictũ fratris per ſuſpicionem etiã in carcere detinebatur.

culis

culis perfero. Atq; huius quidē rei totius Deus mihi testis esse potest. Sed gratias, fratres charissimi, uobis agere uolo pro ea epistola, quam ad me consolatoriam & planè Christianam scripsistis, ac per fratrem nostrū misistis: cùm ego huiusmodi studia & officia, quæ mihi defertis, nunquā promeruerim. Qua ex epistola ego tantam consolationem & lętitiam accepi, quantam nullis uerbis explicare possem. Itaq; cùm hoc uestrum in me officium atq; beneficium nullo sapientiæ studio aut alio beneficio compensare possim, & parem uobis gratiam referre: reliquū est, ut Deum benignissimum q; Patrem orem, ut Spiritu suo ita uos regat & gubernet, ut aduersus inimicos ueritatis, qui sunt nostri quoq;, uictores permaneatis, quemadmodum uos quidē desideratis, uel ut melius dicam, sicut uoluntas Dei, quę omnibus in rebus non potest non iusta bonaq; esse, constituit atq; decreuit. Si ego hæc uobis proponens & scribens, aliqua in re errem, uos rogo ut me admoneatis. neq; enim sum uobis sapientia illa cœlesti comparandus, ut qui ab incunabulis in uia sathanæ fuerim institutus à cæcis hominibus, qui adhuc uiuunt, à recta salutis uia semper deerrantes, quæ illis nunquam monstrata fuit. Neq; enim illi impostores, ac potius de grege porcorum quàm ordine sacerdotum homines, hūc pretiosum ueritatis thesaurum soluunt: sed potius clausum in obscuritate abdunt, incurrentes in illam Christi execrationem qua uæ ijs denuntiat, qui clauem scientiæ auferentes, ipsi nec introeunt, nec uolentes ingredi permittūt. Ita fit ut miser populus nec prima, nec media, nec postrema salutis intelligat. O si ego essem apud eos, ipsam ueritatem eis demonstrarem, nec ulla in re illis assentarer. Sed satis à me de huiusmodi rebus, quas uos quidē melius intelligitis quàm ego, quem imperitum ac fatuum in ijs existimare possetis. Nunc autem oportet ut ad uos etiam scribam de singulari gratia, quam Deus in me fratrem q; meum contulit, pro ea iniuria, quæ ei illata fuit. Is cæcus, id est, Dei ueritatis q; ipsius planè ignarus in carcerem Roanæ ingressus fuit, sed opera, studio ac diligentia Petri Bergieri fratris nostri institutus, per admirabilem Dei misericordiā salutari ueritatis luce illuminatus ex ipso carcere egredieť ac dimittet. Quod quidem ego pluris facio, quàm si ille totam copiam auri quod est in mundo adeptus esset. Qua quidem ex re ego maximam lætitiam atq; uoluptatem capio. Certè si Bergierus in his carceribus nihil aliud boni egisset, istud quidem quod in fratre meo egit, maximum est. Sed cùm multis alijs salutaria huiusmodi officia prętitit, tum uerò mihijpsi, quem maximis molestijs afflictum subleuauit ac recreauit, cùm literis uestris ad me missis, suauissimę cōsolationis plenis, tum etiam suis, unà cum libris ad consolationem meam accommodatis: adeò ut omnia officiorū genera mihi detulerit, facturumq; quoad posset, promiserit: sicut uos quoq; amanter humaniterq; obtulistis. quorum nomine maximas uobis gratias ago, Deumq; oro ut eorum gratiam cumulatissimè reddat. Sed in hac summa consolatione mea, maxima inest molestia, quam ex eo quòd frater meus, qui unà cum Bergiero cubare solebat, ab eo nūc disiunctus est, atq; ita discluſus, ut alter alterum amplius uidere nō possit. Itaq; frater meus ea re non mediocri dolore affectus est, quemadmodum suis mihi literis significauit: in quibus suam uestri memoriam, in suis precibus declarauit. Neq; uerò, fratres, silētio prętereire debeo tum ea beneficia, quibus Deus me in carcere affecit, tum etiā grauissima & corporis & animi tormenta, in quibus sum uersatus, priusquam uoluntatem Dei cognoscerem, meq; ei submitterem, ac libenter obtemperarem. Nam duobus primis mensibus, quibus in hanc fossam obscuram ac tetram sum demissus, huiusmodi uinculis ferreis compedibusq; constrictus fui, ut nullam me in partem uertere, nec die nec nocte dimouere planè possem: adeò ut necessaria naturę in eodem loco, in quo ita detinebar, sub me ipso reddenda essent. Itaq; in huiusmodi calamitate ac fœdita

P. Bergieri humanitas.

Carceris pœdor et miseria.

te prædoris, maledictionibus omnibus atq; execrationibus eos prosequebar, à quibus ita tractabar: etiam patrem ac matrem, quorum beneficio hanc lucẽ unquam aspexeram. Sed cùm ego ita clamarem, Dominus me non exaudiebat, sed meos dolores duplicabat. Accedebat etiam alia pœna, quæ acerbitate cætera omnia cruciamenta opprobriaq; superabat, quòd tanta uis pediculorũ in corpore extiterat, ut digitis duodenos in carne uesteqũe mea capere possem. Quam quidem pœnam ego sanè meritus fueram, etiã si nihil unquã in uita cõmisissem præter eas blasphemias, quas impiè in parentes meos, atq; ipsum Deum iaciebam. neq; enim hæc ratio probanda & adhibenda est, qua diabolum diabolo expellamus, aut incendium ita extinguamus, ut illud maius oleo copiose infuso accendamus. Sed Deus in his tantis meis miseriis misertus mei, me admonuit ac docuit non ita agendum esse. Nam cùm uiderem huiusmodi blasphemijs ac maledictis dolores cruciatuum meorũ in dies maiores fieri & acerbiores, mutaui planctus questusq; meos & rationem moderationemq; Christiano homine dignam adhibui, quæ mihi attulit maximam omnium malorum leuationem, ut recolligerem meipsum atq; recognoscerẽ, memoriãq; totius uitæ meæ præteritæ, in omni scelere impietateq; tractæ, repeterẽ, atq; omnia mea peccata & maleficia mihi proponerem, quæ magnitudine atq; atrocitate omnia, quibus grauissimè affligebar, tormenta superabant. Itaq; ad Deum cõuersus, meam miseriam deplorare cœpi, ueniamq; ab eo peccatorum meorum petere, ac orare, ut aliquam mei misericordiam caperet. hac autem mea in conuersione atq; precatione Dominus respexit me & exaudiuit, ita ut postea non mediocrem & animi consolationem & dolorum leuationem senserim, eamq; susceperim patientiam quæ me nunquam dereliquit. Præterea eodem ipso die cõpedibus, quibus arctissimè uinctus tenebar, solutus fui & liberatus. Pediculi uerò, quibus coopertus erã, à me omnes discesserunt, ut iam septem sint mẽses, ex quo ne unum quidem in corpore meo repererim aut senserim. Frigus quidem perexiguum sentio, quãuis nec lectũ, nec integumentum ullum præter pallium meum habeam. Quinetiam in ipso uictu quotidiano Dominus mei non est oblitus. nam antea quidem huiusmodi panem mihi præbebant, à quo, ut ministri carceris retulerũt, canes ipsi & equi abhorrebant: nunc uerò benignitate Dei, albus panis mihi tribuitur, portioq; obsoniorum duplo maior quàm antea dare consueuerant. Accedunt etiam nonnullæ eleemosinæ, quas Dominus pro sua gratia & beneficẽtia ad me mittit: ita ut nunc quidẽ hac in parte satis benè nutriar atq; reficiar. Sed nimiũ longa esset hæc mea epistola, si singula solatia & beneficia commemorare uobis uellem, quibus Dominus me afficit, qui nihil horum sum meritus, sed supplicia tormentaq; multò maiora quàm ferre possim. Itaq; maximas ei gratias ago cùm nomine istorum beneficiorum, tum etiam quòd me paternè & summa cum clementia lenitateq; in hoc misero mundo castiget: ne in altero ab eo damnatus peream. Si pœnæ quas nunc luo, sunt graues atq; acerbæ, peccata adhuc mea sunt huiusmodi, ut supplicia infinitis partib. grauiora eis debeantẽ. Itaq; has pœnas ego uirgasq; optimi Patris nõ aspernor ut alienas: sed summa cũ patiẽtia atq; æquitate animi amplector, Deiq; misericordiã potius admiror, quòd me tam benignè tractet. Quare ita animo paratus sum, ut patienter omnia sim susceperus ac passurus, quæ ipse imponere mihi uoluerit. Vos aũt magnoperè rogo ut ad me scribatis, quemadmodũ in ipsa morte, si condẽnatus fuero, me gerere debeam, ut ad eum diem paratus esse possim, eaq; dicere quæ tum ad gloriam Dei, tum ad salutem meam pertineant: hoc magnũ uestrum beneficium esse putabo. Ego me interea uestris precibus commẽdo, pro mutua beneuolentia et charitate quam in meis etiam uobis præsto. Si ego grauiter peccaui, sicut feci, illud quidem antè factum est quàm Dominus cognitionem

Refert Dei beneficia quæ post agnitã ueritatem in uictu et corpore sensit.

gnitionem sui ullam mihi impertiuisset. Ac maleficium illud propter quod in carcere nunc teneor, iam tres ab hinc annos totidemq; menses designatum à me est. Si uos aliquos habetis libros, eorum consolatione uelim me iuuetis. Eos simulatq; legero, reddã nostro fratri Petro Bergiero. Nulla mihi re alia opus est hoc quidem tempore: Deo gratias. Hæc autem sunt quę nunc ad uos scribere uolui. Pater omnis misericordiæ, ac Deus omnis patientiæ & consolationis consoletur uos, firmamq; patientiam in ista captiuitate uobis imperti at, uirtute Spiritus sui uos confirmans, ut constanter omnia ferre tolerareq́ue possitis quæ ipse uobis immittere uoluerit, per Iesum Christum Filium suum, Dominum nostrum, unicumq; Saluatorem: cui honos & gloria imperiumq; sempiternum, Amen, Amen. Si epistola mea incommodè, & cum molestia legitur, uos me in eo excusatum habebitis. neq; enim lucem habebam, nisi per exiguum foramen, quo manus tantùm transmitti posset: nec calamum, qui ad scribendum nihil ualet, parare possum. Hæc autem maiore cum molestia, metu, difficultateq́ue scripsi, quàm uos possetis credere: propterea quòd occultè mihi scribendum est. Nam ne aliquid omnino scriberem, mihi interdixerunt, papyrumq; atq; atramentum mihi ademerunt. Hæc autem maxima cum difficultate comparaui, neq; est ullus præter unum seruum conscius.

Vester humilis frater & amicus, Petrus Ioannes Chambonus, propter peccata sua captiuus, uos uerò propter ueritatem.

Atq; ut præstantissimus pietatis fructus perspiciatur, quem Bergierus Geneuę in ecclesia uerbo Dei emendata, optimeq; cõstituta ceperat, in qua uxorem & familiam habebat, nos unam eius epistolam hoc loco posuimus, quam is horam martyrij sui iam expectans, ad coniugem suam non minus prudenter quàm amanter ac fideliter misit, cùm eam captiuus multis alijs literis antè consolatus fuisset.

Gratia & pax tibi per Dominum nostrum Iesum Christum.

Etsi, charissima fidelissimaq; uxor, crebris iam literis ad te scriptis, quasi discedens ex ista uita te ualere iussi, quemadmodum quidem Deus signa nobis dabat non obscura eius suæ uoluntatis, qua nos ad se euocare uidebatur, inprimisq; honorem ac timorem Dei, ut propria chariorem uita tibi diligenter atque studiose commendaui: tamen cùm Dominus postea inimicorum cõsilia euerterit, nobisq; uitam præter omnem nostram opinionem atq; spem, ad aliquod tempus prorogauerit, & ad nouum deinde uocauerit certamen, ut sanctam ipsius ueritatem sanguine nostro ita obsignemus, ut nulla uis mũdi nos impedire possit, minimè superuacaneum sum arbitratus, ijsdem de rebus adhuc scribere, teq; rogare ut gloriam Dei omnium maximè commendatam & charam habeas, maioresq; in dies studeas in sancta eius cognitione progressus pietatis facere, quò eum integrè et castè colas, sanctissimumq; eius nomen optima ac modestissima uitæ morumq; ratione ornes atq; illustres. Vtere ijs rationibus & adiumentis, quæ tibi à Deo ad salutem, non ad condemnationẽ tribuuntur: in quibus intelligo inprimis uerbum Dei, quod tu quotidie audire potes maxima cum efficacia & puritate annuntiatum. deinde tot præclara exempla cùm optimorũ Deumq; timentium hominum, tum uerò tot lectissimarum atq; honestissimarum fœminarum, quas Dominus tibi ante oculos, quasi præclara quædam lumina & sanctæ uocationis suę doctrinæq́ue ornamenta constituit, eo in loco quem ipse omni bonorum ac solatiorum genere ornauit & cumulauit. Et quoniam Dominus nobis liberos dedit, cura ut in timore ipsius ac pietate instituantur, quò eius glorię aliquando seruire possint. Equidem cùm Dominus me ad suum nomen sanguine meo testificãdum uelit pro singulari sua gratia adhibere, eo iam onere solutus sum ac liberatus. Nunc onus totius eius piæ educatiõis atq; institutionis tibi incumbit. Quare

Duo salutis ãdnimicula.

da operam,ut ea in re officio fungaris tuo. Nulla melior aut præstantior hæreditas eis relinqui potest,quàm si à te ita piè educentur atq; instituantur,ut Deum unum inprimis metuant,uenerentur & colant. Tu quidem in ea cura,quẽ admodum debes,tuum officium studiumq; præstabis. Quod autem tui solatij proprium est,cùm Dominus me ad se uocauerit, te consolaberis in eo,in quo uno firmum uiduis pupillisq; præsidium est constitutum. Quòd si sentis in te à Deo tibi dari continentiæ donum, manebis in uiduitate tua, sequens illud consilium quod à Paulo pijs uiduis datum est. Nam hac quidem ratione maiorem commoditatem habebis ad meditandas res diuinas ac cœlestes, planè libera solutaq; ijs curis quibus homines coniuges distrahuntur atq; impediũtur,quo minus plenè ac perfectè Deo seruire possint. Atq; hæc quidem uitæ ratio, si continentiam adiunctam habeat,eo minus tibi est aspernanda, quòd Dei benignitate ea adhuc bona habeas, quibus te cũ liberis nostris facilè tueri possis. Quòd si non possis teipsam continere,tibi consulo ut cum alio uiro societatem coniugij coeas, modò nihil suscipias & facias nisi de sententia atq; authoritate parentum tuorum,aliorumq; amicorum qui ea in re non minus tibi,quàm sibi uellent consulere: atq; inprimis eam diligentiam curamq; adhibeas, ut ei uiro te coniungas, quicum in timore Domini piè ac sanctè uiuere possis. Vt autem liberi nostri perpetuam mei memoriam custodiãt,te magno perè rogo,ut recuperes omnes epistolas,tum eas quas ego ad uos scripsi,tum etiam illas quas alij ad me multas miserũt,quarum in hac urbe magnus est numerus apud fratrem tuum,quas omnes describendas atq; unum in librum referendas curabis. Deinde eas ita descriptas poteris cum cæteris hominibus fidelibus communicare atq; impertire, ut aliquis consolationis fructus ex illis ad Ecclesiam perueniat. Ego uerò hæc tibi eò uehementius commẽdo, quòd tempus dissolutionis nostræ magis quàm unquam appropinquare uidetur. Nam ut tu intellígas, quinq; fratres nostri Bernatum principum Scholastici die Lunæ, qui dies fuit 15 Maij hora nona matutina, alij post alios, ad Iudices producti fuerunt, quos ego postremus sequutus sum. Hoc autem Iudices eo consilio fecerunt, ut uiderent an nos apud ipsos respondere uellemus. Quibus nos omnes respondimus,eis iudicium in nos minimè competere,ipsos Iudices plane recusare,atq; ad eos appellare,ad quos iudicium pertineret. Tum Suppræfectus (quem Locumtenentem uocant) dixit se mandatum à Rege habere, ut de causa nostra iudicaret, ac de nobis decerneret, atque etiam multas literas ab eo missas: quas nobis ita ostendebat, ut tamen non legeret. Sed nos ac præcipuè quinq; Scholastici, ab ea impetratione atq; authoritate literarũ appellauimus,quasi eas falso intelligẽtię prętextu ac fauore Francisci Archiepiscopi Lugdunensis & Cardinalis Turnonij impetrassent, qui paucis pòst diebus in hanc urbem uenit, ut nos summo ignis supplicio afficiendos curet. Ne sim longior, Iudices multa & uaria cum unoquoq; nostrũm loquuti sunt,ut quisq; priuatim ac seorsim ad eos productus est. Sed nos omnes eã Dei gratiam atq; opem percepimus ac sensimus,ut nemo fuerit,qui nõ se mirabiliter confirmatum senserit. Equidem uere nõ possim dicere me à Deo derelictũ destitutũq; fuisse, sed ea uirtute Spiritus & cõstãtia firmatũ, quã summa tẽporis nostri necessitas postulabat,ac flagitabat. Frater quoq; Dymonetus ad carceres Archiepiscopi ductus fuit,et palã hęreticus ab Officiali declaratus. Et quãuis ab ea sententia appellauerit ut iniqua: tamen statim in hũc carcerẽ regium Roanam adductus est, ut eadem in causa & pœna nobiscũ esset. quæ res satis indicat appellationem eius non ualituram. Paulo pòst ad iudices productus, quemadmodum nos fuimus, non magis quàm cæteri os clausum habuit ut Deo gloriam daret: sed eam uirtutem in uerbo eius declarauit ac præstitit, ut non Officiales modò attonitos reddiderit, uerumetiam summo

Viduæ quo modo nubendum.

ſummo pudore affecerit concionatorem quendam monachum ex eorum ſecta qui Infumati à colore ueſtis quam gerunt, appellantur, qui hac quadrageſima in templo S. Crucis eſt concionatus, ea exiſtimatione atq; authoritate, ut imperiti homines eum probè adorent. Is tamen ita affectus planeq; confuſus ab eo Officialium conſeſſu diſceſsit, ut ne concluſiones quidem, quas aduerſus Dymonetum fratrem noſtrum confecerant, unquam ſignare uoluerit. De fratre noſtro Dionyſio Peloquino nihil planè ſcimus. Rumor eſt hac tota urbe ſparſus, nos ſequente hebdomade uitam noſtram ſupplicio ignis uſitato finituros, eodē ſimul die aut diuerſis diebus. ſed mihi credas uelim, nos eo ſermone nulloq; huiuſmodi terrore cōſternari, neq; animo ita debilitari ut eum deſpondeamus: ſed Deus nos ſua uirtute magis magisq; atq; in horas ſingulas confirmat, & admirabilem conſtantiam nobis dat, eamq; animi fiduciam, qua ipſum in nobis opus inſtitutum abſoluturum ſperamus & cōfidimus: ita ut ex eo Eccleſia maximum ædificationis & conſolationis fructum ſit perceptura. Nam is quidem pro gratia ſua facit, ut nos iam animo cernamus eum fructū, quem mors noſtra omnibus electis afferet: quæ nobis cogitatio non mediocrem conſolationem in his uinculis noſtris affert. Cæterùm hac poſtrema epiſtola iubēs te ac liberos noſtros ualere, Dominum oro ut uos in omni ſanctæ uoluntatis ſuæ obedientia retineat, & mihi uſq; ad extremum eam præſtet uoluntatem, & me ei in ſacrificium uoluntarium, maximeq; odoratum offeram, utq; tādem nos recolligat in illud ſuum regnum cœleſte, ubi nos alij alios inuitis ueritatis inimicis, cum maximo gaudio uiſuri ſumus. Cæteri omnes fratres idem & ſentiunt & dicunt, ſimulq; te rogamus, ut noſtro omnium nomine plurimum ſalutis fidelibus iſtius Eccleſiæ miniſtris dicas, & præterea cæteris fratribus ac ſororibus, qui propter coniunctam Euangelij cauſam in ſeipſis afflictiones noſtras ſentiunt. nunc quidem nos precibus eccleſiæ non commendamus, propterea quòd antequam has literas acceperis, ſperamus nos cū Domino futuros in illo cœtu ſanctorum ſpirituum perbeato, ubi nullis opus erit pro nobis precibus, cùm Dominus omnibus lachrymis abſterſis nos ſummis ac ſuauiſsimis gaudijs explebit. Tantùm hoc unū te rogamus, ut cùm Miniſtros noſtris uerbis ſalutaueris, eos noſtro mandato rogatuq; admoneas, ut ſimulatq; intellexerint gratiam, qua ſperamus Dominum in nos uſurum, ipſi cum tota eccleſia maximas ei pro tanto beneficio gratias agant. Quanquam ſciebamus id illos per ſe facturos, etiam ſi nihil ad te ſcripſiſſemus, id tamē tibi uoluimus mādare, ut tāta gratia Dei atq; ope omnibus cognita & prędicata, magis uniuerſa eccleſia ædificetur, & qui ſunt adhuc infirmi in fide ita confirmentur, ut totam in Deo uno ſalutis ſuæ fiduciam reponant, & fixam planè habeant. Eius gratia & pax ſit tecum. Hoc die Lunæ XV. Maij. M.D.LIII.

Infumatus concionator.

Fructus ex nece Martyrum.

Petrus igitur Bergierus cùm ſententiam capitalem contra ſe pronūtiatam accepiſſet, eductus eſt è carcere, uultu tranquilliore ac lætiore quàm unquam antea in eo uiſus fuiſſet, adeo ut multi qui eum antè cognouerant, eum ita cōpoſitum lætumq; intuentes ſumma admiratione afficerentur. Prius autem quàm currum conſcenderet, à ludice familiarem in modum petijt ut unam ſibi gratiam impertiret. Quem cùm ludex reiecisſet: Tu quidem, domine, inquit Petrus, hoc unum mihi cōcedes, ut mihi liceat dicere meum Pater & meum Credo, utens huiuſmodi uerbis quæ in uſum quotidianum ac uulgarem recepta ſunt. Cui ille, Dic ſi uolueris, ſed inter eundum. Ego uerò, inquit Petrus, maximas tibi domine gratias ago, ac meas pro te ad Deum preces promitto. Tum ſatellites, qui ibi aderant, eum irridentes, Sanè, inquiunt, tuis precibus ualdè opus habet. Cùm autem currui impoſitus fuiſſet, petebat ab omnibus ut ſibi ignoſcerent, omnibusq; ipſe ignoſcebat. Ac in ipſa uia præteriēs unumquemq; iubebat ualere ea uultus hilaritate & oris modeſtia, quam pau-

Bergieri in morte alacritas.

lo antè ſignificauimus, ab omnibus poſtulans ut pro ſe Deum orarent. Porrò inter cæteros ex turba fuit quidam ſenex ſacerdos Italus, qui eum prætereuntem, huiuſmodi uerbis eſt proſecutus: Hodie tua in inferno commoratio erit. Cui Petrus, Dominus, inquit, tibi ignoſcat. Ad plateam uerò illã, quę ad Rhodanum uſq; producta & complanata, uulgò Territorium appellatur, cùm uenit, magna uoce exclamauit, O copioſam atq; ingentem meſſem: bonos, Domine, operarios mitte. Deinde cùm paratam ad ſupplicium ſtruem lignorum aſcendiſſet, & cauſam quam tuebatur declaraſſet, coniunctam cum fidei ſuæ confeſsione, quaſi exultans, ſummaq; Spiritus lętitia ſeipſum efferens, magna cum exclamatione & clariſsima uoce dixit: Quàm ſuaue, ô Domine, atq; amabile eſt nomen tuum. Poſtea cùm carnifex alligaret eum, ac ſicut cæteros martyres, ſublimem attolleret, Petrus ſe totum in fidem Dei permittens & tradẽs, Domine, inquit, ego tibi commendo animam meam: eademqúe uerba repetiuit ſæpius. Deniq; intuens in cœlum intentis ac defixis oculis uultuqúe immobili exclamauit: Ego hodie cœlos apertos uideo. Id autem cùm multi ex turba non intelligerent eum oculis fidei atque ſpiritus uidere, conuexum cœlum ſuſpiciebant. Poſtea ſtatim uir pius placidiſsimè moriens, ſpiritum Domino ſuum reddidit.

Sacerdotis dira imprecatio.

GALEAZIVS TRECIVS nobilis Inſuber in oppido Laude Pompeia, Mediolanenſium ditionis, uiuus exuſtus 24. Nouemb. 1551.

Galeazij conuerſio.

ANgeli fanum, quod Santangelum uocant, caſtellum eſt Inſubriũ, ad Lãbrum amnem non procul à Laude Pompeia ſitum: ad cuius etiam diœceſim pertinet. In eo caſtello erat Galeazius cognomento Tretius, uir honeſtus & locuples, & ſuis ob raram quandam bonitatem, & erga pauperes miſericordiam charus. Ad id caſtellum Monachorum collegium eſt, eorum qui ſe Aurelij Auguſtini inſtitutum ſequi profitentur. Cùm autẽ tunc temporis Ticini, quæ urbs Papia dicitur, Auguſtinus Maianardus uir uita & doctrina inſignis, & ipſe Auguſtinianus cõmoraretur, & nonnunquã ad iſtos Monachos uentitaret, factũ eſt, ut & ex monachis unus et alter, item ex oppido aliqui (eo in priuatis colloquijs & publicis concionibus docente) Veritatẽ Euãgelij inciperent deguſtare, & à ſuperſtitione Pontificia abhorrere. Contigit etiam ut & Galeazius, quẽ iam Chriſtus ad hoc deſignarat, hæc audiens, ad cognoſcẽdam ueritatẽ excitaretur: itaq; cum ſororis ſuę uiro, qui unus ex ijs erat quorũmentẽ Chriſtus illuſtrauerat, interdum etiam cũ monachis illis, ſermones cõferebat: ſed ita tamen ut nonnihil repugnare uideretur: nec prorſus eorum dictis fidem habere. Sed Deus qui cõuerſionum omnium habet tẽpora cõſtituta, effecit, ut Cælius Secundus Curio, qui tum Ticini humanas literas publicè docebat, uim tempeſtatis in ſe ob religionem excitatæ declinãs, ad Angeli fanum ſeſe reciperet: quem cùm Galeazius humaniſsimè acciperet, ab eo eſt de tota religione pleniſsimè edoctus: quo etiam aduerſariorum furori cedẽte & abeunte, Galeazius, ut fidem & profeſsionem ſuam factis teſtaretur, Cælij filium ſemeſtrem infantem, nomine Lactantium educandum ſuſcepit: quem etiam poſt (nam liberis ipſe carebat) adoptauit. Pòſt autem, cùm in dies cœleſtis illa flamma magis & magis in ſancti uiri pectore creſceret, eaq; ſermone & benefactis latè colluceret, homines tenebris aſſuetos, uehementer commouit.

Galeazius captus.

Itaq; menſe Iulio anno Chriſti Domini 1551 Laude Pompeia miſsi ſunt, qui eum uinctum abducerent: ibi cuſtodiæ in Epiſcopi curia traditus, & compedibus concluſus fuit: in quo nihil ubi cubaret, præter ſaccum ſtramine refertum, unquam habuit. Nam cùm domo culcitram uxor cum linteis miſiſſet, ea ſacrifici alijq; cuſtodes ipſi retenta inter ſe diuiſerunt. Aliquot dies poſt, quibus

hæc

hæc à Pontifice demandata prouincia est, certis propositis capitibus, eum interrogare de fide & religione cœperunt: id quod ter (pro more) factum est: quibus homo Dei Galeazius ita respõdit, sic fidei suæ rationẽ reddidit, ut qui id agebant, uiri alioqui doctissimi, hominis in respõdendo uim, cõstantiamq; admirarentur. qua re intellecta cognati eius & amici ueritatis ignari: itemque tepidi quidam fratres, & eiusdem religionis gnari, commune periculum ueriti, eum adierunt, atq; ex una parte commodis, si modò in quibusdam pontificijs decretis acquiescceret, ostensis: ex altera incommodis, ignominia, morte commonstratis, eò bonum uirum adduxerunt, ut uerbo quædam Pontificis dogmata comprobaret. Verum enimuero, clemẽtissimus ille pater cœlestis, qui neminem e suis perire patitur, illico eum erroris sui pœnitere fecit. Nam Petrum Apostolum, & Cyprianum martyrem imitatus, mœrere, flere, atque peccatum suum detestari cœpit: id quod & fratres quidam, qui ad eum uenerunt, & rei exitus testatur. Cùm enim ad eum uenissent, inuenerunt miserè lachrymantem: ac cùm existimarent id ex carceris tædio, fortunarumque iactura fieri, ei morbo remedia ex diuinis oraculis adhibebant: sed sanctus uir respondit, se per Dei gratiam, nullo iam rerum terrenarum amore teneri: quòd autem lugeret, eam esse causſam, quòd suasionibus quorundam non bonis, errores Pontificios quosdam approbando, acquieuisset. Quo audito, uerso stylo, eum consolati sunt: hortatique, ut ea denuò detestaretur, & ueritatem uel ad mortem usque palàm confiteretur. Quòd si faceret, nihil ei priorem errorem nociturum, sed ad maiorem cautionem, Deique gloriam profuturum. Hicuir sanctus affirmauit, se nihil aliud expectare quàm occasionem sibi dari ueritatis testificandæ: quod quidem apertius & plenius esset quàm unquã antea facturus. Et addebat se nunquam tali gaudio lætitiaque perfusum esse, quàm cùm antea bis ter ue interrogatus & inquisitus, de ueritate fideque sua esset confessus: contraque nullum maiorem dolorem per omnem uitam sensisse, quàm tunc ex dissimulata ueritate sentiret. Quin & illud fratribus illis confirmabat, longè sibi gratiorem esse mortem ex cõfessione ueritatis, quàm uitam & libertatem ex minima uel negatione, uel dissimulatione. Quo sermone, noua quadam lætitia fratres illos affecit, cùm tantam in sancto martyre constantiam, tantamque uim spiritus animaduerterent. Ac post multum sermonem, quum iam abeundum eis esse custodes monuissent, ille porrecta manu, rogauit, Deum orarent sibi spiritum constantiamque animi augeret, ad intrepidè ueritatem confitendam: quod quidem sine dubio speraret eum esse facturum. Attulerant fratres librum parua admodum forma, quod Nouum Domini nostri Iesu Christi Testamentum appellatur, ut ipsi relinquerent, uerùm ille renuit: affirmans se digito Dei in corde exaratum habere quic quid illis chartis contineretur: in quo ea omnia legeret, quæ Dominus suis euentura prædixerat: quę quidem ipsi Domino prius, deinde eis Apostolis accidissent: ex quibus ipse satis intelligeret se unum è Christi membris esse. Hęc atque alia ultro citroque inter ipsos dicta fuere: plura dicturi, nisi (ut dixi) carceris custos uetuisset. Nam mutuis istis colloquijs miro quodam utrique gaudio afficiebantur: qui etiam nobis retulerunt, se libenter illic sine cibo & potu diem illum & sequentem noctem, si licuisset, fuisse mansuros. Eo igitur ita relicto, cùm ille dies & noctes totus in precibus esset, occasionemque sibi, quæ malè concesserat, retractandi, dari percuperet, accidit ut ad eum quæsitores, & sacrifici uenirent, ut quæ concesserat, confirmaret: tunc ille ea uera esse negare: Christum ut prius, atque etiam liberius & plenius confiteri: simulacra detestari: solum Deum spiritu & ueritate colendum, & inuocandum: unum Christum mediatorem, ac deprecatorem nostrum esse: Christum omnes omnium credentium peccata pœnasque morte luisse

Constãtia martyris.

ſua: qui hinc hac fide & ſpe diſcederent, eos beatos futuros: qui ſecus, eos ſempiternos cruciatus mortemq; manere: atque id genus alia, quibus Romani Pontificis dogmata prorſus euertuntur apertè confiteri. Hac præclara confeſsione audita, qua prior ille error, ualidè corrigebatur, atque abolebatur, Galeazius, non modò priſtinæ animi lætitiæ eſt reſtitutus, uerùm etiam longè puriore maioreq; gaudio affectus: contra illi, qui paulo antè de uictoria iam triumphabant, mœſti ac frementes abierunt: ac paucis poſt diebus, cùm illum in ea confeſsione perſtare, nec ulla ratione ab ea diuelli poſſe uiderent, ſanctum uirum rerum capitalium iudicibus, condemnandum tradiderunt: à quibus lata ſententia eſt, ut uiuus & uidens flammas necaretur. Itaque anno Domini M.D.LI. die XXIIII Nouembris, è carcere Martyr Galeazius in ipſo diluculo eductus eſt in urbis celeberrimũ forum, ubi erat ei parata pyra: ibiq; ad palum uinctus in meridiem uſq; relictus eſt, ludibrio interea omnibus futurus. Exiſtimabant enim hac ratione fieri poſſe, ut aut terrore præſentis ſupplicij, aut pudore & mora uictus, palinodiam caneret. Nec defuerunt ſtimuli: Nam ut in tanta hominum turba fieri ſolet, uarij uaria tractabant. Erant qui eo audiente dictitarent, miram eſſe hominis ſtultitiam, qui uitam decem uerbis redimere cùm poſſet, mallet tanto cum dedecore flammis abſumi. Aderant etiam nobiles non pauci, quibus bene notus erat, utpote & ipſe nobilis: Hi ſatis mirari non poterant, talem uirum propter quaſdam, ut ipſis uidebatur, opiniones, exuri malle, quàm eas opiniones abiurare. Itaque eum multis hortabantur, neſe, & ſuam familiam tanto cum probro & ignominia perderet: ne uxorẽ fœminam lectiſsimã, quæ ei ſemper chariſsima fuiſſet, tãto mœrore afficeret, atq; in uitę diſcrimen adduceret: ne tantas fortunas, poſſeſsiones tam amplas negligeret: quę niſi reſipiſceret, omnia fiſco adiudicaturi: ne amicos quos haberet chariſsimos, ſuamq; patriã deſerere, ac demũ, ne animã ſuã tam obſtinatè uellet perdere. His atq; aliis tanq; arietib. et machinis, ſancti uiri animũ expugnare conabant. Quibus ille reſpõdebat, ſe iam neq; uulgares Iſtos honores morari, neq; caduca et fragilia bona, neq; uxorẽ, quãuis illã amaret, uerũ nõ ſupra Deũ, q̃ ſupra omnia amãdus eſſet, omnibusq; anteponẽdus.

Galeazius ludibrio poſt condemnationẽ expoſitus.

Quod autem ad poſſeſsiones attinet, & amicos, & patriam, ſe hæc omnia habere in cœlis & regno Dei: quę nulla ui ſibi eripi poſſent. Hæc uerò caduca aiebat ſe illis ipſis, qui ea admirarentur, libenter relinquere: ſe uerò uno Chriſto, in quo omnia poſsideret, eſſe contentum. nec eſſe quod ab eo aliam palinodiam expectarent: quoniam quæ dixerit, uera eſſent omnia. Si quis autem deciperetur, aut erraret, ſuo id malo faceret. Fuerunt qui ei opponerent, uxoris periculum, ac dicerent, fore ut ipſa quoque eius cauſa, eandem pœnam ſuſtineret, quod eius errores & ipſa ſequuta eſſet. Ad hoc ille reſpondebat, nihil ipſam tale commeritam eſſe, utpote quæ Deo primùm, deinde marito obſequuta eſſet. abundè id ſibi uideri, quod in ſe uno ſuum crudelem furorem explerent. Itaque quod facturi eſſent, id maturarent, neque diutius differrent, quaſi differendo eius eſſent animum fracturi, aut expugnaturi: ſe in ea fide uelle omnino mori. Hæc atque alia tum ab ipſo tum ab ijs qui aſtabant, ultro citróque dicta fuere, quæ longum eſſet recenſere. Illi autem cùm uiderent ſe fruſtra omnia experiri, ac fieri potius ut plerique eius conſtantia animaduerſa, commouerentur, incendi ac tum ligna iuſsêre: quæ cùm arida & ad ſubitam incenſionem parata eſſent, flammam ilico concepere, citoq; S. Chriſti martyrem extinxere. Audita tamen eſt eius è flammis uox, Domine Ieſu. Nam cætera uel audiri non potuerunt, uel ab ipſo pronunciari. Atque ita ſanctus martyr, ad Chriſtum, cui ſe mancipauerat, momento euolauit. Duo antequam finem huic narrationi imponam, memoriæ mandanda eſſe duxi: Quorum alterum eſt, quod antequam igni traderetur, cùm audiret

Martyrij modus.

inter

inter Episcopi ministros, & ciuitatis prætorem, de lignis persoluendis controuersiã exortã, dum neutri ad se id pertinere uellent, Galeazius iussit eos bono animo esse, neque de re tam parua disceptare, se quanti quanti ea ligna æstimarentur, mandaturum suis id bona fide persoluerent. Atq; hoc pacto litem inter eos tanquam arbiter honorarius diremit. Alterum, quod dum in carcere esset, quidam ab eius uxore non contemnendã pecuniæ summam emunxerunt, quam dicebant, Pæfecti Mediolanensium uxori (is erat Ferrandus Gonzaga) esse donandam, ut illa tum à marito, tum à Senatu sibi uitam Galeazij condonari peteret: Id quod essent proculdubio facturi. Atq; ita bonæ fœminæ, quæ uitam pro uiro suo libenter nedum pecuniam impendisset, imposuerunt. Sed Deo sit laus & gratiarum actio per Iesum Christum, qui seruo suo eum spiritum dedit, eamq; constantiam, ut pro eius nomine uiuus exuri non exhorresceret. Hæc ex Cælio artis oratoriæ in Academia Basilienſi professore doctissimo, eo ordine quo enarrata sunt, nobis fuere exposita.

Anglorum calamitas.

Anno 1553. mense Iulio, magna piorum persecutio in Anglia orta est: cùm enim Eduardus Rex, optimæ spei adolescens mortuus esset, atq; Maria soror tandẽ successisset, restituta fuit (mediãte Polo Cardinale) Romanorũ religio. hãc uerò cùm multi superstitiosam assererent atq; potius extrema pati, quàm eam amplecti desiderarẽt, factum est ut hinc inde plurimi martyres in Anglia fierent, quos Ioannes Foxus in prima parte copiosè & ordine recensuit, ad quem lectorem hoc loco remittimus. Sleid. lib. 25.

DIONYSIVS PELOQVINVS exustus Eleuteropoli 11. Sept. an. 1553.

AMplissima Dei dona atque ornamenta, quibus miseros homines afficit: tantam uirtutem & constantiam quam Dominus suis impertit, hunc honorem tribuẽs, ut ad tribunalia iudiciáque hominum eos producat, atque testes, procuratores ac defensores ueritatis suæ constituat, quis satis mirari possit? Hic est Dionysius Peloquinus, generis ac nominis familiæ suæ secundus, in quem Deus hanc summam gratiam & dignitatem contulit. Nam aliquo antè tempore frater huius Stephanus Peloquinus eam crucis uiam ingressus, quam filius Dei ac Dominus gloriæ in carne sua consecrauit, fratremq; in ea præcedens, eò usque progressus est, ut pro sanctissimo Filij Dei nomine crematus, lentoq; igne constantissime consumptus, præclara martyrij insignia Lutetiæ adeptus fuerit: de quo supra mentio est habita, cùm de Annę Audebertæ martyrio ageretur. Hoc fraternum religionis studium illustreq; exemplum Dionysius Peloquinus imitatus, cùm Geneuæ in ecclesia piè modestéque uixisset, fuit captus Eleutheropoli, quæ urbs sex milliaria Lugduno abest, XIX, die Octob. anni M.D.LII. cuius præclara confessio sequitur, coniuncta cum ijs actionibus, quæ iudicialiter in eum tum Lugduni, tum Eleutheropoli, in qua tandem fuit combustus, constitutæ fuerunt.

Epistola Peloquini ad quendam ipsius amicum missa:

CVm ego memoria repeto eam offensionem, quam tibi carcer & mors Stephani optimi fratris mei attulit, uerens etiam ne similis casus meus, qui in eodem uersor certamine atque discrimine, eodem modo animũ perturbet tuum, existimaui non alienũ ab officio meo futurũ, si causam tibi demonstrarem eam, propter quã & ille tam constanter mortẽ oblatã susceperit ac pertulit, & ego summa patiẽtia atq; animi æquitate fero eas molestias atq; ærumnas quib. Deus nunc me ꝓbat, expectans eum exitũ atq; euentũ qui Deo authori uocationis meę uidebitur. Hoc eò facio libẽtius, quòd eam scribendi ad amicos commoditatem ac facultatem habeo, quæ fratri meo defuit. Ac primùm ut omne offendiculũ tollatur, illud te scire oportet, nihil fieri in hac uita nostra, nec quicq; nobis euenire sine prouidẽtia Dei nostri & uoluntate: neq; uerò homines ullam in nos habere potestatẽ, nisi eam quã Deus illis tribuit, ac tan-

ac tantũm quidem quantum permittit & concedit. Is autem huiuſmodi curam noſtri habet: ut ne pilus quidem capitis noſtri ſine eius uoluntate caſurus ſit. Præterea nos non patimur ut homines facinoroſi ac malefici, ut homicidę, latrones, fures atq; bonorum alienorum appetentes, ſed ut Chriſtiani, quemadmodum facilè cognoſcere poteris, cùm ex ijs quæ aduerſarij ex me quęſiuerunt, tum uerò ex ijs quæ ego eis reſpondi.

Peloquini confeßio fidei iudicialiter ad interrogationes iudiciales facta

Primùm igitur ex me quæſiuerunt, num crederem Miſſam eſſe bonam ac dignam quæ audiretur. Quibus ego reſpõdi, me credere eam ſacrificium eſſe ab hominibus inuentum atq; inſtitutum cum maximo cõtemptu glorię Dei, ad abolendam mortis Chriſti memoriam magnoperè accommodatum, propterea quòd id ei attribuitur quod ad ſanguinem Ieſu Chriſti pertinet, pro ſatisfactione, purgatione ac remiſsione noſtrorum peccatorum effuſum. Itaq; Miſſam ſtatuo idololatriam eſſe deteſtandã, quã oẽs Chriſtiani euitare debẽt, niſi uelint in ſummam Dei offenſionem atq; indignationem incurrere.

Interrogatus deinde ab ijs, an ſanctum altaris ſacramentum crederem, reſpondi, non eo quidem modo quo Papa illud inſtituit, ſed Sacramẽtum ſacro ſanctæ Cœnæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut eſt ab eo inſtitutum, atq; in Scriptura declaratum, pręcipueq; ac luculenter. 1. Corinth. 9. c. Quòd nimirum in Cœna panem ac uinum accipientes de manu ipſius miniſtri, uerè corporis ac ſanguinis Domini participes efficimur. Neq; uerò minus quàm noſtra corpora quotidiano uictu aluntur & ſuſtentantur, animæ noſtræ eo ſaluberrimo paſtu carnis & ſanguinis Domini noſtri nutriuntur, fouentur, confirmantur. atque ea uerè manducamus, non quidem ore ac uẽtre, ſed ſpiritu & fide, quæ nihil craſſum, terrenum, caducumq; in eo myſterio quærit aut percipit. Itaq; nihil eſt opus ut ad eum cibum ſpiritualem capiendum, Chriſtus de cœlo in terram ad nos deſcendat, aut noſtros oculos in pane & uino ſolùm defixos habeamus: ſed potius ut mentes animosq; noſtros in cœlum attollamus, & Chriſtum ad dexteram Dei ſedentem fide contemplemur, quemadmodũ eum ibi eſſe, nec inde ante iudicium reuerſurum in ſymbolo fidei noſtræ confitemur, confirmati teſtimonio Angelorum, Act. 1. cap. Quare illam tranſſubſtantiationem quam Papiſtę excogitarunt, planè repudio, credoq; panem ac uinũ ſuã naturam retinere, abſq; ulla mutatione & conuerſione in corpus & ſanguinẽ Domini. Quanquam de pane eo & uino quæ in Cœna adhibentur & conſecrantur ita ſentio, ut à communi cibo ac potu multum differre dicam, cùm ipſo uſu, tum etiam ui promiſsionum ad quas confirmandas atq; ante oculos cõſtituendas hæc ſymbola proponuntur.

Confeßio auricularis.

Interrogatus etiam, num peccata ad aurem ſacerdotis eſſent cõfitenda. negaui, eamq; confeſsionem à Deo minimè traditã & præceptam eſſe dixi: quoniam huiuſmodi peccatorum confeſsio fieret homini, qui nullam habet poteſtatem peccata remittendi: ſed hoc ad unum Deum, quem offendimus pertinet. Tum mihi illum locum Diui Iacobi allegarunt, in quo fideles admonentur ut alij alijs peccata ſua delicta q; confiteantur. Quibus ego reſpondi, illud præceptum atq; admonitum Iacobi ad hanc auricularem confeſsionem non eſſe referendum, ſed ad fraternam reconciliationem, qua mutuæ offenſiones peccatis amanter humaniterq; condonatis deponũtur: alioqui ſi ille locus de iſta inſuſurratione in aurem facta intelligendus eſſet, oporteret ſacerdotem, cùm mulierem ei peccata confitentẽ audit, ſua uiciſsim illi confiteri. Præterea hæc cõfeſsio tyrãnis quædã eſt diabolica, & teterrima animarũ carnificina, propterea q; in ea requiritur peccatorũ omniũ enumeratio, q; à nemine, ne à iuſtiſſimo quidẽ pſtari poteſt, quẽadmodũ uidemus Dauidẽ, q; integritate uitę erat quaſi qdã Angelus, petere tamẽ à Deo, ut ab occultis peccatis ipſum purget. quare ego ſtatuo peccata nõ hominib. ſed uni Deo quẽ offendimus, cõfitẽda eſſe,

esse, non diebus modò, sed etiam horis singulis, si fieri potest, sicut uidemus à patriarchis & prophetis cæterisq; hominibus pijs factitatum.

Illud etiam ex me quæsitum est, num credere purgatorium esse, ubi animæ post excessum ex hac uita paterentur, & num pro ijs esset orandum. Ad quod ego respõdi, me non credere aut statuere ullum aliud purgatorium esse quàm Iesu Christi sanguinem, qui ut testatur Ioannes, omnia uitia nostra & peccata eluit. Præterea Scriptura sacra duplicem tantùm animarum cursum, unum in paradisum, quo pij proficiscuntur, alterum in infernum, impijs hominibus ac reprobis comparatum statuit. Hoc autem facilè intelligere possumus ex eo quod dictum est Ioannis. III. capite: Qui credit in filium Dei non condemnabitur: qui uerò non credit, iam condemnatus est. Preces uerò pro mortuis facere, Missasq; celebrare & aquam aspergere lustralem: dixi eis in eo non solùm operam perdi, uerum etiam impiam Dei blasphemiam & contumeliam Christi constitui: propterea quòd de eo nihil est præceptum uerbo Dei, sed etiam contra omne uerbũ à fallacibus spiritibus inuentũ atq; introductũ. Hic illi quidem, mihi aliqua nescio quæ nugamenta alligarunt, sed minimè digna quæ à nobis commemorentur. Postea quæsiuerunt ex me quid de uirgine Maria sentirem, quibus respondi me quidem eam credere matrem esse Iesu Christi secundum carnem, eumq́ue peperisse uirginem, sicut nos in symbolo fidei nostræ confitemur. simul etiam omnium fœminarum esse beatissimam, quemadmodum Spiritus sanctus de ea testatur. sed adorare eam atque in necessitatibus nostris inuocare: reginam cœli, aduocatam atque patronam appellare, aliaq́ue huiusmodi ei tribuere, credo ac iudico his rebus eam non modò non honorari, sed potius uituperari, contumelioſè atque indignè ab hominibus tractari. Nec enim illa uult aut uoluit unquam eum honorem qui ad solum Iesum Christum pertinet, ei à Patre uni datus, rapere atq; ad se transferre: sed contrà, nos ad illum mittit, ut nos ei obediamus, & ea faciamus quæ nobis ipse mandauerit, Ioannis secundo capite. Quare ij contumelioſi in Deum sunt, eumq́ue magnopere offendunt, qui Mariam uirginem adorant, uenerantur, inuocant, aut alios Sanctos & Sanctas, cùm nihil de eorum cultu in Scriptura sancta à Deo præceptum sit: sed contrà, ut unum Deum adoremus & colamus, oremus atque inuocemus per nomen unius Iesu Christi, qui à Deo Patre aduocatus mediatorq́ue inter nos & Deum est constitutus. Porrò uera ratio, qua uirginem Mariam & cæteros Sanctos honorare possimus, hæc est optima & præstantissima, ut piæ ac sanctæ uitæ eorum exemplum nobis imitandum proponamus, in eo quidem, quòd Iesum Christum Dominũ sequutæ sint, sicut Paulus monet primo Cor. decimo. De imaginibus uerò ac simulachris, quibus Deum Sanctosq; effingunt, dixi in eo superstitionem esse detestabilem à Deo uehementissimè damnatam, quemadmodum in secundo legis præcepto satis constat. Scimus etiam Deum maledicere tum imaginem, tum eius effectorem atque artificem, sicut ex Psalmo CXV. satis notum est.

Purgatorium.

De uirgine Maria.

De Papa etiam quæsiuerunt an non crederem illũ caput esse Ecclesiæ, quibus respondi me longè secus de eo sentire, ac credere eum uerũ esse Antichristum qui aduersus Deum se extollit: ac quodammodo & numen & nomen Dei sibi tribuit. Denique dixi me credere illum esse sceleratum ac filium perditum, de quo Paulus ad Thessalonicenses secundo capite loquitur. Postremò eam ecclesiã cuius Papa caput esset, uerã non esse Ecclesiã, cùm ueræ Ecclesiæ notæ, ut prædicatio uerbi Dei & legitima Sacramentorum administratio, nullæ in ea, ne uestigia quidem Ecclesiæ appareant.

Papa an sit caput Ecclesiæ.

Atque hæc quidem sunt, quæ illi ex me quæsiuerunt Eleutheropoli: quæ nunc uilla Franca uulgò appellatur. & ego illis respondi. Postea autem cùm

Lugdu-

Lugdunum deductus essem, Inquisitor & Officialis alijq́ue ea mihi legerunt, quæsiueruntq́ue à me, uellem'ne in ijs erroribus, quemadmodum appellabãt, permanere. Quibus ego respondi, me quidem id cupere, Deumq́ue quotidie orare, ut mihi eam constantiam ac perseuerantiam impertiret, cùm eam gratiam iam impertierit, ut ex Scriptura sancta cognouerim quid sit ueritas, & in quo fides mea sit constituenda & fundanda. Tum inquisitor me rogauit quid Scripturam sanctam appellarem. Cui ego respõdi, eam esse ueritatem certam & perfectã, quæ nullo modo potest fallere, quæ in ueteri ac nouo Testamento continetur, ad quam nefas est quicquam addere aut demere, in qua etiam nihil est planè prætermissum eorum omnium, quæ ad salutem nostram pertinent. itaq; statuo eam unam religionis Christianæ normam esse. Inquisitor au tẽ eo responso ualde conturbatus, magnaq́ue molestia affectus: Quis, inquit, tibi dixit eam esse Scripturam sanctam: & quomodo id scire potes, nisi ecclesia te de eo certũ reddiderit? Ego autem optimè sciebã eum intelligere Papæ ecclesiam. Itaq; ei respondi, ecclesiam non esse, quę mihi id persuaderet, sed solum Spiritum sanctum, qui mihi uerissimum ac certissimũ in conscientia mea testimonium redderet, ita ut cupiam uiuere & mori in eius obedientia. quæ quidem, inquã, authoritatem suam à ueteri Ecclesia nõ accipit. Nam hoc quidem esset præposterè atq; peruerse ordinem inuertere: quum Ecclesia potius sit fundata in doctrina Prophetarum atque Apostolorum Domini nostri Iesu Christi, sicut Paulus secundo capite ad Ephesios testatur. Porrò cùm illi intellexissent me monachatum abominabilem aliquando professum esse, quæsiuerunt ex me, quid me commouerit ut illud uitæ institutum reliquerim. Quibus ego respondi, gratiam Dei fuisse, eamq́ue fecisse ut illud genus uitæ impium esse cognouerim ac deposuerim, ut à uerbo eius maximoperè alienum, ab hominibus tantùm inuẽtum: quod qui profitentur, operibus nescio quibus, Legi quidem Dei planè repugnantibus, paradisum mereri uolunt. De uotis interrogatus, num ea reddenda essent ac seruanda, respondi ea quidẽ quæ Deo aut hominibus ex uerbo Dei nuncupata sunt: ea uerò quæ sine uerbo, aut etiam contra uerbum facta & suscepta sunt, minimè præstanda esse, neq; hominem obstringere atq; impedire, quò minus ea suscepta, piè & sanctè possit omittere. Interrogatus autem cur uxorem duxissem, cùm ego castitatem antè uouissem. respondi castitatem donum Dei esse singulare, sicut satis constat ex Matth. xix. cap. quod quidem omnibus monachis minimè cõcessum est, quẽadmodum experientia & consuetudo impudicæ ac flagitiosæ uitæ ipsorum nimium ostẽdit. Me autem, cùm animaduerterem ac sentirem huiusmodi gratia Dei ac uirtute non esse prędituṁ, confugisse ad remedium, id est, ad coniugium, ut libidinem impudicam euitarem, atque ita mandatum Dei sequutum esse, scientem quidem, quòd nec adulteri, nec scortatores, nec cinædi, impuriq́ue huiusmodi homines unquam in regnum cœlorum ingredientur. Prætea cõiugium est perhonoratum, & cubile nulla macula aspersum & planè impollutum: scortatores uerò & adulteros Deus seuerè iudicabit, ut Apostolus Hebr. 13. admonet. Ac ipsius coniugij prohibitio certis facta hominibus, doctrina est diabolorum & spirituum fallacium, 1. Timoth. 4. Alia ex me nõ sunt quæsita, digna quidem quæ scribantur. Inquisitor quidem bellis quibusdã blãditijs mecũ egit, ut me à proposito susceptaq́ue sententia deduceret, cùm multa magnifica mihi promittens, tum uerò ætatem iuuenilem mihi proponens, cuius, inquit ille, maxima erit iactura, si igni consumatur: quod certè fiet, si tu in proposito tuo perseueraueris. Considera igitur & uide: nam in tua quidem est potestate, ut saluus euadas atq; incolumis: atq; anima, inquit, tua in tuis est manib. Ei ego respondi, quòd anima mea ualde malè custodiretur, atq; in summo uersaretur discrimine, nisi alius præter me eius curã, tutelã, custodiamq́ue

Impij & de Deo & de Scriptura sancta dubitant.

suscepisset,

fuscepisset. Me uerò alia in schola fuisse Domini nostri Iesu Christi, in qua quidem aliud ab eo Magistro didiceram: eum qui animam conseruare suam uoluerit, perditurum, qui uerò perdiderit, conseruaturum. Sed non contẽtus eo inquisitor, misit ad me monachũ suum, ut per eũ id mihi persuaderet, quod ipse coràm non poterat. Qui cùm uenisset, optimam Cardinalis Turnonij erga me uoluntatẽ declarauit, ut me deposita mea opinione & sentẽtia in pristinum uitæ meæ statum ac monachatum reuocaret, cum huiusmodi promissis, ut me noua ueste optima donatum in aliquam domum suam monasticam mitteret. Ei ego respondi, me uestem nigram nimium diu tulisse, nunc autem optare albam ferre, nõ illam quidem obnoxiam corruptioni, sed his similem, quarum mentio sexto capite Apocal. fieret. Hæc autẽ causa est, charissimi fratres ac sorores, cur omnes filij Dei persecutionem patiuntur: imò uerò Iesus Christus in illis, ꝓpterea quòd nõ ea causa nostra est, sed ipsius propria quam tuemur. Nos etiam uidemus eam iniuriã quæ nobis infertur, eum ita accipere quasi in ipsum conferatur, quemadmodum Paulum Ecclesiam persequẽtem admonet. Neq; uerò Christum ille persequebatur ad dexteram Dei iam euectum, ab omniq́ue iniuria ereptum, sed in membris suis, cum quibus eam habet spiritus coniunctionẽ, ut quod fit uni etiam ex minimis ipsius, sibi ipsi factum dicat. Cùm igitur tãtus sit amor Iesu Christi erga nos, ut opprobria quibus nos afficimur, in seipsum recipiat, quanta, obsecro, erit ingratitudo nostra post acceptum singulare beneficiũ, quod in hac declarata nobis ueritate perspicitur, nisi eam edamus nominis eius cõfessionem quam summa eius dignitas amplitudoq́ue requirit: præsertim post tot grauissimas minas ijs propositas, quos nominis eius atq; Euãgelij puduerit? Qui, inquit Christus, me corã hominibus negauerit, negabo eum ego quoq; corã Patre meo: qui uerò me confessus fuerit, eum etiam ego apud Patrem meum confitebor. Quid autem obsecro, hoc est aliud à Christo Domino tum nõ agnosci, sed abnegari, quàm mortis æternæ condemnari? Tyranni quidem atque inimici Dei, propositis minis ac pœnis grauissimis interdicunt ne Christo testimonium quod ei debemus, tribuamus: sed ea æquitatis ratio semper est adhibenda & seruanda, ut exemplo Apostolorum Deo potius quàm hominibus ipsis pareamus. Neq; uerò metuendi sunt ij qui postquam corpus occiderint, nullam in animam habent potestatem. Omnino iniurias, persecutiones, & contumelias in hac quidem ratione uitæ & Christiana professione propositas nobis scimus atq; expectamus: sed illud etiam intelligimus planeq; cognoscimus hanc unam esse uiam in carne Filij Dei consecratam, qua per multas afflictiones in illam regni cœlestis gloriam eundum sit. Paulus quidem 1. Philip. ait nobis datum esse, non modò ut in Christum credamus, uerumetiam ut pro eodem patiamur. Alio etiam loco monuit eos omnes qui piè in Christo uiuere uolent, ut persecutionem expectẽt. Ad id enim sunt positi & uocati, ut piè in Christo Deum colentes atque inuocantes, multa & tormeta & opprobria patiantur. Atque hæc causa nobis coniuncta est cum Euangelio, & quædam societas, qua oportet nos omnes συνκακοπαθεῖν, ut in eo & cum eo non consolationes modo, sed etiam afflictiones cõmunes habeamus. Sed in his tantis miserijs & contumelijs Diuus Petrus nos beatos esse dicit, cùm propter nomen Iesu Christi hæc patimur atq; uituperamur: nam hoc modo Spiritum Dei super nos requiescere. Nunc ergo post tot tamq; grauia testimonia existimabimúsne uitam nostram perdere, cùm eã pro causa tam iusta & sancta in manus inimicorũ trademus? An uerò nos miseros esse dicemus, cùm Christus Dominus suo ore sacro nos beatos esse pronunciat? aut putabimus nos mortẽ temerè oppetere ut amentes & insanos, cum Christus amplissimum nobis in cœlo præmium proponat? Quare charissimi fratres ac sorores, uos magnopere hortor & rogo ne

Alba uestis in Apocal.

uanam mũdi opinionem et consuetudinem sequamini, qui ita est obcæcatus, tantisq; errorum omnium tenebris circunfusus, ac potius oppressus, ut uitam in morte, benedictionem in maledictione reperire non possit. Neq; uerò offendamur si seruos Dei uidemus multa grauia et acerba perpeti, cùm sciamus eam unam esse uiam & rationem, qua nos capiti nostro ac principi Iesu Christo conformes fiamus, si post eum impositam nobis crucem ferimus. neque enim seruus domino suo maior est. Exeamus igitur ad eum extra castra eiusq; opprobrium feramus, neque enim ciuitatem hic habemus permanentem: sed futuram aliam quærimus: ad quam nos Dominus pro sua misericordia omnes conducat, Amen.

Præclara mors Dionysij Peloquini.

Cùm itaq; Dionysius Peloquinus decẽ mẽses Lugduni in carcere fuisset, à XIX die Octob. anni M.D.LII. ubi firmus inuictusq; semper permansit: inde fuit eductus die Dominica, quarto Septembris, M.D.LIII. hora tertia matutina, atque Eleutheropolim deductus. Postero die, qui dies fuit quintus eiusdem mensis, de gradu atque ordine Papistico deiectus fuit, deinde condemnatus ut uiuus cremaretur. Sequutus est postea dies Lunæ undecimus eius mensis præclaro eius martyrio insignis ac memorabilis, in quo quidem huiusmodi genus mortis est perpessus, quod summam admirationem omnibus spectatoribus attulit. Nam cùm inferiorem corporis partem iam ustulatam haberet, nũquam destitit manus in cœlum tollere opemq́ue Dei implorare. Atq; ita grauissimo testimonio declarauit, ueritatẽ Dei et gloriã Christi omnibus Christianis ac pijs hominibus propria uita antiquiorem & chariorem esse debere.

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERÜNT, maximarumq; per Europam, præsertim uerò Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER NONVS.

LVDOVICVS MARSACVS, & ipsius consobrinus, cum Stephano Lignifabro Lugduni cremati 1553.



LVDOVICVS Marsacus Gallus natione et patria Borbonius, cùm diu rationem militarem professus esset, ex equestri ordine eorum militum, qui ordinati regij, id est conscripti ac designati appellantur, ad meliorem disciplinam professionemq; Christianam traductus, & præstantiora Christi summi regis atq; imperatoris stipendia amplexus, ita integrè ac fideliter se gessit, ut causam eius & gloriam summa animi magnitudine, cõstantiaq; propugnarit ac defenderit. Extat præclara eius confessio, quã ultimo die Iul. 1553, iudicibus Lugduni scriptã præsentauit, eamq; morte postea obsignauit, quã cum duobus uinculorum sociis, altero ipsius Cõsobrino, altero Stephano Lignifabro constantissimè perpessus est. Historia autem sic sese habet.

Marsacus de libero arbitrio interrogatus.

Interrogatus ab Officiali & ijs qui cum eo aderant, num crederem in hominibus liberum arbitrium esse, nosq; habere facultatem tam ad benè q; ad malè agendum:

agendum: me quidem nullam agnoscere respondi, nec ullam ex meipso uim habere ad bene agendum nisi ea mihi à Deo concedatur: atque omnia dona à cœlo proficisci à Patre luminum, meque posse cum Paulo uerè dicere, quòd uolenti mihi facere bonum, adiunctum est malum, ut nõ quod uolo bonum, sed quod nolo malum faciam.

Item, num crederem Sanctorum ueneration em, eosq; tum pro nobis orare, tum à nobis inuocandos esse: denique an nostri nõ essent aduocati, ac patroni, inprimisq; uirgo Maria: Ego autem respõdi, me nullum aduocatum alium cognoscere aut habere quàm unum Iesum Christum à Deo Patre mediatorem atq; intercessorem constitutum. Tum illi mihi dixerũt Sanctos, quorum ego negarem intercessionem, multa miracula edidisse, quæ ex Scriptura probarent: Quibus respondi, nihil opus esse probatione, cùm id eis concederem. sed alium miraculorũ usum fuisse quæ ab Apostolis sunt edita, ut essent quædam quasi sigilla eius doctrinæ, quæ ab illis annuntiabatur, ut uirtute miraculorum ac magnitudine, populus ad audiendum atq; amplectendum Dei uerbum attentior esset: ut in Actis Apostolorum atq; Euangelio Ioannis uidere licet. neq; uerò me aliud quicquam credere, aut præter eam uerbi Dei doctrinam allegare. Qua in re illi nihil tum contra me dixerunt, nisi se adhibituros eum doctorem, qui me facilè reuinceret. *Miraculorum usus.*

Sum etiam ab ijs interrogatus, num crederem me bonis operibus eorumq; merito saluum esse, ipsaque bona opera esse necessaria ad salutem. quibus ego respondi, me sola fide saluari, non ullis Legis operibus. nos tamen bona opera facere, quæ Deus in nobis qui sumus opus gratiæ eius, præparauit, ut in illis ambulemus. Meritum uerò non alibi esse quærendum quàm in uno Christo Iesu, qui est salus nostra: neq; est aliud sub cœlo nomen hominibus datum in quo nos salui esse possimus. Deinde progressi ad Purgatorium, interrogatus nũ esse crederem? respõdi me Purgatorium illud credere ac recipere, quo sanguine Filij Dei ab omni uitiorum meorũ labe purgatus essem. Tũ illi quæsiuerunt an non crederem ignem esse purgatorium, quo animæ ex his corporibus egressæ expurgarentur. quibus dixi me nullum aliud intelligere, præter illud quod in Christi purissimo sanguine pro peccatis nostris semel effuso, cõsisteret: mortuos autem in manu esse Dei, qui æquus omnium iudex est.

Quæsiuerunt præterea, num confessio peccatorum in aurem sacerdotis esset deferenda, ut nos absolutionem ac pœnitentiam auferre possimus: Qua de re respondi, me cùm sensu peccatorum sum oppressus ad nullum alium cõfugere, peccataque mea deferre, quàm ad unum Deum quem offendi, eumque nobis pro sua gratia ignoscere, quam in Christo Iesu nobis declarauit & commendauit. *Confessio auricularis.*

Tum mox quæsiuerunt, num sacerdotes parœciæ nostræ pro meis pastoribus haberem, eosq; tum doctrina tum uita tales agnoscerem: Ego uerò respõdi eos utroq; in genere falsos pastores esse: maleq; pasci, duci ac gubernari eos omnes qui eorum custodiæ commissi sunt. Tu, inquiunt, habes eos pro ignaris? Ego uerò, inquã, pro pastoribus nullo modo habere uolo nec debeo. Tũ unus ex ijs, Tu, inquit, nimiũ te scire arbitraris: Ego uerò, inquam, me nihil aliud, quàm Iesum Christum eumq; pro me crucifixum scire arbitror. Ego etiã, inquit ille. Nos ergo, inquam, in eo quidem consentimus.

Post hæc homines sobrij ac temperantes de ieiunijs me interrogarũt, num ieiunandum esset. Quibus respondi me ea ieiunia probare, quę cum precibus coniuncta essent, ac tum quidem præcipuè adhibenda, cùm aliqua graui calamitate premimur & affligimur, aut etiam ut animum in hoc corpore languentem, ad orandũ, per huiusmodi sobrietatem atq; abstinentiã præparemus. Tu, inquiunt, uis ieiunia pro tuo arbitrio præfinire, non præscripta ab ecclesia, certisq; die-

tisq; diebus cõstituta obseruare. Verum, inquam, ieiunium Christiano homini moderatione totius uitæ, temperantia, sobrietateq; perpetuum esse debet. Credis'ne, inquiunt, symbolum Apostolorum? Sane, inquam.

De Cœna Domini.

Deinde de Sacramento Cœnæ quæsiuerunt, eoq; uerbo usi sunt. Quibus ego respondi, me id quidem credere, ac cùm rectè pureq; administratur, sub specie panis ac uini carnem & sanguinẽ Iesu Christi uerè participari. Sed credis'ne, inquiunt, corpus Iesu Christi uerè in eo pane cõtineri? Minimè, inquã; quin potius credo illud in cœlum euectum atq; receptum, Christumq; Dominum ad dexteram Patris ita sedere, ut huiusmodi elementis incluſus nullo modo teneatur. Tum unus ex ijs, me ludæis Capernaitis similem esse dixit. neq; enim, inquit, uis credere, nisi corporalem Christi præsentiam in ipso pane incluſam uideas. Neq; uerò potes negare, quin Christus dixerit: Qui edet carnẽ meam, et sanguinem meum bibet. Tu uerò, inquam, uide quemadmodũ Christus dicat se panem esse & uinum qui de cœlo descendit, ut uitam omnibus in ipsum credentibus impertiat: carnem deniq; nihil prodesse, Spiritum autem uiuificare. Adhæc illos etiam admonui, ut ea quæ à Luca Euangelista narrantur, traduntur q; à Paulo, inspicerent & considerarent, cùm ita dicitur: Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: hoc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis. nam ita mortẽ Domini, inquit Paulus, quoad is ueniat, annuntiabitis. Tum ego eos diligenter monui ut eum locum annotarẽt. Neq; uerò memoriam rerum præsentium recoli ac celebrari, sed præteritarum: nec memoriam Christi usurpandam esse, si eum præsentem ante oculos nostros habemus. Sanè, inquiunt illi, sed an non uis tu amplecti quod à sacrosancto Concilio atq; doctoribus est constitutum? Sanè, inquam, id quidem duntaxat quod cum uerbo Dei consentiat: præterea nihil. Nam si ego ipse, ait Paulus, aut Angelus de cœlo ueniat, qui aliud uerbum uobis annuntiet quàm quod ego annuntiaui, anathema sit. Tum illi ex me ubi ista didicissem quæsiuerunt. In sancto Euangelio, inquam, & uerbo Dei. Est ne tuum, inquiunt, officium id legere, cùm sis homo mechanicus, & nulla scientia præditus? Quomodo uerò scis tu id esse Euãgelium, & quis te docuit? Deus, inquã, me Spiritu suo docuit. Omnium autem Christianorum est illud legere, audire & cognoscere, sine quo uia ad uitam & salutem nullo modo cognosci aut teneri potest. Postremò quæsiuerunt num Institutionem Caluini uidissem quę Christiana inscribitur & appellatur. Quibus ego ingenuè confessus sum. Atq; hæc quidem quæsita sunt ex me in prima interrogatione.

Secũda disquisitio iudiciaria.

Secunda autem interrogatio per magnum Vicarium facta est, qui pro sua summa insciti a atq; stoliditate, multa ex me leuia friuolaq; quęsiuit, minimè digna quæ hoc loco ac tempore commemorentur. Postea rogauit me, quam rationem uitæ professus essem. Cui ego respondi, militarem ex equestri ordine eorum qui delecti & conscripti, certas Regis turmas conficiunt: Lorgio autẽ duce stipendia meruisse. Tum quidam ex ijs qui aderant: Ille quidem, inquit, qui præstantissimus eques extitit, te in hac doctrina disciplinaq; minimè instituit. Non sanè, inquam: neq; enim ego, quemadmodum paulo antè dixi, ab hominibus hæc didici: neq; in bello inter pugnandum ediscuntur. Interrogatus num crederem uotum castitatis: quæsiui ex eo, quodnam illud esset. Vt homines, inquit, fiant religiosi, & alia quædam faciant, quæ ille nescio quæ nugamenta referebat. Tum ego ei respondi, me nullam castitatem meliorem existimare, quàm ut cùm nos aculeis carnis pungimur atq; incitamur, ad Deum cõfugiamus, petamusq; ab eo ut prauas atq; immoderatas carnis nostræ libidines comprimat & extinguat, nosq; eas ijs rationibus quę à Deo nobis propo nuntur, refrænemus. Religionem uerò nullam me aliam intelligere, præter eã de qua D. Iacobus loqueretur.

Interrogãtus

Interrogatus num Sacramẽta Ecclesiæ crederem, quæsiui ab eo quæ essent illa. Cùm autẽ ille mihi ea numerasset, dixi duo tãtùm à Deo in Ecclesia Christiana instituta & tradita, Baptismum & sacram Cœnam.

Interrogatus an eo tempore quo illum ordinem militarem equestremqúe profiterer ac sequerer, ad Missam audiendam accederem, coram simulachris atq; imaginibus genua flecterem, ac peccata mea sacerdoti confiterer? Nõ ne gaui me quidem antea in mea summa ignoratione ac cæcitate ea omnia fecisse: nunc uerò summas Deo gratias agere, qui me ab illis tantis erroribus reuocarit, atq; in uiam salutis reduxerit. Tu quidem, inquiũt, ab ea longè abes: Imò uerò, inquam longius aliquando abfui. Putásne, inquit Vicarius, te in ea uia salutis esse? Ego uerò, inquam, non solùm puto, sed etiã credo, persuasus ijs promissis, quibus Christus de salute mea certissimum reddidit. Tum ille dixit se doctorem perhibiturum, qui mihi ostenderet quanto in errore ego uersarer. Cui dixi me quidem ei crediturum, atq; errorem meum agniturum, si eum ex Scriptura sancta mihi ostenderet. Ille quidem, inquit, cùm ex Scriptura sacra, tum etiam ex constitutionibus Conciliorum facillimè tibi ostẽdet. Ego uerò, inquam, si eius demonstratio consentiat cum uerbo Dei, fidem ei adhibebo: sin doctrinam diuersam à uerbo Dei eiq; repugnantem afferat, eam, ut diuus Paulus ait, ut quoddam anathema detestabor. Illi semper authoritatem Conciliorum doctorumq; protulerunt: cui ego hũc Pauli locum fortiter opposui, illudq; etiam ostendi, fidem meam in authoritate uerbi Dei, non hominum opinione aut consuetudine fundatam esse. Porrò tribus diebus post, Vicarius sperans se prædam ingẽtem à me ablaturum, uenit cum capitalium causarum iudice. Hi pecuniam quam habebam, mihi ademerunt, nisi quòd quantum satis esset ad uiuendum reliquerunt. Vicarius autem post multa inepta & absurda, quæ tum mihi loquutus est, quæsiuit num ego uellem me planè referre ad Concilium iudiciumq; doctorum ad quos Scripturæ sacræ interpretatio atq; explicatio pertineret, & num uellem magis quàm Rex Galliæ sapere ac nõ ea quæ ille crederet? Respondi ei nihil opus mihi esse eorum interpretatione, meque sine ullo huiusmodi interprete ac doctore facilè aperteq; ostensurum id quod dicerem uerum esse: neq; meam fidem in ipso Rege fundatam esse et cõstitutam, neque etiam hic esse ut de illius fide loquerer. Tum ille iterum se doctorem mihi daturum dixit. Quid tu, inquam, nũ præstare id ipse potes, cùm præsertim iuridiciale munus officiumq; sustineas? Tertius eorum ad me aduentus accessusq; fuit, ubi Suppræfectus aderat. tum summus Vicarius ex me quæsiuit, num uellem in meis opinionibus atq; erroribus, ut uocant, permanere: Quem ego rogaui, ut ea quæ dixeram, mihi legenda curaret. id quod ip se fecit, quærens semper ex me, num meam uellem sententiam deponere, misericordiam mihi promittens. Ego autem eis dixi, me causam ueritatis tam iustam & æquam nullo modo uelle deponere aut abijcere: neque uerò petere ab ijs misericordiam: sed Deum orare, ut eam mihi impertiret. Interea dum interrogata & responsa mea mihi legerentur, me de Euangelio interrogantes, captiose aggressi sunt, num meum esset officium illud legere, & quis nam me de eo erudisset ac docuisset: Quibus ego respondi, Deum Spiritu suo fecisse ut aliquam eius cognitionem adeptus fuerim, nec me sine gratia illius atque Spiritus illuminatione quicquam posse in Euangelio comprehendere atque intelligere. Tum Suppræfectus Regis dixit, quòd ad quatuor Euangelistas attineret, duos tantùm esse, Matthæum & Ioannem, qui puri essent: Marcum uerò & Lucam centones quosdam habere hinc illincqúe collectos: quo in genere Paulum etiam ponebat. Illud præterea dixit, se epistolas Pauli, nisi doctores Ecclesiæ eis authoritatem dedissent, non pluris quàm Aesopi fabulas facturum. Ego ei dixi, Diuum quidem Paulum habere optimum certissimumq;

Interrogatio summo Vicario digna.

Execrãda blasphemia Suppræfecti Lugdunensis, quam & Ioan. Sleid. explicat li. 25.

múmq; uocationis suę testimonium, quemadmodũ in epistola ad Galat. 1 cap. scriptum est. Tum ille, Paulum sibiipsi testimoniũ dare dixit. Videtis fratres, quæ & quanta sit hæc blasphemia aduersus sacrosanctum Dei uerbum impurissimè proiecta. Oremus igitur eum ut nobis eam gratiam impertiat, ne in huiusmodi impietatem delabamur: sed uirtute Spiritus eius confirmati, in obseruantia obedientiáq; uerbi ipsius cum omni reuerentia permaneamus. Postea Suppræfectus iussit iterum recitari ea quę ego de Cœna interrogatus respondera, ac quæsiuit num uellẽ credere uerũ corpus Iesu Christi ibi in eo pane inclusum cõtineri: Ego, inquam, id credo quod antè dixi. Tum ille, Ego, inquit, credo simulatq; uerba sacramentalia super panẽ sunt pronũtiata, corpus Christi in eo includi & cõtineri: Ego, inquam, illud nego, credóq; Christum in cœlum ascendisse, atq; ad dexteram Dei patris sui sedere. Mea hæc quidẽ, inquit, fides est, in qua uolo uiuere & mori. Et ego quoq;, inquam, uolo & uiuere & mori in ea, quam sum confessus & professus.

Atq; hic quidem finis fuit sermonum nostrorum: in quibus non potui commodè ordinem, quo fui interrogatus conseruare. Ego autem malui aliquid omittere, quàm aliquid quod quæsitum ex me non fuisset, addere. Neq; uerò hanc cõfessionem meam propterea scripsi ut ea in lucem emittatur: sed ut Deus hoc meo testimonio aliquam gloriam consequatur, quemadmodum ipse me honorauit, suámq; uirtutem in mea summa infirmitate exhibuit, ita ut inimici nostri uicti & confusi nihil planè habeant quod dicant, nisi quòd nostram rationem fidei nostræ ad iudicium arbitriumqûe doctorum suorum referre noluimus, quasi sapientiores quàm illi sunt, esse uelimus. Interea tamen ita premuntur. ut quod dicant nihil planè habeant, nisi quòd pudore impediũtur quò minus Scripturam sacram planè repudient. Ego autem Deum optimum atque omnis misericordiæ Patrem etiam atque etiam oro ut sua in nos dona augeat & confirmet, quò nos tum in uita tum in morte sanctissimum eius nomen omni gloria illustrare possimus, ita ut & regnum eius amplificetur, & Ecclesia planè uastata & desolata ædificetur, atque in optimum statum restituatur, nostraqûe salus procuretur: hocqûe ab eo peto in nomine & summa gratia charissimi eius Filij Domini nostri Iesu Christi, qui regnat cum Patre & Spiritu sancto. Amen.

Sequitur etiam Epistola Lud. Marsaci ad quendam amicum scripta 25 Augusti, in qua is quædam exponit memoria non indigna, quæ in carcere paulò antequam martyrio defungeretur, acta sunt.

CHarissime frater, nouissimis hisce diebus ego literas ad te dedi xxv Augusti scriptas, simul etiam alteras ad optimum atq; amantissimum fratrem nostrum & amicum N. quæ an uobis redditæ fuerint, ignoro. Frater noster Dionysius Peloquinus scripsit etiam ad nepotem suum de ijs rebus, quæ acciderunt, quemadmodum nos expectaremus declarationem iudicialem eius opinionis ac iudicij quod homines de nobis faciunt. Ita igitur euenit die Lunæ proximo, qui fuit 21 eius mensis, quo nos ad uos eas literas dedimus. Nam post eam declarationem nos omnes ad carcerem regium, Roanam appellatum, traducti fuimus, præter Dionysium fratrem nostrum, quẽ, ut à quibusdam intelleximus, Eleutheropolim ducturi sunt, ut in ea urbe, in qua fuit captus, quasi quædam uictima cædatur: atq; ita uarijs diuersisqúe in locis nomen Dei nostri morte filiorum suorum illustretur. Nos quidem expectabamus eam sententiam, qua postridie eius diei quàm hæretici sumus declarati, capitis damnaremur. sed benignissimus Deus ad hunc usque diem nos conseruauit, ut magis magisqúe semper corroboremur, quemadmodum sentimus, uirtute quidem eius atque ope: ita ut ij qui maximè imbecilles ac debiles esse putabantur, nunc omnium sint fortissimi atque constantissimi. Itaque ipsi aduer-

Morte fideliũ Deus glorificatur.

ipsi aduersarij nostri maxima molestia sunt affecti propter Consobrinum meum, quem iudicabant non constanter in proposito fidei permansurum, quasi nos aliquam opinionem in eius cerebro cõmouissemus. sed benignitate Dei ea opinio illos multum fefellit. Vident enim in eo summam constantiam, quã Deus ad tuendam fidei declaratæ confessionem ei dedit. Proximo die Mercurij, nos à regio Suppręfecto interrogati fuimus. Is perseuerans semper in suis blasphemijs usitatis, multa & uaria à nobis quæsiuit, inprimisqúe à me qui primus coram eo productus fui. Quasi autem me nũquam uidisset, ita me interrogauit. Optimus Deus mihi eam uim Spiritus ad respondendum præstitit, quemadmodum & cæteris fratribus, ut ille miser nihil quod diceret haberet, nisi me ignarum atque imperitum esse sine ulla scientia: neque meum esse sacram scire Scripturam, quam tot homines summis ingenijs præstantes qui uiginti quinque aut triginta annos in eius studio consumpsissent, intelligere non potuissent. Cui ego respondi, id quidem maiori illis esse dedecori ac turpitudini, idemqúe Scribis ac Pharisæis, priscisqúe Legis doctoribus euenisse: Deum autem piscatoribus, mulieribus, claudis, cæcis, leprosis, paralyticis, alijsqúe huiusmodi hominibus reuelasse, ut illud quod Christus Dominus gratias Deo Patri agens dixit, in hoc hominum genere atque omni tempore conseruaretur, quòd Deus ab intelligentia sapientium doctorumqúe remouit atque abdidit, & paruulis simplicibusqúe reuelauit. Tum uerò illi ridere cœperunt, ac me irridere: cùm interea egregius uir Suppræfectus loquens cum regio Procuratore, per suam fidem iurauit. itaque eum ego reprehendi ac monui, eum qui me docuisset non esse iurandum, eundem me docuisse, id quod confitebar ac tuebar, purum eius uerbum esse. Tum ille pudore aliquo affectus fuit, ac dixit, se in eo quidem falsum & lapsum esse potuisse. Porrò regius Procurator mihi dixit, me negare non posse quin diuus Ioannes Ephesi Missam celebrasset. à quo quæsiui ubi'nam illud scriptum reperisset, num id in Euangelio extaret. Is tum conticuit sine ullo responso, nisi quòd me ignarum bestiamqúe appellabat. Ego ei dixi, me quidem facilè id pati, ut essem talis qualem ipse existimaret, sed me tamen Christum Iesum cognouisse, qui ei esset incognitus. Itaque nos facilè uidere summam eorum ignorantiam atque stoliditatem planè beluinam possumus. Cæterùm nos, quòd ad homines quidem attinet, arbitramur nos cras huc processuros, ut in sacrificium Deo offeramur, eamqúe adipiscamur coronam gloriæ æternæ atque hæreditatem, quæ nobis antequam mundus constitueretur parata est. In quo quidem magnoperè gaudemus & lætamur, orantes benignissimum Deum ut hoc nostrum sacrificium ei sit gratum atque odoratum, quemadmodum quidem fore speramus & confidimus. Nam nos opem eius ac uirtutem in nobis experimur ac sentimus, eò quidem nunc maiorem, quò finis dierum nostrorum magis appropinquare uidetur: finis, inquam, huius uitæ caducæ atqꝫ miseriarum plenæ: in qua quid aliud uidere possumus, quàm summã desolationem: aut habere quàm materiam plurimarum lachrymarum, maximarumqꝫ acerbitatum propter tot tamqꝫ horrendas blasphemias, quę cõtra Dei nostri maiestatem scelerate proijciuntur? Vna enim ex parte uidemus hostes Ecclesiæ manifestos, qui aperto marte Ecclesiam acerrimè oppugnant, ac filios Dei persequentes, atqꝫ innocentum sanguinem fundẽtes, nihil aliud conãtur nisi ut Christi hæreditatem uastent & planè deleant. Altera ex parte, inimicos alios nõ minus pernicioſos, qui in ipsa Ecclesia uersantur, homines inordinatos atqꝫ dissolutos, qui se aduersum uerbi Dei ministros fidelissimosqꝫ eius seruos extollẽtes, nihil aliud studẽt qꝫ omnẽ ecclesiasticã disciplinã dissipare, atqꝫ è uita oẽm religionẽ ac timorẽ Dei tollere. His accedũt alij, q in occultis cõuẽticulis suis seminãt zizaniã doctrinasqꝫ impias, qb. simplices & imperitos homi-

Ridiculum de Missæ origine.

tos homines corrũpant. Heu miseri, qui ita stupidi sumus, ut hac tãta mala nõ sentiamus, quæ causam gemendi ac flendi multo maiorem atque acerbiorem nobis afferre deberent, quàm omnes acerbitates quas homines in nos exercent, quæ blasphemijs illis nominis Dei comparatæ, læuissimæ sunt iudicandæ. Itaque fratres, illud quidem deberet maximopere nos humiliare, cognoscentes ea nobis ab optimo Deo immitti, ut admoneamur, paternéque ab eo castigemur atque emendemur, atque etiam probemur, ut in patientia exerceamur. Nam sicut dicit diuus Iacobus, summam debemus lætitiam existimare, cùm in uarias tentationes incidimus, scientes probationem fidei nostræ patientia fieri. sed oportet patientiam habere etiam opus perfectum, ut simus perfecti atq; integri, nullaq; in re deficiamus. Et certè nos in regnũ Dei intrare nõ possumus, nisi ea una uia quę à Christo Iesu nobis præmõstrata est. Ea aũt est angusta & aspera, qua permultas magnasq; difficultates peruenien dum est. Ac tum quidem cùm ea nobis accidunt, possumus plane nobis persuadere nos habere arrhas adoptiõis nostrę, filiosq; Dei esse, in librũ uitę iam iam adscriptos. neq; uerò æquum esset & consentaneũ ut seruus bene tractaretur, cùm dominus eius irridetur, conspuitur, colaphis cæditur, omniq; opprobriorũ genere afficit. Oportet igitur nos, si uolumus cum Christo uiuere, ut cum eodem quoq; patiamur, amareq; ploremus, dum mundus insolentissimè exultat. Sed tota ratio & conditio uitæ ita cõmutabitur, ut impius istorum risus in quæstum fletumq; perpetuum, aut dentium stridorẽ conuertatur: nos uerò omnibus molestijs atq; ærumnis liberati, sempiternis solatijs & gaudijs perfruamur. Gratulare igitur nobis, ac lætare charissime frater, quod benignissimus Deus animos nostros ita confirmauerit, ut illum diem tam felicem atq; optabilem summa cum lætitia expectemus: in quo quidem speramus & confidimus nos morte nostra gloriam Deo daturos quam debemus: eumq; etiam nobis eam constantiam præstiturũ, qua usq; ad ultimam sanguinis nostri guttam, puram fidei nostræ confessionem tueamur, ita ut & regnum Domini nostri Iesu Christi augeatur, & sathanæ eiusq; uicarij Antichristi diminuatur atque euertatur: Ecclesiaq; quam ita confusam ac desolatam cernimus, in melio rem statũ restituatur. Harum quidem rerũ initia iam uidemns in ipsis nostris aduersarijs, qui cùm nullo furore suo possunt nobis silentiũ imponere, ad eas confugiunt blasphemias, ut sanctissimam Domini nostri Iesu Christi doctri-

Blasphemia iudicis.

nam detestentur. Quemadmodum miserrimus iste homo regius Suppræfectus, qui heri cùm interrogaret quandam mulierculã, domini Copi famulam, non est ueritus hanc blasphemiam proferre, Detestãdus sit Deus istius Legis. Ego Deum clementissimum oro ut eius misereatur, eumque spiritu suo illuminet, ut miserrimus homo ad ueram peccati sui cognitionem adducatur. Quoniam autem tempus dissolutionis meæ iam appropinquat, uos quasi ex hac uita decedens ualere ac saluere iubeo, Deũq; oro ut uos in purissimo nominis sui cultu perpetuò retineat atque conseruet. Fratres mei se uestris ac totius ecclesię precibus etiam atque etiam commendant: siquidem erunt in hac adhuc uita, cùm hæ literæ ad uos perlatæ fuerint. Gratia Domini nostri Iesu Christi uobiscum sit. Hoc die Veneris XXV Augusti. Vester amantissimus frater Ludouicus à Marsaco.

Ludouici Marsaci martyriũ.

Post aliquot dies ipse Marsacus eiusque socij, Consobrinus, & Stephanus Lignifaber, qui natus fuit Genabi ad Ligerim, homo cum ardentissimo studio, tum etiam in uerbo Dei optimè institutus. Lugduni eadem sententia, pro tribunali pronunciata, capitis damnati fuerunt ut uiui igne cremarentur. Iudices autem postquam eam sententiam pronuntiarunt, uehementer fuerunt perturbati, atque attoniti, cùm uiderent eos tres martyres, non solùm mortem propinquam non perhorrescere, uerumetiã Deum omni gratiarum actione

actione atq; laude celebrare, quod digni ab eo habiti essẽt, ut pro sanctissimo ipsius nomine paterentur, adeò ut ex audientia iudiciaria egredientes, Psalmum quendam canere cœperint. Neq; uerò Suppræfectus hoc diutius dissimulare potuit, eorumq; sanctam in Deo lætitiam atq; hilaritatẽ ferre: sed maxima indignatione commotus, iussit eis silentiũ imponi, egrediensq; inde, dixit, Itáne abiecti isti homines, aduersus tantam Monarchiam regni se extollent? Tum Marsacus in exiguum eius loci, in quo erant, angulum secessit, ibique Deum orare cœpit, quẽ, cùm unus ex satellitibus impedire uellet, Num, inquit Stephanus, est æquũ hoc tempore nos impediri quo minus Deum nostrũ inuocemus & oremus? his illius uerbis territus satelles conticuit, seq; ilicò recepit. Porrò antequam educerẽtur è carcere, ut ad ultimum supplicium ducerentur, cæteris duobus, Consobrino ipsius Marsaci & Stephano funem singulorũ collo apposuerunt, Ludouicus aũt Marsacus, cùm idẽ insigne atq; ornamentũ expectasset, neq; uideret id sibi deferri, q; Iudices rationẽ quandã haberent eius qui ex equestri eorum ordine fuisset, qui Ordinati regij nominantur: coram Suppręfecto ac cæteris magistratibus (ut Sleid. lib. 25. testatur) maxima uoce quæsiuit, num causa fratrum sociorũq; suorum alia esset atq; sua? Atq; huiusmodi uerba cum precibus addidit: Heu, ne mihi torquem ordinis tam excellẽtis insigne denegetis. Tum Suppræfectus, Siquidẽ ita uult, inquit, detur ei funis ut cæteris. Id cùm factũ esset, ducti sunt ad locum supplicij constitutum, comitati quatuor Franciscanis & magno satellitum numero, qui omnes currũ cingebant, ut impedirent illos tres martyres ne ad populum loquerentur. Eò igitur cùm uenissent, subitò accincti fuerũt atq; ad postem alligati, fascesq; lignorũ aridorum circuncirca: atq; ita circunsepti hi tres, simul cãtum Simeonis canere cœperũt, Nũc dimittis seruũ tuum Domine, &c. dũ carnifex in circuitu ignem succẽderet, qui paulo pòst eorũ corpora consumpsit.

Insigne ordinis Christiani.

MATTHÆVS DYMONETVS Lugduni combustus 15 Iul. anno 1553.

MAatthæus Dymonetus mercator, patria Lugdunensis, in sua ignoratione uitam in omnibus mundi cupiditatibus uoluptatibusq; dissolutam, & à modestia pietateq; Christiana alienam degerat. Nam in illis suis delicijs adeò abhorrebat à uerbo Dei atq; studio pietatis, ut eos qui Lugduni inuocandi Dei causa cœtus conuentusq; haberent, insidiosè atque inimicè obseruaret. Postquam uerò summa Dei misericordia ad cognitionem Euangelij uocatus est, statim fructus conuersionis admirabilis ostendit. Nam paulo pòst comprehensus cùm domi suæ esset, ab his qui Iurisdictionem Lugduni habent, primo aditu, quæ esset sua fides non dissimulãter & obscurè, sed ingenuè ac liberè declarauit: postea in iudicio purissimam eius confessionem edidit: quemadmodum sequitur.

Dymonetus suam confessionẽ conscribit.

Die Lunæ qui fuit IX Ianuarij M.D.LIII. cùm essem domi nostræ corã Suppræfecto regio & Officiali Buatherio: cumq; illi perscrutati essent libros nostros, in quibus nihil planè repererũt quod damnarent, præter exiguũ librum cantionũ spiritualium: ego de mea fide ab Officiali fui interrogatus, qui iudex à me recusatus, rogauit Suppræfectũ ut me interrogaret. Itaq; ille monuit, me cùm essem Christianus, debere rationem fidei meæ reddere. Id quod ego sine ulla dilatione feci, quemadmodum sequitur.

Cùm igitur quæsiuissent ex me, ex qua parœcia essẽ, rogarunt deinde num crederem uirginẽ Mariã ac Sanctos esse inuocãdos, eosq; nostros aduocatos esse. Quibus ego respõdi, uirginem Mariã omniũ mulierũ esse beatissimã, Sanctosq; omnes beatos, eosq; ueram uitæ uiam nobis commonstrasse. Itaque eos quidẽ nos debere imitari. aduocatos uerò habere præter unum Christum iustum, debere neminẽ. Interrogatus ab eisdem, num esset Purgatorium, ubi

animæ

animæ eorum qui ex hac uita exceſſerunt, purgarentur. reſpondi, Ieſum Chriſtum per ſeipſum perfectam omnium uitiorum noſtrorum purgationem feciſſe, neque aliam eſſe requirendam. Interrogatus etiam, num omnia peccata noſtra ſemel quidem in anno ſacerdoti ſint confitenda. reſpondi, non ſemel ſolùm in anno, uerumetiam quotidie coram Deo & hominibus teſtari nos eſſe peccatores oportere. Poſt autem hæc reſponſa, Suppræfectus iuſſit me uſq; ad domum ſuam ſequi. quò cùm ueniſſem, uiderem q; eius mandato eundum mihi eſſe in carcerem, ab eo quæſiui, an haberet eius rei aliqua mandata aut querelas, criminaq́ue aduerſum me. Ad quod is reſpondit, ſe poſtridie mecum locuturum.

Altera actio. Die autem 12 eiuſdem menſis, *M.D.LIII.* uenerunt in carcerem Officialis Primatius (ut uocant) & Officialis Buatherius, & Orrius inquiſitor, & alij eiuſdē farinæ homines, qui me interrogare uoluerunt, in primisq; Orrius, qui ut me authoritate officij ſui magis premeret, dicebat ſe à Rege atq; Pontifice inquiſitorem conſtitutum eſſe. Cui ego & cæteris reſpondi, eis nullum iudicium actionem q; in me competere: & quanquam mihi pœnam excommunicationis minarentur, nunquam tamen eos iudices agnoſcere accipere q; uolui, ſed ad Suppræfectum Regium ſemper appellaui, paratus ei de mea fide, reſpondere cùm is me uellet interrogare. Itaq; illi cùm nihil aliud poſſent, me in obſcurum, imò infimum carceris locum demittere uolebant: ſed ego cuſtodem

Tertia actio. carceris monui ut uideret quid ageret. Die ueneris *XX* eius menſis *M.D.LIII.* uenit Suppræfectus cum Officiali Buatherio & inquiſitore, alijsq; qui me interrogare uoluerunt. ſed aduerſus eos refutatione iudiciali uſus ſum, conuerſusq; ad Suppræfectum, ea quæ antea demonſtraui, de mandatis regijs et quærelis criminibusq; in me collatis: præterea quis aduerſator mihi eſſet quæſiui: & quòd captus fuiſſem atq; in carcerem coniectus, appellaui: eorumq; omnium acta cùm ab eo poſtulaſſem, ſe curaturum mihi promiſit. ſed cùm poſt multa uerba facta, is dixiſſet ſe ueniſſe ut teſtificaretur Inquiſitorem & cæteros à Rege eſſe conſtitutos, quibus mihi de mea fide reſpondendum eſſet: interrogatus iterum, dixi me credere ea omnia, quæ Eccleſia ſancta fide uera complecteretur: Credere in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum, cõceptum de Spiritu ſancto, natum ex Maria uirgine, &c. Credere etiam in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, communionem Sanctorũ, &c. Tum uerò illi inſtabant ut dicerem Eccleſiam Romanam. quibus ego, Num, inquam, ſatis eſt dicere Eccleſiam catholicam ut nulla fiat mentio cuiuſquam alterius, quam ego non agnoſcam? Quæſiuerunt, quam ego intelligerem Sanctorum communionem, reſpondi, eam communitatem omnium fidelium, qui coniũcti fide, ita unum corpus efficiunt ut Ieſum Chriſtum habeant: quemadmodũ ait Paulus, Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne corporis Ieſu Chriſti communio eſt? nos quidē certè multi unum corpus ſumus, cùm unius pa-

Sacramenti ratio. nis ſimus participes. Ex eo progreſsi ſunt ad manducationem carnis et ſanguinis Domini. de qua interrogatus, reſpondi eam ſpiritualem eſſe, ſicut ipſe dicit ſe panem uitæ eſſe, qui de cœlo deſcendit. qui ad eum uenit, nõ eſurire nec ſitire, id eſt, qui in eum credit. panem quem daturus eſſet, carnē ſuam eſſe, quã pro mundi uita traderet. Item carnem ſuam uerè eſſe cibum, & ſanguinem uerè eſſe potum. qui edit ipſius carnem ac ſanguinem bibit, manere in eo, & ipſum in eo. Idem declarãt etiam uerba Chriſti quibus Cœnam inſtituit, quæ ab Euangeliſtis, atq; à Paulo commemorata oſtendunt uerum Cœnæ uſum ſpiritualem eſſe, eumq́ue ad ſalutarem animarum refectionem et gratiarum actionem eſſe referendum. Tum illi, Num credis, inquiunt, corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti in pane eſſe, & poſtquam ſacerdos eum conſecrauit, uerè ac certo

ibi lo co

ibi loco contineri? Panis, inquam, & uinum nobis ut signa & arrhæ ad infirmitatem nostram adiuuandam data sunt. neq; uerò mentes nostræ defatigandæ sunt in his elementis quæ cernuntur, sed in cœlum erigendæ, quò Christus ascendit, eoq; corpus suum omni gloria ornatum extulit: neq; inde antè ad nos est reuersurus, quàm ad iudicandum uiuos & mortuos ueniat.

Quid, inquiunt, de Missa credis? nego, inquam, à Iesu Christo institutam, aut aliud iã supereſſe nobis sacrificiũ cũ Christus suo perfunctus sit, quo uno cætera omnia sacrificia aboleuit. Neq; etiã in Scriptura, ulla mentio Missæ fit: sed qui illam dicunt, iterum (quantum quidem in ipsis est) Filium Dei crucifigunt. Quid, inquiunt, an' non credis Papam caput esse ecclesiæ, qui indulgentias conferre possit? Ego, inquam, Papam non agnosco, neque aliud in Ecclesia caput agnosco aut habeo præter Iesum Christum, cuius omnes fideles membra sunt. Postea cùm mecum multa alia loquuti essent, egerunt ut quæ ipsis responderam manu mea subsignarem. id quod feci, cùm ea mihi omnia interrogata & responsa recitassent, etsi non omnino ea scriberent quemadmodum ego dixeram.

Die Sabbathi *xxi* eius mensis redierunt ad me Suppræfectus, Officialis, atque Inquisitor, eo consilio & animo ut me interrogarent. A quibus postulaui, ut mihi darent scripta ea capita, de quibus uellent fidem meam cognoscere, simulq; temporis spatium quo ad ea responderе possem. Id mihi nunquã concedere uoluerũt. ego autem id ab illis propterea postulaui, quòd cùm uellem rationem fidei meæ declarare, illi me in eo impediebant, dicebantq; me officio concionatoris fungi uelle: cùm tamen illi quæ à me dicta essent mendose scriberent. Hæc Dymonetus. *Quarta actio.*

In hoc quidem Dymoneto facilè perspici potest, quemadmodum Deus electos suos ad se exiguo temporis spatio & momento attrahat. Ille enim qui paulo antè ad cognitionem Euangelij adductus fuerat, eiusq; nomine in carcerem coniectus, cùm ibi acerrimos impetus parentum aciudicum, qui incolumitate proposita eum à fidei proposito uolebant abducere, cõstanter repulisset, ad ultimum supplicium ductus est, die Sabbathi, 15 Iul. *M. D. LIII.* Ibi autẽ cùm esset, multa populo demonstrauit, inprimisq; impiũ Missæ Purgatorijq; abusum: ita ut placidè & summo cum silentio ab omnibus auditus fuerit. Deinde lætus inuocans semper Domini nomen, genus mortis usitatum summa animi æquitate & patientia perpessus est. *Dymonetꝰ mors.*

D. IOHANNES MOLLIVS MONTILCINVS Minorita cum Textore Perusino Romæ suspensus & exustus, 5 die Septemb. Anno 1553.

IOannes ille ex urbe Montilcino ditionis Senẽsium oriundus fuit. Cùm uerò annum ætatis ageret duodecimum unà cum fratre Augustino à parentibus in cœnobium Minoritarum includitur. Cumq; ingenio excelleret, omnibus linguis & disciplinis instituit, Augustinus uerò frater ad alia negotia monasterij ordinatur. Hic ergo omnes commilitones suos facilè superauit, & idcirco anno ætatis 18 sacerdos ordinatur et primam Missam (ut dicitur) celebrauit. Postea Ferrariam missus, ut studijs maioribus operã daret. Ibi uerò ob ingenij felicitatem & diligentiam in sex annis habitus fuit doctissimus. Propterea à Generali ordinis Ioanne Vigerio Ianuensi constitutum, ut gradum Doctoris Theologiæ assumeret. Eo facto Lector cõstitutus est. Is autem tum sua sophistica sese ardenter Euangelio opposuit. Postea anno 1531 Brixiæ professor ordinatus, sequẽti uerò anno Mediolani. Inde anno 1533 à Francisco Sforcia Philosophiæ professor in celebri Gymnasio Papiensi constituitur, quã functionem per annos quatuor magna cum laude administrauit. Postea uocatur Bononiã à Laurentio Spatha ordinis Generali, Eo uerò tẽpore Euãgelij doctrinam *Iohannis pia educatio.*

doctrinam agnoscere cœpit, atq; paulatim magnam eruditionem sacrarum li terarum lectione adeptus est. Bononiam cùm uenisset, libri de anima oblati ut publicè enarraret. Cùm autem erga sacras literas magis afficeretur, cœpit quibusdam priuatim exponere Epistolam Pauli ad Romanos. cùm autẽ magnus studiosorum numerus cõcurreret ob loci commoditatem publicè profiteri cogebatur. paulo pòst etiam de cathedra in templo. Erat autem tantus fervor auditorum ut pleraq; calamo excerperent, & ante horam sibi quisq; commodum locum deligeret.

Erat autem ibidem Cornelius professor Metaphysices, homo loquax & superbus, qui Ioanni hanc laudem inuidebat. propterea in Campegij Cardinalis gratiam eandem epistolam enarrandam suscipit, Iohannis expositionem confutans, et Papam cum suis traditionibus mirè extollẽs. Ioannes enim Christi meritum commendabat, & Papæ tyrannidem contra conscientias declarabat. Sed Cornelius hac ratione nihil efficiebat, nam numerus auditorum Ioannis subinde crescebat, & paulatim diffluebant ij qui ipsi primo adfuerãt. Hinc persuasit Campegio ut Ioannem tolleret, si Romanę ecclesię existimationem cuperet esse saluam. Cùm autem id aperta ui non posset fieri, uocatur Iohannes ut cum Cornelio de uera doctrina conferat. sic disputatum est ad tertiam horam noctis: quisq; tamen in sua sententia permansit. Iussus ergo Iohannes domum redire, ad gradus inferiores capitur & incarceratur. locus erat angustus, & ubiq; tenebræ, ut amici Ioannis hanc uim auertere non possent, quanquam aliqui strictis gladijs suam uoluntatem erga ipsum declararint. Tantus autem strepitus sequenti die in urbe ortus, ut Cornelius sese absconderet, atq; Campegius cum suo pontifice à studiosis contemneretur. Vicarius postea Episcopi ad Iohannem missus qui ei diceret, aut reuocandum aut moriendum statim esse. Hoc audito Iohannes, reuocare noluit, erat enim constanti & lęto animo. illud unum dolebat, quòd inaudita causa hoc modo damnaretur. Interim Laurentius Spatha ordinis Generalis, qui Iohannem ob singularem doctrinã amabat, celerrimis equis Romam percurrit, atq; à Cardinale tituli Sanctę Crucis ordinis Minoritarum protectore impetrat, ut Papa scriberet Campegio Iohannem statim è carcere liberandum. Iohannes tamen is intra mensem sese Romæ sisteret, & fideiussores nominaret. sic tricesimo die captiuitatis liberatur. nisi autem hæ literæ põtificis superuenissent, in triduo fuisset sublatus. Citatur & Cornelius Romam, qui etiam à Cardinale Sanctæ Crucis incarceratur ad causæ dijudicationem usq;. Disuadebant quidem amici Iohanni ne Romam proficisceretur, & offerebant pecuniam ut in Germaniam pergeret: sed noluit. dicebat enim etiam Romæ prædicandum esse Euangelium. Cùm Romam uenisset & coram Paulo tertio compareret, humiliter petijt, ut causa hæc ardua publicè consideretur. uerùm id impetrare nõ potuit. Sed iussus est ut articulos suę sentẽtię cõscriberet, & probaret. Id quod diligẽter fecit de peccato originis, iustificatiõe per fidem, libero arbitrio, purgatorio, & alijs huiusmodi. Probauit autem sua sacrarum literarum & antiquorum Patrũ testimonio, & Pontifici tradidit. Erant quidã Cardinales & Episcopi ordinati, qui hanc causam cognoscerent. hi per tres dies cum eo disputarunt, & nihil refutare potuerunt. Postea responsum ei fuit: uera quidem esse quæ diceret, ea tamẽ hoc tempore sine sedis Apostolicæ detrimento non docẽda aut publicanda. Vnde caueat sibi à Paulinis Epistolis, redeat saluus Bononiam, & ibidẽ profiteatur philosophiam. Cùm sic Bononiam reuersus esset, & omnes scire desiderarent quid actum cum eo esset, pro suggestu publicè ordine omnia exposuit, & Deo gratias egit. Hac re Campegius magis offensus, à Papa impetrat ut Generalis ordinis Iohannem Bononia auocet, & alium in eius locum substituat. Sic Iohannes Neapolim missus, & in monasterio S. Laurentij lector & concionator

Cõstantia martyris.

concionator constituitur Anno 38. Cùm autem Vicerex Petrus seriò ei ob doctrinã ueritatis insidiaretur, uix inde aufugit. Ita hinc inde in Italia errans Christum ubiq; prædicauit. Postquã uerò Campegius cardinalis esset mortuus ab Abbate pio de Grassis 1543 iterũ Bononiam uocatur, ubi etiã Paulum denuò priuatim exposuit. Sed non diu latere potuit. Vnde iussu Cardinalis de Capo & Bonauenturæ ordinis Generali secundò captus & in Augusto Fauentiam ductus. Ibi per annos quatuor in pessimo carcere mansit, nullius hominis cõmercio utens. eo tempore scripto explicauit Moysen. sed labor ille aduersario rum opera suppressus est. Tandẽ Comitis Petiliani & Abbatis de Grassis intercessione liberatur, & Rauennam ducitur, ubi per menses aliquot apud Abbatem suum ad S. Vitalem habitauit. Ibi uerò iterũ Euangeliũ docuit & quoties Iesu nomen appellaret lachrymas effusit. magno enim spiritus Dei feruore agebat. Mortuo hoc Abbate, fideiussores eius liberi esse cupiebant, unde piũ hunc uirum tertiò in carcerem legati Pontificij inclusere. Erãt autem quatuor magnæ authoritatis uiri, qui eius miserti pro eo spoponderũt & ex carcere iterum liberarunt. Vnus ex illis Iohannem ad se recepit, ut liberos suos in literis & religione erudiret. Tantus autem concursus hominum eum uidere saltẽ cupientium erat, ut aduersarij tandem decreuerint eum interficiendum, ne dogma suum latius diffunderet. Hinc legato iniunctum ut eum caperet & munitum Romam transmitteret. Vbi etiam in carcerem Nome dictum quartò inclusus fuit. Ibidem permansit menses octodecim. eo tempore omnia cum eo modò blanditijs, modò minis tentata: sed omnia frustra. constans enim in doctrina Christi erat. Vnde tandem 5 die Septemb. Anno 1553 cum alijs quibusdam hominibus, qui etiam religionis nomine capti fuerũt, in templum S. Mariæ de Minerua ductus, ut reuocarent, aut exurerentur. Sedebant sex Cardinales cum iudice in altis subsellijs. Domínicanus etiam ante cœptum iudicium pro cõcione in eos inuectus iudices exacerbauit. Stabant miseri candelam ardentem in manu habentes. Metu quidem mortis alij reuocarunt. Sed Iohannes cum textore quodam Perusino manserunt constantes. Habuit tum Iohãnes sermonem seuerum lingua Italica, qua articulos fidei sacris literis cõfirmauit. Dicebat etiam Papam nõ esse Petri successorem aut Christi uicarium, sed uerum Antichristum, & eius sectatores meretricem Babylonicam. citabat etiam eos ad tribunal Christi, atq; ardens lumen in medium ipsorum proiecit. Irati ergo illi ad ignem damnarunt, & statim abducendum clamitant. Sic ad cãpum Florianum educti hilares & constantes manserunt. Ibi textor primo suspensus. hoc cùm uidisset Iohannes monuit carnificem ut suum officium citò exequeretur. statim autem animum resumpsit, atque populum hortatus est ut sibi ab idololatria caueat, & Christum saluatorem unicum amplectatur. hunc enim unicum esse mediatorem Dei & hominum. tandem animam suam Deo commendans primò suspensus postea uerò exustus est. Iudicia uaria populi secuta, alij enim hæreticum, alij uerò pium hominem esse testantes. *Mõtilcini martyrium.*

Duo Monachi Romæ occisi.

DVo præterea Augustiniani monachi de Lutheranismo suspecti, Romæ in cellis inuenti sunt præcisis capitibus, & linguis exectis: tanta tum fuit aduersariorum crudelitas: reprehenderant autem hi luxum tantùm Cardinalium, id quod testatur Iohan. Manlius in dictis Philippi Melanchtonis.

GEORGIVS FORCHEMIVS Erphurdiæ ob diuinum Verbum ueneno sublatus: de cuius obitu sequens Elegia extat.

TEne alia sæui poterant ratione Tyranni
Tollere? tu ne adeò sic rapiendus eras.

Sic te conuictum damnari, fata Georgi?
Mobilis an uulgi carnificina uorat?
Tanta tibi probitas ne capax Erphurdia, nullus
In te corrumpi teſtis ut ære queat?
Cuius in arbitrium totius ſententia uulgi
Tranſeat, ut ſonti dixerit ille diem.
Quò tibi diuitiæ? quò uaſta potentia uergit?
Non poſſe hoc empto perdere iure caput?
Iniuſtè multos antehac tu proditionis
Damnaſti, multos atq; latrocinij.
Forchemij mirer ne pari ſi lege necetur:
Sed miror cæcos execror atq; dolos.
Sunt qui poſtica uendant mercede nocentes
Indigni aduerſis ſe exhibuiſſe genis.
Exploratori ſi ſunt ſua præmia cæco,
Quin fingit, ne queat ſi reperiere ſcelus?
Inter tot fraudes, inter tot crimina, ſi non
Inueniat fraudem, reperiát ue ſcelus.
Cur non immerito parcis, ſi parcis iniquo?
Sed conniuentum eſt has uariare uices.
Pontifices aliquo prætexunt nomine culpam,
Innocuum Solymis qui rapuere Deum.
Cæſarium, regem quem dici, offendere honorem,
Maieſtas illo crimine læſa fuit.
Templa ſoluturum, uiolataq; ſabbatha, cœlo
Iactatum æterni ſemen adeſſe patris:
Nominibus poterat damnari quilibet iſtis,
Ecquid in inuiſum non habeas hominem?
Vt defendatur cæſi mala cauſſa moloſſi,
Arguitur corium nempe uoraſſe tenax.
Paſſurum uates ſiluiſſent talia Chriſtum,
Cenſeri mortem commeruiſſe queat.
Finge ſcelus, teſtes corrumpe, ipſumq; tribunal
Fors qui commendent unus & alter erunt.
Cùm uerò exacuis ueneto tua ſpicula ferro,
Latronisq; modò tale tegis facinus.
Eſſe ream quis te, non ſontem hunc eſſe negabit?
Ambiguum poteras fallere iudicium.
Gaudes ſed ueteri duram te accingier arti,
Quæ læſit ſi te fors medicina iuuet.
Olim qui uaſtam flammis tibi uerterat urbem,
Non poterat magno ſat redimi precio.
Vnius & tanti redimebas effera mortem,
Quanti ad eum puto te uix ualuiſſe diem.
Scilicet ultrices Romano à præſule flammas
Emiſti, qui nunc toxica ſæua dedit.
Tali pontifices gaudebant funere & igne,
Vendebant Sacram qui tibi (ſtulta) necem.
Sed tibi cùm Præſul fraudem concedat apertam,
Atq; hoc more ſuo uis tibi Roma ſinat.
Cui uis quod libuit, quod ſi quis credere nolit
Sanctum, perpetuum. proneget eſſe Iouem.

Tu ne trucidandi cæcas mquiris in artes?
Tanquam in toto iuris in orbe foret.
Forte sapis quum non uili tibi constitit ista,
Erga hoc donatam te, tibi, morte placet.
Viderat abductam longis erroribus urbem
Forchemus, tutum nec satis esse gregem.
Quem nusquam pasci, nullo custode teneri,
Sed uesco sæuos undiq; adesse lupos.
Tum Speculatores populi cessare Prophetas,
Qua maior nunquam pestis in orbe fuit.
Officiumq; sacerdotis primum esse docere
Ista pium mordet maxima cura uirum.
Non igitur precio non commoditate locatus,
Sed tibi commisso prædicat officio.
Quotidie certam populo condixerat horam,
Ad uerbi semen qua rude uulgus eat.
His accensa super proprij studiosior usus
Turba sacerdotum, turbaq; pontificum.
Pocula Romana prudenter temperat arte,
Quis hospes simplex inficiendus erat.
Quem lentum in medio rumpat sermone uenenum,
Dicatur præsens ultio ut esse Dei.
Sed pia defraudant authores phylira scælestos
Dum rapiunt tempus præueniuntq; suum.
Ante diem sic iustus obit iuuenilibus annis
Ad populum per quem Christe docendus eras.
Sed non totus obit, qui eadem uestigia calcent
Linquit, & euentum qui cupiant similem.
Hoc passim desiderium pro nomine Christi
Feruet, & hac multis morte perire placet.
Hæc est diuini reuerenda potentia uerbi
Augeri inuitis, atq; iuuare pios.
Ni medio granum frumenti corde fatiscat
Non poterit lætum tollere spica caput.
Apparent tumidis lætalia toxica uenis,
Nec factum quisquam tale negare potest.
Non prudens factum physicorum turba negauit,
Sed factum iuuenis tu uerecunde negas.
Cœlesti frueris, functus mortalibus, aula
Conuertiq; reos ad meliora petis.
At capiti interea cineres Erphurdia tristes
Spargas, & tanti pœniteat sceleris.
Sed nil peccauit, uacat & plebecula culpa,
Et rude quid uulgus commeruisse potest?
Pontificum inuidia cuncti periere Prophetæ,
Pontificum inuidia tu quoq; Christe peris.
Ergo sacerdotum scelus ablue cede tuorum
Tantum induxerunt hi tibi nanq; malum.
Ira correctum quæ desperamus, iniqua
Vltisci summo nempe subire Ioui est.

Zelus pietatis in Nostris.

Verus Ecclesiæ Nostræ cultus.

GVLIELMVS NEEL *Augustinianus Monachus Aurinci martyrizatus* 1553.

Zelus pietatis in Neelo.

PRæter cæteros præstantes pietate uiros, qui fidelibus Northmaniæ cùm doctrinæ syncerítate tum uitæ integritate præluxerunt, egregius extitit Dei seruus Gulielmus Neelus: qui sectæ antea Augustinianæ monachus, posteaquã cognitione ueritatis donatus fuisset, non destitit omnibus quibuscũque ieríposset modis docere atque promulgare Euangelíũ Filíj Dei. Quodã itaque die Rothomago, cuius urbis ciuis erat, discedens, transijt per oppídum Aurincense, quucmq; uenisset ad pagum quendam cui nomen erat Nonancurtum, in diuersorium se recepit ut uires cibo atque potu reficeret. ibi reperiens plures sacrificos qui se uino ingurgitabant, multaq; indecorè effœminateq; fecerant: hos beneuole reprehendit atq; instituit, quemadmodum passim per hospitia ipsum feciſſe constat. Quum autem uideret ístos sacerdotes adeò impunè metas honestatis transilíre, nõ solùm mores eorũ impuros, sed etiam doctrinam insectatus est. Quod ægreferens Decanus Illierensis qui aderat, dictus uulgò Legoux, hunc mox cõprehẽdi iussit, Aurincũq; deduci: quo in loco in carcerem Episcopi coniectus fuit, atq; de fide primùm interrogatus per Pœnitentiarum Aurincensem M. Simonem Vigorem, hominem eruditum: qui líbros eorum qui purè de religione Christiana scripserũt, legit. sed uarijs tũ honorum tum pecuniæ studijs distrahitur: nec tamen ueritatis hostis aut persecutor haberi nec dici uult. Neelus corã hoc pœnitẽtiario ueritatem cõfessus est nõ modò in omnibus articulis qui proponebãtur: uerumetiã eos quos Papistæ mordicus defendunt authoritate Scripturæ cõfutauit. idq; toto Quadragesimæ tempore singulis ferè diebus fecit, quo quidem tẽpore Pœnitentiarius ille, animũ Neeli uarijs disputationibus labefactare studuit: sed frustra tamẽ: nam iste constanter usq; in finem ueritatis partes tuitus est. Sepenumerò Pœnitentiarius eum monebat, & blandè admodum hortabatur ut se reuocaret, uitæ incolumitatem illi promittens. Cùm disquisitioni interesset aliquando Episcopus Aurincensis, nec apud Neelum proficeret quicquã Pœnitentiarius: Mi amice, aiebat hic, caue uerbo ullo tuam conscientiam læseris. Tandem post multas percontationes (ut tergiuersationis & fuci quo Pœnitentiarius ueritatem occultare conabatur, ansam tolleret) Neelus postulauit sibi dari potestatem mandandi chartæ quicquid de religione sentiret. Pœnitentiarius non recusauit, sed illi certos dies præscribi optauit quibus suam sententiam de religione describeret. Neelus itaque hanc nactus opportunitatem, diligenter præcipuos articulos de quibus antea disputatum erat, papyro commisit. Ac primùm de Sacramento altaris, quod uocant, interrogatus scripsit in hanc rationem.

Cõfessio Neeli.

Vera Cœnæ institutio est eiusmodi: Iesus Christus accepit panem, eundemq; fregit, & postquam gratias egisset, dixit, Accipite, hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. facite hoc in mei memoriam. Itidem de calice dixit, Prehendite, sumite omnes: hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, Horum uos uerborum expendere oportet uim atque dignitatem. nam quò maior ac præstantior res est, eò curandum est diligentius ut integra & syncera coseruetur néue quo modo corrumpatur. Iesus autem instituit & dedit Ecclesiæ conseruandum sacramentum, ut meminerit sese redemptam à morte peccati per sacrificium corporis illius: quemadmodum ait Apostolus quod seipsum obtulerit semel, nec amplius morietur. Consideremus igitur hæc attẽtius, ut in memoria habeamus,, eũ effudisse suũ sanguinẽ, quem obtulit Deo Patri in remissionẽ peccatorũ Ecclesiæ suę semel: ut in perpetuũ eã saluã faceret. In hac sacra Cœna Christ⁹ se magistrũ, Ecclesia uero an-

uerò ancillam exhibet: nimirum ut palàm fiat ei deberi obedientiam, & quicquid præceperit præstetur. ut par est magistrum imperare, seruum parere et facere quod ille præceperit. Deinde idem Christus se sponsum Ecclesiæ declarat, quam singulari ductus amore sponsam sibi asciscit legitimam: officium autem fidelis sponsæ est cõsentire, & quod sponso placuerit præstare ipsa debet: alioqui non rectè fidelis, humilis ac docilis, sed cõtrà fœdifraga, superba & cõtumax iurè dicetur. Præterea Christus hac in Cœna patris officio fungit, quòd est alere suos filios: dum scilicet corpus & sanguinem (quorum symbola sunt panis & uinum) præbet, qui cibus est incorruptus atque æternus. Dictum est quòd acceperit panem ac uinum, dicendo, Hoc est corpus meum & sanguis meus, comedite, & bibite omnes: quibus uerbis instruere uoluit suos discipulos quorum ignorantiam & tarditatem ingenij probè callebat. quos quum ea quæ carnis sunt saperent magis quàm quæ Spiritus, cùm sæpe aliàs reprehendit, tum etiam quum loqueretur de cibis: ea nempe quæ per os intrant nõ inquinare animam. præterea quum similitudinem serentis & alia ipsis ob oculos poneret, quæ capere non poterant. nec reuera fieri potest ut qui sumus animales, spiritualia intelligamus, nisi Deus qui Spiritus est, mentis oculos nobis aperiat ut ea quę spiritus sunt dignoscamus. quod satis liquet exemplo Nicodemi qui licet insignis nomodidascalus esset, tamen uerba Christi percipere nequiuit, Quòd qui regnum cœlorum ingredi uellet, eum iterũ nasci oporteret. Dominus itaq; imbecillitatis nostrę rationem habens, in Cœna sua proponit ea quæ & oculis uideri & manibus tangi queant, ut nobis det notitiam rei quæ uisu minimè percipitur, quæq; in animis nostris habitat, animasq; nostras nutrit, corporis scilicet & sanguinis sui, quæ nullis externis sensibus, sed spiritualiter tantùm percipi possunt. proinde omnino uiua fide opus est: alioqui non uita sed altera mors est. Nunc autem uideamus quomodo Christus se Magistrum, Sponsum et Patrem exhibeat his uerbis, Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Quicunque Christi seruus obsequens & discipulus, filius aut uxor esse uult, necesse est sumat, comedat corpus eius, & sanguinem eius bibat. non quidem ex opinione Scribarum & Pharisæorum ut dentibus conterant, atque in stomachum traijciant, quo modo caro edi & uinum bibi solent: de quo postea latius. nunc autem studiosè dictum & præceptum Iesu Christi inspiciamus, ne fortè quis hallucinetur: Christus exhibens panem, demonstrabat corpus suum panem esse cœlestem qui solus animas pascit, ut panis materialis corpus tantummodò nutrire potest: præbens deinde uinum, significabat sanguinem suum esse potum animæ laborantis siti quã ex æstu peccatorum contrahit. sanguis enim Christi reficit nos & recreat, dum peccatum pellit, animam accendit bono zelo & affectu, haud secius quàm uinum sitim restinguit, corpusq; totum calefacit, oblectat atq; firmius reddit. Hæc autem nobis in animo cogitanda sunt, quando panem & uinum in Cœna nostris oculis cernimus: quibus indignè uescimur, nisi erigamus mentem ad ea quę nobis offert Christus, corpus uidelicet & sanguinem suum in pastũ spiritualem. nec enim anima eo quo corpus nostrum pane materiali sustẽtatur, quoniam ipsa spiritus est. Iam dixi Christo parendum ob causas suprà dictas, qui ait, Accipite, comedite: non autem, Prehendite corpus meum & ex eo sacrificium facite ad remissionem peccatorum, ac deinde ipsum comedite: id profectò ueteres Legis ceremonias referret: quum Presbyteri & Sacrificatores oblatas Deo uictimas quasdam edebant ipsi, alias adolebant, nonnullas dimittebant: in quo figura extabat sacrificij quod Christus corpore suo fecit ad plenã atq; perfectam omnium fidelium salutem. & quia sacrificiũ, quod Christus semel fecit, æternum est, quo seruat electos non in hoc seculo tantùm, sed in uitã æternam restituit: Christianorum est accipere, comedere, nõ autẽ offerre: siqui-

dem Christus seipsum obtulit, qui non corpus nostrum et uentrem sed animã pascit, proinde talem ipsum comprehendamus qualem se nobis prẽstat, & ne fraudemus spiritum suo pabulo quod fide sumit. Commendemus autem animam cum corpore Patri per dilectum eius Filium qui suo sacrificio semel plenè ei satisfecit pro omnibus peccatis nostris, quorum non recordabitur in æternum. nam accepto hoc sacrificio, nos simul pro iustis in gratiam recepit, adeò ut Christus cùm corpus suum & sanguinem dedit quo nos reficeret, sua & se totum nobis tradiderit qui peccatorum nostrorum reatum subijt. Itaque ipse qui iustus est, ac gratus Deo Patri suo, nos quoq; iustos & acceptos Deo Patri suo & per eundem nostro, effecit: cui gloria & honor in secula, Amen.

De Cœna. Rogatus fuit an non crederet corpus Iesu Christi esse in sacramento altaris realiter & uerè quemadmodum prodijt ex utero Virginis Mariæ, & postea in orbe concionatus est, idem qui comedit & bibit in Cœna, deniq; qui in cruce pependit: ánne eo modo diceret in sacramento sumẽdum? Ad hoc ille respõdit se nulla ratione induci posse ut ita crederet. id enim planè Scripturæ ac fidei repugnare, in qua habemus Christum natum, de Virgine, ubera matris suxisse: atq; dum concionaretur, passum est famem sitim, calorem, frigus. tum etiam maledictioni crucis fuisse obnoxium, quia mortalis erat, nec adhuc resurrexerat. In hoc statu dum adhuc esset, nos etiam in morte manebamus: quã doquidem ut nos è faucibus mortis eriperet uitæq́ue restitueret, mori ipsum atque superata morte in uitam excitari oportuit. horrenda igitur hæresis est, quòd ita corpus Christi comedendum asserítis. Atqui si uerum prædicaretis, error esset manifestus, quia eum mortuum & resuscitatum credimus corpore nunc immortali & glorioso frui. Confiteor quidem, inquit, ipsum in cœlis ad dexteram Dei Patris idem habere corpus quod è Virginis utero extulit, immutatis tamẽ corporis qualitatibus, nec enim corpus comedimus quale sumpsit in utero Virginis, sed quale nunc residet ad dexteram Dei Patris: alioqui nullum esset in Ecclesia Sacramentum. nec enim Cœna nec Baptismus sacramenta censerentur, quorum uis omnis & efficacia in sanguine, morte, & resurrectione Christi sita est. Proinde ipsorum opinionem dicebat merum esse Sathanæ commentum, eiq; se, quia pater est mendacij & omnis maledictionis, nullo pacto fidem adhibiturum.

De purgatorio. De purgatorio autem sic respondit, se ad extremum usque Spiritum constiteri ac tueri uelle sanguinem Christi pro nobis effusum, solum et perfectũ esse purgatorium, qui purgat filios Dei ab omnibus iniquitatibus. idq; probabat locis Scripturæ ad Hebr. 1.5.6. & Canonica Iacobi, ostendens Christianum simulac ex hac uita migraret, omnibus iam purgatum ac liberatum cruciatibus rectà ingredi requiem quàmprimum anima ex corpore discessit. scriptum est apud Ezechielem, Quo loco arbor ceciderit, in eo etiam manebit, id est, Si homo in gratia Domini non moritur, manebit in loco omnis gratiæ experte, inferno uidelicet. nam gratia Dei, inquit D. Paulus, salui estis per fidem: donum Dei est. non operibus ne quis glorietur. atq; idem ad Titum, Secundum misericordiam suam nos saluos fecit. Deus autem nunquam misericordia sua respicit peccatorem, quin animã puriorem reddat. Quisquis ergo moriẽ gratia & misericordia Dei donatus, quum purus ac uacuus sit à peccatis, nónne salutẽ consequetur? nihil profectò certius. Recitantur apud Ioannẽ ipsa Christi uerba: Ego sum resurrectio & uita. qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & qui uiuit & credit in me, non morietur unquam. Iesus Christus hoc loco se profitetur esse resurrectionem & uitam, deinde proponit duo genera mortis, unam corporalem alteram æternam. Ac quum se resurrectionem esse fatetur, non de generali loquitur qua omnes ad extremũ iudicium resurgent: nõ quidem ad

dem ad uitam uniuersi, quia reprobis qui morte perierunt æterna nulla uitæ spes est reliqua. Sequitur ergo, uerba Iesu Christi referenda esse ad eum qui in uiua fide moritur, quem ipse post hanc mortem corporis traducit in uitam æternam, quod quidem ipse declarat, quum dicit, Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit uiuet, adeò ut mortuo corpore, spiritus uitæ initium faciat. quæ uita haud dubiè æterna est, in qua Purgatorij nullus metus erit. nam id ipse pòst testatur, Qui uiuit & in me credit, nõ morietur unquam mortem alteram, quę est inferno. In eodem Euãgelio recitatur, quòd quisquis credit in Filium Dei non uenturus sit in iudicium, sed à morte in uitam transibit. Constat his locis, credenti post mortem nullum usquam restare Purgatorium. nam si, etiam dum hac luce fruitur, uita donatur æterna: plena sanè fruitione doni sibi à Christo in hac terra promissi potitur, postquam anima ex hoc corpore euolauit. pijs enim, ut patet ex hac Christi oratione, mors corporis tantummodò transitus est ad uitam. Huc spectat illud Apocalypseos, Beatos esse qui in Domino moriuntur, de fidelibus nimirum loquens, quos solos uita manet æterna. quotquot ergo priuati ea beatitudine aliò concedunt, miseros atq; infelices esse oportet.

Cæterùm quum nos à peccatis solo Christi sanguinè purgari affirmo, non eximo planè Christianos ęrumnis in hoc mundo ferendis. Iustus est enim Dominus simul & misericors. Si iustitiam ipsius spectemus, omnes merito peccatorum nostrorum, deuoti sumus exitio, sed misericordia qua liberè cuius uult miseretur, mutat ęternas pœnas leuioribus in hoc mundo plagis. idqúe exemplo docemur Dauidis, qui commisso adulterio se morti æternæ obnoxium reddiderat. iuxta illud, quòd nec adulteri nec fornicatores unquam regni cœlestis hæreditatem accipient: attamẽ Dauid haudquaquam damnatus est, sed misericordia Dei absolutus atque seruatus, qui illum pœnis temporarijs affecit, ut æternis liberaret: Hinc dolores & angustiæ graues quas tulit mortuo infante: Et aliàs ob delictum suum ingens populi ipsius multitudo peste interijt. Idem in alijs seruis Dei perspici potest, quos uarijs miserijs exercet prout ei uisum fuerit. Igne afflictionum eos uelut in fornace refingit, deqúe ijs sic experimentum facit. Atque Dei nostri & Patris amor erga nos singularis in eo spectatur. castigat enim (ut scriptum est) quos amat: nimirum ut sentientes ferulas, contrito atque humili corde ad ipsum redeant & misericordiam ipsius implorent. Itaque quum eos uidet tristes & dolentes ob delicta, protinus omnium iniquitatum ipsorum obliuiscitur: imò in memoriam deinceps non reuocat, quemadmodum ipsemet per Prophetam testatur. Quod ad filios Dei attinet abiectos & contritos, certum est eos moriẽdo uitam æternam possidere. quare bono iure Dauid omnes beatos prædicat quorum remissa sunt peccata: & alibi quoq; meritò beatum censet eum cui Dominus non imputauit peccatum. Dauid his locis de beatitudine loquitur non quę à leui spe & promissione fallaci pendet: sed eam affert felicitatem, quam homo cõtritus atq; humilis adipiscit mox ut ex hoc corpore discesserit: quippe qui merito Iesu Christi omnibus pœnis quæ post hanc uitam impios manẽt, exemptus est. Christus enim, ut inquit Paulus, iustitia nostra est quæ nos iustos facit, nostra sanctificatio & redẽptio. adhæc ut Propheta ait, Iustus ex fide sua uiuet. proinde cùm iustus sit & in hoc mundo uiuat, nónne relicto mũdo uitam uicturus est longè perfectiorẽ? Id sanè nemo negare potest quin se professum ueritatis hostẽ declaret. Postremò huc sermo redijt, ut dicerẽ me tãtùm in sanguine Iesu Christi purgationẽ quærere, quia id mihi profectò maximè idoneũ censerẽ purgatoriũ: eo qui uti nolet, ualeat. hic mihi obiecerunt aduersarij ut suũ astruerent purgatorium, locum ad Philipp. Omne genu flectitur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. atq; ibi infernum accipi pro ipsorũ purgatorio uolebant:

uerùm

uerùm id nequaquam ipſis conceſsi. nam ibi Paulus nõ de illo purgatorio ſermonem habet: ſed egregiam Chriſti gloriam diuinis laudibus proſequitur, & triumphum canit quo ille potitus eſt per mortem crucis: adeò ut omnis creatura Angeli ſimul & homines, atq; etiam inferi, qui ſunt ipſi diaboli, cogantur confiteri Ieſum Chriſtũ propria uictoria ad cœlos aſcendiſſe, atq; nunc regnũ gloriæ Dei Patris ſui poſsidere noſtro nomine, quia carnẽ noſtram quã aſſumpſit, eò extulit. Quo circa neutiquã dubitare debemus quin ſalui futuri ſimus, modò uiuam fidem retineamus: ſiquidẽ ille conſcientias noſtras ab omni peccato purgauit: cui honor & gloria ſit in perpetuum, Amen.

Dictum illud Auguſtini, quòd ſcilicet non crederetur Euangelio, niſi Eccleſia illud pro Euangelio recepiſſet: inter alias quæſtiones ei propoſitum fuit, ut quid de eo ſentiret intelligere poſſent aduerſarij. Ipſe uerò in hanc rationem reſpõdit, Ea eſt Euangelij uirtus & dignitas ut omnium creaturarum cœleſtium ęquè atq; terreſtrium adminiculis facilè carere poſsit: idq; propter admirabilem potentiam qua repletum eſt. in eo namque reconditi ſunt theſauri atq; diuitiæ Dei: ut ſunt promiſsiones de remiſsione peccatorum, & de quiete æterna per eiuſdem miſericordiam nobis factæ. Quòd ſi fide non ficta Euãgelium iſtud ſanctum pro Euangelio ſalutis, ut reipſa eſt, amplectamur, non reperietur alibi euangelium quod ſeruet animas, quæ eſt potentia huius Euangelij, ut teſtati ſunt Sanctus Iacobus, Sanctus Paulus, & Sanctus Petrus: in quibus nulla erat authoritas, uirtus neque dignitas antequam à Chriſto uocati eſſent. nam miſeri piſcatores erant, nullius exiſtimationis homines, utpote idiotæ & literarum imperiti. Poſtquam Deo uiſum eſt eos uocare ut pro Apoſtolis haberet, tum in magnam dignitatem & potentiam Euangelij ſui uirtute euexit, conſtituens eos legatos & præcones ad publicandum nomen ſuum per uniuerſum orbem terrarum, cum mandatis iſtis, Ite & prędicate Euangelium omni creaturę: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, et qui nõ crediderit damnabitur. Videtis igitur ad quem dignitatis gradum peruenerint Apoſtoli per Euãgelium. nam in hoc Spiritum ſanctum Dominus ſemel ſub uiſibili ſpecie linguarum ignearum diſſectarum, iis contulit, ut per omnes populos diſpergerent quod ipſis traditum fuerat, atque in beatam unitatem homines huc illuc palatos reuocarent. Nec uerò aliud ipſos per orbem docere uoluit Chriſtus, quàm Euangelium quod eſt uerbum Dei Patris ſui: dicẽs, Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto uos. Apud Eſaiam certum extat de Chriſto miſſo teſtimonium ubi ſic loquens introducitur, Spiritus Domini ſuper me, & me miſit ut euangelizem pauperibus. eadem ratione de Apoſtolis apertè habemus Chriſti mandatum, Ite & publicate Euangelium omni creaturæ. Atque ex Euangelij doctrina conſtat penes ſolum Deum eſſe, remittere peccata: qui ſic per os Prophetæ ſui Eſaiæ de ſe ipſe loquitur, Ego ſum qui deleo iniquitates propter me, nec eſt ullus alius. item Sanctus Ioannes non recitat Scribas & Phariſæos unquam eò arrogantiæ ueniſſe, ut dicerent ſe remittere peccata: quin potius cum indignatione ita exclamaſſe: Quis nam peccata condonat niſi ſolus Deus? non eſt igitur in homine ſitum remittere alteri delicta. nam quod Chriſtus ait diſcipulis ſuis: Quicquid ſolueritis ſoluetur, quod que ligaueritis ligatum manebit, id potentiæ uerbi diuini ipſis commiſsi attribuendum eſt, in quo uerbo ſalus & uita conſiſtit. Neque enim legimus Petrum aut diſcipulorum aliquem antequam ad munus Apoſtolicum uocati eſſent, miracula aut ſigna edidiſſe, ſed tum demùm cùm à Domino authoritas ipſis data eſt prædicandi Euangelij ubique gentium. id que publicè & apertè, uel (ut eſt apud Matthæum) ſuper tecta: non uerò tectè aut in aurem, quomodo ſacrificis confeſsio inſuſurratur. Euangelium enim ad communem omnium ſalutem datum eſt. proinde liberè & palàm illud profiteri debemus

Apoſtolorum miracula quãdo cœpta.

debemus, ubicunque terrarum degamus. Veritas autem uerbi Dei facilè perspicitur ex sermone quem habuit Petrus ad claudum illum ab utero matris suæ, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula: atque ita protinus factum est. deinde Petrus uidens populum attonitum, negauit claudum propria ipsorum potentia uel pietate ambulare, sed in fide nominis Iesu Christi (quem illi crucifixerant) stabilitas homini plantas. Idem de omni opere diuino quod Deus per ipsos passim fecit, semper testificati sunt Apostoli nihil sibi arrogantes, omnem uirtutem atque honorem Euangelicæ prædicationi deferentes. Quantum autem ab hac simplicitate absint ij qui se tamen istorum successores iactitant, satis omnibus notum est. nam quod illi dicunt, Non crederem Euangelio nisi ecclesia Euangelium recepisset: hæc uerba profectò abundè declarant eos sibi plus potentiæ ascribere quàm uerbo Dei. imò hac oratione profitentur se id abolere posse, non secus quàm si dicerent, Nos sumus Ecclesia, quod si nos Euangelium reiiceremus, iam Euangelium esse desineret. Quod planè repugnat confessioni Apostolorum qui nihil à se, utpote miseris hominibus profectum aiebant, sed nomini Iesu & uirtuti doctrinæ sibi commissæ omnem laudem atque honorem rei gestæ tribuebant. Ea quidem integritas fuit confessionis Apostolorum, qui merito primitiua Ecclesia censentur: quorum cætu, accepto iam Spiritu sancto, nullus unquam fuit sanctior nec perfectior. Illi autem nihil noui aut de suo protulerunt, sed tantùm Euangelij doctrinam populis proposuerunt. erant enim præcones Spiritus sancti, quo duce agebant omnia, quoque dirigente linguas ipsorum, loquebantur: quemadmodum Lucas in actis ipsos dixisse refert: Visum est Spiritui sancto, ac nobis. Particula autem hæc nobis, Nequaquam arrogantiam ipsorum notat: sed contrà egregiam humilitatem significat, quasi dicerent: Visum est Spiritui sancto, & nobis qui nos totos uoluntati eius accommodamus, eiusdemque instinctu loquimur. Nam si uirtute propria locuti fuissent, non congrueret uerbum illud Christi de ipsis pronunciantis, Non estis uos qui loquimini, sed Spiritus Patris mei qui per uos loquitur. Rectè ergo sequitur eos omnem authoritatem uerbo Dei quod ipsis per Christum traditũ erat, attribuere. nec sanè proiiciunt eiusmodi ampullas, Nisi nos qui Ecclesia sumus, Euangelium recepissemus, Euangelium nullum esset. attamẽ sacer ille Apostolorum cœtus omnium extitit perfectissimus, à quibus nihil unquam dictum aut scriptum est quàm uerbum utiæ atque Euangelium salutis. Quòd quidem uerè dici non posset de ijs qui tam prophanè de Euangelio garriunt, etiamsi multùm absint ab authoritate qua pollebant Apostoli. Si quid est in Ecclesia Iesu Christi potentiæ, id uerbo Dei acceptum referri debet, quæ unica clauis claudit ac recludit regnum cœleste ijs qui illud aut recipiunt aut repudiant. Nullum etiam Ecclesia telum habet quo sese defendat quàm idem uerbum Dei: ideoque Paulus Corinthijs scribit, arma nostra non carnis sed spirirus esse: atque in epistola ad Ephesios, militem Christianum gladio salutis accingi iubet, quod est uerbum Dei. Cuius rei ratio redditur in epistola ad Hebreos nempe quod uerbum istud sacrosanctum aciem habeat exactiorem quantumuis acuta bipenni. idem est culter quem Deus Hieremiæ tradidit, ardens uelut igneus carbo: quem & Esa. in ore gestit utrinque incidentem. Os nimirum illud & sapientia qua Christus Apostolos suos muniuit ad superandos omnes aduersarios, qui ipsis neutiquam potuerunt resistere: ut constat exemplo Stephani πρωτομάρτυρος. idemque ratum & firmum manebit in omnibus ijs qui hac doctrina Euangelij instructi, nomen Iesu Christi confiteri, causamque eius susceptam defendere uolent. Verbum enim Dei sceptrum est quo Dominus Deus omnipotens Ecclesiam suam gubernat: pabulum quo oues suas pascit: idque nunc facit operа fidelium ministrorum qui

Ecclesia regitur Verbo Dei.

rum qui tantum hanc sapientiam Dei prædicant. Quocirca Diuus Paulus ad Ephesios secundo capite, dicit fundamentum Ecclesiæ esse doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Antichristi uero & administrorum eius ecclesia mendacijs scatet, calliditatum & fallaciarum omnis generis plena: quæ cùm destituta sit uerbi Dei regimine, nihil sani habere potest. Neque enim usquam salus reperitur quàm in uerbo Dei. Vnde tanta in ecclesijs malignorum crudelitatis, superbiæ atque inhumanitatis exempla, ut sunt in ueteri testamento, Cain parricida, Isabel prophetarum cæde gaudens, sanguinis pij professor Manasses, & superbus Israelis persecutor Pharao? In nouo testamento, Scribæ & Phariſæi qui principem uitæ interemerunt, eiusque discipulos qui salutem ipsis annunciabant, odio sunt prosequuti? unde inquam? nisi quòd spreto uerbo Dei & excusso pietatis iugo, mendacio potius se addixerunt & patri eius Sathanæ turpiter seruire maluerunt. quod ita esse sacra nos Biblia passim docent, ac præsertim caput illud Ieremiæ uigesimoctauo? Quamobrem solo Dei uerbo unilico adhæreamus: qui præcepta eius obseruat, eum ipse pro fideli seruo habebit. In hac ego doctrina permaneo & mori in eadem sententia non recuso, sciens quòd Deus me non deseret. idque propter nomen suum, & honorem charitatemque Filij sui dilecti, quem nobis dedit Saluatorem ac redemptorem animarum nostrarum. cui gloria & honor in secula, Amen.

De Ieiunio. Ad quæstionem de ieiunio & certorum ciborum abstinentia sic dixit Nelius, Ieiunium quidem bonum & sanctum esse, non illud quod certorum dierum spatio ab Antichristo circunscriptum esset: sed de quo Christi mandatum habemus, Cùm ieiunaueritis, et cætera: quod ad domandam carnis ferociam adhibetur, quò melius in seruitutem redacta carne, spiritus Deo obediat. Neque uerò consistit modò in cibi & potionis abstinentia, neque opsoniorum delectu: sed ut recte istud colatur, requiritur uitæ integritas, sobrietas non unius tantum diei, sed perpetua castitas, dilectio & charitas erga proximum, de quo bene Isaias, Frange panem esurienti, atque eos qui tectis carent in domum tuam recipe: ac tum sanctè ieiunabis, ieiunium q; tuum Deo gratum erit. Abstinentiam in ieiunio non improbamus, dummodo absit superstitio & abusus, quibus uitijs laborant ij, qui dum se ad ieiunia parant, cibis delicatioribus se ingurgitant, uina quærunt meliora, quæ non abstinentia sed uitæ ratio Epicum de grege porcis, (ut ait ille) digna est: quique inter cibos multum discriminis ponunt, quasi plus sanctitatis huic cibo quàm alteri insit. Nec enim, ut inquit Paulus ad Romanos, Regnum cœlorum in esca aut potu situm est. uesci licet cum gratiarum actione omnibus quæ Deus ad nutriendum nos largitur. præsertim cùm in Euangelio dicatur, Quod per os intrat, non inquinare animam. Omni itaque errore remoto uiua atque efficaci fide credere oportet, uictum ad sustentandum corpus necessarium à Deo nobis datum, ab eodem quoque benedictum esse, nec uetitum esse quemquam cibum Christianis. Interea tamen, monente Paulo, cauendum est, ne is qui edit, præ se contemnat eum qui non edit, aut contrà. nam firmum imbecilli rationem habere necesse est ne ullam illi in uictus usu offensionem afferat: sciens quòd multò fuisset satius numquam carnem gustasse quàm eum perdere pro quo Iesus est mortuus. Vitæ itaque suæ quisque eum habere modum debet, ut omnia ad ædificationem proximi spectent: id quod tum demum efficiemus, si regulam in ueteri ac nouo Testamento nobis à Deo & Saluatore nostro præscriptam summo studio sequamur, quoniam fundamentum Ecclesiæ non est aliud quam doctrina Prophetarum & Apostolorum. *De Papæ authoritate.* De Papa ipsiusque authoritate rogatus, respondit solum Deum esse magistrum ac præceptorem, qui nec ignorare quicquam, nec in ullo falli posset.

posset. proinde nulli aut ignorantiæ aut errori obnoxium. Opera, inquit, eius à nemine reprehendi possunt, dum fecit cœlum & terram, & quæ in eis sunt: ac postremò hominem formauit ad imaginem suam ut præesset cæteris creaturis. cui etiam in paradiso iam lex à Domino data est, quum præciperet ei, ut omnem fructum paradisi liberè comederet, fructū uerò uitæ minimè: nā quocunq; die comederet morte mulctatum iri. Hac lege primùm Dominus hominem in obedientia maiestatis suæ continere uoluit. at homo sua conditione non contentus, Deo similis esse uoluit, actus spiritu ambitionis quò illum impulerat ingluuies. Ex hoc solo Adæ peccato tanta in totum genus humanum ingruit calamitas & maledictio, ut Iesum Christum, qui est Filius dilectus Dei Patris carnem nostram assumere atq; reatum pro nobis subire necesse fuerit, nam alioqui omnes nos exitio deuoti eramus. Atq; ea quidem ille nostra causa uolens ac libens præstitit: adeò ut maledictio illa crucis quam tulit, nobis in benedictionē cedat sempiternam apud Deum: & cuius antea eramus hostes nunc ab eo in gratiam recepti simus, quoniam Filius eius dilectus mortuus et resuscitatus est pro nobis, quos pro sponsa & grege suo habet. Attamē priusquam cœlos conscenderet, nobis uerbum suum reliquit, Euangelium scilicet, & post mortem Apostolorū constituit episcopos, pastores, doctores qui nos in doctrina Prophetarum & Apostolorum erudirent, et uitę integritate uiam rectam præmōstrarent. Ne uerò me quis hic loqui putet de cornutis aut personatis illis belluis: equidē episcopos intelligo ijs uirtutibus ornatos quas in ipsis requirit Paulus 1 Timoth. 2. Non nego tamen quòd Christus de Scribis & Pharisæis loquens iubeat fieri quæ illi dixerint, sed ea conditione ut sedeāt super cathedram Mosis. Cathedra autem Mosis est Lex: quā remotis alijs doctrinis tantùm concionari debebant. nam in hoc omnis populus cōueniebat ut ex lectione Legis sciret quid sibi faciendum esset: quod humanæ præcepti ones docere non possunt, quia in ijs Deus uoluntatem suam non declarauit. Atque ideo sancti prophetæ ut se uerè Dei seruos essē, nec quicquam ex suo ingenio exhibere populo profiterentur, eiusmodi ferè usi sunt loquendi formulis aut clausulis, Audite uerbum Domini: Hæc est uox Domini: Loquutus est Dominus: Sic dicit Dominus. Quos in hoc imitati sunt Apostoli, nec ipsi unquam aliquid de suo prædicantes, sed doctrinam tantùm Spiritus sancti proferentes: quod de ipsis testatur Iesu Christi elogiū, Nō uos ipsi loquimini, sed per uos spiritus Dei Patris mei. Vnde sequitur, successores Apostolorum, nisi doctrinæ eorum quoque acquiescant, aut si præter Euangelium ac uerbum Dei, aliud quippiam pronunciare audent, maledictos esse. Ac quisquis ille fuerit qui hoc pacto Christi & Apostolorum uestigijs non insistet, pseudopropheta & Antichristus iure uocabitur: etiamsi fuerit ipse Papa, non tamen Prophetis aut Apostolis maior aut sanctior censeri debet. Sed quicunque pios istos uiros imitatur tam in doctrinæ synceritate quàm uitæ sanctimonia, is demùm uerus Ecclesiæ pastor erit: alioqui dissipator potius: & uelut lupus inter oues. Haud quidem inficior quin sit penes Christi ministros qui purè uerbum Dei annuntiant, populo imponere ieiunia, iniungere preces & eleemosynas ad obuiandum iræ Diuinæ quæ terris imminet tempore belli, pestis, famis atque aliarum plagarum Dei. Cæterùm leges sancire perpetuas ijs nusquam concessum legimus, idque non fieret sine superstitione & abusu: atque adeò idololatria non carerent. De traditionibus uerò humanis sic locutus est, angeli, inquit, ipsi qui Dei trono astant ut ad nutum illi seruiant, quique uirtus Dei in Scriptura uocantur, creaturæ eius omnium excellentissimæ, in hoc toti ut uoluntati Dei obsequantur, missi ad præsidium eorum quos Deus ad hæreditatem beatæ immortalitatis prædestinauit, ut est in epistola ad Hebręos nunquam de suo quicquam hominibus

De traditionibus humanis.

hominibus proposuerunt: Prophetæ deinde excellentia post illos secundi, os Domini appellati, nihil unquam ex se commenti sunt. Christus etiam ipse qui hos secutus est, hoc pacto loquitur: Doctrina mea nõ est mea, sed eius qui misit me Patris. atq; id uarijs locis iterauit ipse qui exemplum sanctitatis erat, Filius nempe Dei uiuentis. Apostoli quoq; nihil præter doctrinam Euangelij sibi cõmissam prædicarunt: cuius ea est potentia & uirtus ut salutem afferat omni credenti. At Papa cum suis Prælatis uoluit sibi plus dignitatis uel authoritatis attribuere. qui maximis Deum contumelijs afficiunt, quò suas traditiones tueantur: adeò ut non modò nulla pœna in Papatu afficiatur, qui stuprum aut adulterium commiserit, sed etiam ab hominibus laudetur: uerùm si quis fortè buccellam porcinę carnis commederit die Veneris, aut crassos abusus eorum reprehenderit, continuò ad supplicium pertrahitur miser. Sed Dominus patiens ac lenis, qui nunc tacere uidet, aliquando eos coràm arguet. Nec tũc quidem erit locus excusandi sese quòd Patres suos secuti fuerint: maximã & prę-stantissimam mundi partem semper pro se habuerint: se nunquam induci potuisse ut crederent Deum uelle tantam hominum multitudinem in errore uersari. hoc autem prętextu deficere à uerbo Dei ualdè periculosum est. nam si in maiori numero populi consisteret salus, Scriptura mendax esset, quæ semper paucis hominibus aut uni aliquando familiæ, populi Dei uerum attribuit titulum: considera quæso, seriem omnium exemplorum ueteris ac noui Testamẽti, & reperies profectò à paucis ijsq; abiectis hominibus cultam fuisse pietatem: confer Abrahamum & Lotum cum Gomorrhæis ac Sodomitis: Aegyptiorum copias cum populo Israelis: Prophetas cum cultoribus Baal tempore Iesabelis: constabit pios semper fuisse exiguo numero si cum aduersarijs ipsorum comparentur. Veniamus ad initia & progressus Ecclesiæ sub nouo Testamento, quid Christus & Apostoli eius cum Scribis & Pharisæis, atq; infinitis aduersæ partis gentibus collati, erunt? Denicq; Filius Dei uiuentis hãc perpetuam Ecclesiæ suæ consolationem esse uoluit: quòd multi sint uocati, pauci electi, quos hac sententia insuper hortatus est ne ob exiguum numerum animis caderent, Ne metuas pusille grex, quoniam Patri meo placuit te donare hæreditate regni cœlestis. ac contrà *xi* Matth. Deo Patri suo gratias agit, quòd salutis documenta sapiẽtibus & magnis huius seculi non aperuerit, sed humilibus ac paruulis. præterea, quid aliud significat eiusdem concio de seminante ubi quarta demùm seminis pars in bonam terram cadit quæ ad frugem perueniat, nisi paucissimos saluos fore? Quapropter ne temerè multitudini fidamus: quin potius ad exiguum gregem Christi recipiamus, quem is morte sua reatu liberauit.

De templis. De templis quid sentiret rogatus, dixit Deum esse spiritum qui corpus ex carne & ossibus coagmentatum non habeat. proinde spirituali ratione colendum, teste Propheta Esaia, ubi sic ultimo capite Deus ipse loquitur: Quã domum ædificabitis mihi? nonne cœlum sedes mea, & terra scabellum pedũ meorum? Nullum sanè Deo commodum parari poterit ędificiũ, nisi ipsemet sibi struat: id quod efficit quando cor hominis uirtute Spiritus sui purum ac mundum reddit, ut illud subeat atq; in eo habitet: ac propterea Diuus Paulus fideles templa Dei uiuentis uocat, Si, inquit, aliquis templum Dei sanctum, quod uos estis, uastarit, Deus perdet eum. nam in eo uoluptatem capit, dicens, uersabor inter eos, & ero Deus eorum & ipsi erunt populus meus. Itaq; ne quis pro modulo ingenij sui maiestatem diuinam metiatur, sed rogemus Dominũ ut corda nostra purget, in ijsq; habitet, quod quidem pro suo arbitratu facit is qui inæstimabili potentia cœlum ac terram replet. Templorum uerò materialium usus erit legitimus, si in eo habeãtur pij cœtus ad uerbi Dei auditionẽ, sacramentorum Baptismi & sacræ Cœnæ perceptionem: ut dum ita concor-

diter in

diter in unum locum conueniemus per prædicationem Euangelij, quæ eius est uis, in mutua dilectione confirmentur fidelium animi.

Confessionem illam auricularem prorsus reiecit: reconciliationem autem fraternam de qua Diuus Iacobus loquitur, omnino dixit inter Christianos necessariam. nam nisi peccata (inquit) alij alijs ignoscamus, nō exaudiet nos Dominus, quemadmodum testatur quotidiana nostra oratio Dominica. atqui exēplo Dauidis soli Deo delicta confiteamur implorātes syncero corde eius misericordiam omnibus diebus uitæ nostrę, ut in æternum cum eo uiuamus, Amen. Ad percontationem de Missa in hunc modum respondit: Habemus in Scriptura omnia quæ ad salutē obtinendum obseruatu sunt necessaria. Vetus testamentum plenam nobis Dei uoluntatem duobus his præceptis comprehendit. primò, ut Deum amemus ex toto corde, anima, totisque uiribus. deinde, proximum ut nosmetipsos: omnē insuper detestans idolomaniā. Christus in nouo testamento suis mandat ut sese mutuò ament, diligant inimicos, precentur pro persecutoribus suis & ijs benefaciant, esurientibus cibum, sitientibus potum præbeant, præterea iubet nos simplices esse uelut columbas. prudentes ut serpentes: monet ut mansuetudinem atque humilitatem suā imitemur: discamus esse misericordes exemplo Patris cœlestis: thesauros in cœlis colligamus, pauperes scilicet & re & consolatione omnis generis iuuando, loculos nobis comparemus qui uetustate non corrumpātur: multaq; eiusmodi & uaria in Euangelio nobis à Filio Dei mandata proponuntur. Sed nusquam in sacris literis uel minima fit mentio Missæ. Proinde & ego illam repudiandam atque abijciendam censeo, contentus monitionibus alijs & præceptis ad uitam æternam comparandam necessarijs. Atque interea Deum orabo ut Legē suam mētibus nostris insculpat, ne fortè aliquid faciamus quod ei displicere queat. Hoc pacto in gratia Dei uiuemus, quæ anteponenda est tali mysterio abominationis, cuius Sathan inuentor ac fabricator extitit, eámque tradidit filio perditionis ad communē generis humani perniciem. *Confessio auricularis.*

Sententiam suam de uotis sic explicuit: Ingenium hominis pronum inclinatumq; ad idololatriam magis esse quàm ad ueram pietatē. propterea quicquid inde proficiscitur, uanum & impium esse: neque uerò nobis licere quicquam Deo promittere aut offerre, nisi id quod ipse in uerbo suo approbauit. Votum, inquit, quod omnes rectè nuncupare possimus, esset orare Deum ut nos in obedientia uoluntatis suæ retineat: renūtiantes nostræ quæ ad malum semper est procliuior. Idque Diuus Paulus multis locis declarat, dicens quod nos optamus ac uolumus bonum, præstare haud quaquam posse. Optima autem ratio & modus abnegandi nostri, ac deprimendæ uoluntatis propriæ, foret syncero corde, ut edocti sumus à Christo Domino nostro, dicere Deo, Fiat uoluntas tua: & cum uera animi testificatione nos ei soli uelle obsequi. nam quicunq; suam mentem sequi uolet, ridebit Deum quotiescunque hunc articulum recitabit. Nos, igitur nostráque Deo committamus. ab eo enim procidit omne bonum, is efficit ut uelimus & efficiamns pro bona uoluntate. Pareamus ei præcepto quod apud Mosen Deutoromij quinto capite scriptum est: Custodite & facite quæ præcipit Dominus Deus uobis: non declinabitis neque ad dextram neque ad sinistram: sed per uiam &c. *De Votis.*

Ad interrogationem de Peregrinationibus papisticis, dixit peregrinationem Christiano salutarem esse, uitæ in hoc mundo sanctimoniam patientiam, dilectionem, castitatē & charitatem. quia dū in hac terra peregrini sumus nemo exploratum habet quo die, quáue hora Dominus uenturus sit. Quod si temerè huc illuc concursando in orbe cuius ipse possessor est tempus inutiliter consumpserimus, opus Domini negligentes: rationem profectò eius ocij exiget non secus quàm princeps aliquis aut Rex in scurrā, uagum ac perditum *De peregrinationibus.*

ditum hominem per agros suos palantem animaduerteret. Quare rectà ad Deum accedemus,ut ab eo solo per fidem in Iesum Christum remissionẽ peccatorum & uitam æternam obtineamus: orantes eũ ut in extremo die nos in regnũ suũ recipiat.Interrogatus quænam ipsius esset de sacerdotio sententia, confessus est simpliciter omnes Christianos esse sacerdotes: idq́ue probauit hoc Pauli ad Romanos testimonio,Quòd Deus nobis dans Filiũ suum, omnia simul cum eo bona dedit: unde,inquit, liquet si hũc habeamus pro nobis, nihil deesse, neq; enim Filius est unquã absque Patre & Spiritu sancto,quando quidem hæ tres personę unum tantummodò constituunt Deum,unã uoluntatem,unam essentiam, unam potentiam, unam quietem ac uitam æternam.ipse cùm sit Deus, Rex & sacerdos, nos secum deos fecit & reges constituit ad fruitionem regni cœlestis in perpetuum. Assumpsit etiam nos in sacerdotes,ut grata faciamus sacrificia,offerẽdo corpora nostra,animas,& corda summissa & abiecta Deo Patri: quemadmodum epistola ad Romanos & Hebr. & Psalmi,istiusmodi sacrificij meminerunt. nõ loquor equidẽ de sacerdotio Romano, nec confundo hic admiuistrationem Verbi & Sacramentorum, ut dicam id omnibus commune officium, quod Pastoribus tantùm Ecclesiæ commissum est: sed de interiori quodam effectu & dignitate spirituali ueri sacerdotij ago, quod adepti sumus omnes per Christum, ut mactemus Deo Patri gratas uictimas: nosipsos scilicet, uitulos labiorum & cor contritum. Atq; hæc dignitas animos nobis addere debet,ut cũ fiducia impetrandæ ueniæ peccatorum ad Deum accedamus: certò etiam persuasi quòd uitę æternæ hæreditate donabimur per Christum Saluatorem nostrum, qui nos omnium bonorum cœlestium participes fecit, ut cum ipso in æternum uiuamus: cui honor & gloria sit in secula. Amen.

Causæ appellationis Neeli.

Postquam hanc fidei suæ confessionem manu sua subsignatã exhibuisset, administri Episcopi Auincẽsis toti in hoc erant,ut hos articulos & responsiones hæreseos (ut loquũtur) condẽnarent. Neelus quòd in carcere Episcopi asperius tractaretur, postulauit à Suppræfecto causarum capitalium (qui sępius ipsum inuisebat consolãdi gratia cum quodam aduocato, uir sanè timẽs Deum) ut ipsum ad custodiam Curiæ secularis, ut uocant traducendũ curaret. Quo audito, administri Episcopales mortis, & exaugurationis sententia cõtra Neelum tulerunt. At Neelus suasu amicorũ, sententiam eorũ ut abusiuam reiecit,atque ad superiorem iudicem appellauit.Rationes autem appellationis ut ipse scriptas reliquit, erant eiusmodi, quòd uocatus in cubiculum Episcopi Auincensis die Mercurij feriarum Pascæ *M.D.LIII.* dixit apertè Decani inquisitionem nihil omnino ualere: testimonia aduersariorum non esse legitima.Illinc deductus in prætoriũ Curiæ ecclesiasticæ,ut uocãt,Episcopus iussit Neelum in genua procidere, ubi tum reus dixit confessionem suam quam obtulerat parui non esse ponderis: uitam hominis multò pluris faciendam quàm pulli gallinacei. Attamen Episcopus nullam dictorum ipsius rationem habens, sed ualde irascens illi, Quoniam, inquit, in tua opinione obstinatus atque obfirmatus permanes, sententiam aduersus te pronuntiabo. Sed antequam uerbum ullum protulisset Episcopus, ipse reus dixit se non admittere ipsum iudicem propter certas & idoneas recusationis causas, quòd si nihilominus procederet, fore ipsius sententiam nullam & irritam, quia iniqua & abusiua esset: proinde se appellare ad maiorem iudicem. Officialis autem his dictis nihil commotus, perrexit sententiam pronunciare. Tum Neelus ad Episcopum, Memineris,inquit, quòd te ut iudicem non idoneum iustis de causis repudiauerim, tu uerò non auscultaueris: proinde ego appellaui, atque etiamnum appello iudicem æquiorem. Atque adeò has recusationum causas (inquit) pono. Primam, quod Episcopus me afferentem

rentem causas idoneas reijciendi ipsum iudicem ante quàm tulisset sententiam, audire noluit. Alteram, quòd appellatio mea ob iniquitatẽ & abusum, nihil apud eum ualuit, quò minus ulterius ad condemnationẽ mei procederet. Tertiam, quod in lite quàm mihi intentauit ipsius Decanus, delatio nominis mei habetur, ac si dixissem Episcopum Aurincensem hominem esse sceleratũ: siquidem asinos in sacerdotium assumeret. quare equidem bono iure ipsius iudicium accipere nolui, metuens ne inuidia ac priuatæ uindictæ cupiditate ductus ultricem ferret de me sententiam: quod factum ab eo constat ex sententia exaugurationis, qua me de gradu sacerdotali demouendum cẽsuit. Quartam, quòd Decanus ille (ut liquet ex scriptis nostrę litis) suggesserit hæc uerba cuidam è testibus, Fer mihi opem ut facinorosum hunc hominem è medio tollamus, cultum mehercule Deo præstiteris. atque idem Decanus omnibus me spoliarat rebus & pecunijs. Quintam, quòd me ut Sacramentarium Episcopus cum suis iudicarit, quum ipsi contrà errent toto cœlo, & sacramentum negent, terrenis his elementis plus æquo tribuentes, & ad pastum huius corporis, uelut brutæ pecudes, tantummodò abiecti: quemadmodum suprà plenius dictum est in confessione nostra. His sic coram Episcopo pro tribunali recitatis rationibus, conuertit se Neelus ad causæ suæ patronum, eumque his uerbis compellauit, domine, rogo te propter nomen Iesu Christi ut meam causam tuearis aut potius ipsius Episcopi. Equidem mihi probè conscius sum nihil dixisse me quod ad Dei gloriam & proximi ędificationem non pertineret: nemini conuiciũ feci, sed hæc uerba semper in ore habui, Nullius ego sum iudex, nec fidem alterius confiteor: sed loquor uelut is qui in lecto æger est morti uicinus, conscientiam meam ipse examinans, & fidei quam habeo dans testimonium.

Neelus Rothomagũ ducitur.

Neelus itaque conquestus de iniuria, quandoquidem eosdem haberet iudices, testes, & aduersarios, sacrificos nẽpe quos beneuolè admonuerat, quando illos poculis & genio indulgentes cum summa Dei cõtumelia, reperisset: die Martis (quem pinguem appellitant Papistæ) è carcere egreditur, ut Rothomagum celebre Northmaniæ emporiũ, Vulgò Rouan duceretur. In ipso carceris egressu oculos in populũ conijciens, qui ibi in eũ multa & grauia conuicia ingerebat: uir pius misericordia ductus eum monebat, eiusq; insciti deplorabat. Sed cùm uideret nullam sibi fieri audientiam, & satellites ipsum ad progrediendum impellerent, orsus est canere Psalmum XL. Expectans expectaui Dominum. In itinere autem non destitit unquam se in Domino oblectare, & obuium quemq; salutare Rothomagũ ingressus: mox ad Curiã parlamenti deducitur, ubi illũ certi eiusdẽ Curiæ consiliarij benignè admodum de fide sunt percõtati, adeò ut spes esset demonstratũ iri, Neelum rectè ac bono iure appellasse, alterũ uerò male iudicasse. idq; certis de causis, inter quas erat hæc: Quod Officiales Aurincenses persecuti fuissent condemnationis sententiam hebdomade quã ipsi sanctam nominant. Verum Neelus zelũ suum erga ueritatem nec occultare, nec dissimulare uolens, in eius confessionẽ prorupit, totus in asserenda Filij Dei doctrina, contraq; Missæ abominationẽ omnibus suis coloribus depingendo. Quamobrem Aurincũ remilus fuit, ut de gradu sacerdotali demoueretur. Ministri uerò & assectæ Aurincensis Episcopi nõ distulerunt diutius pronunciationem sententiæ, sed mox theatrum extrui curauerũt ante magnum templũ, ut degradatio actualis, quã uocant, executioni mandaretur. In ipso autem theatro erant, Episcopus cũ suis: Pœnitentiarius ille, quẽ initiò nominauimus, qui quòd iactasset se publicè refutaturum Neeli opiniones, notãs ac digitis designãs reũ, sic loqui cœpit ad populũ: Puer qui liberaliter et blandè educatus à matre non solùm ei non obsequitur, sed insidias & exitium molitur, &c. tandemq; hanc suo procœmio subiecit clausulam: Qua-

lam: Qualis est iste homo maledictus, qui olim religiosus ordinis Augustinen sium nunc persequitur Deũ, eiusq; ecclesiam pro matre non agnoscit, &c. Ad hæc uerba, firma uoce exclamauit Neelus, Pœnitentiarum non uera loqui, se namque in deum credere, atque de Ecclesia sancta bene sentire. Pœnitentiarius autem sperans hic egregiam se nactum ansam ipsum confutandi, multis uerborum ambagibus se implicauit, ut diceret Neelum quidem credere ecclesiam quandam inuisibilem: deinde ut sua placeret oratio, multa atttulit ad imminuendam authoritatem ueræ Ecclesiæ quam profitebatur Neelus: Papæ uerò ecclesiam dixit fundatam esse in doctrina ueterum episcoporum qui Apostolos sunt secuti: longaq; serie & catalogo Episcoporum recitato, eiusmodi addidit epilogum: Hæc nostræ ecclesiæ sunt fundamenta. Ad extremum conuertens sermonem ad reum, uelut per contemptum affatus est, Magister Gulielme, inquit, quòd nam est tuæ ecclesiæ fundamentum? quos enarrare potes tu ueteres episcopos? Cui Neelus, Christus, inquit, cum suis Apostolis nostræ sunt authores Ecclesiæ, nec uerbum amplius ullum protulit. Nõ multò post hęc degradationis mysteria capitis dãnatus fuit ut uiuus igne absumeret, pila in os inserta ne populo loqui posset. Homo autem pius constantissimè omnes cruciatus passus est. ac quum iã in summo flãmæ ardore existẽti decidisset ex ore pila, uox eius adhuc diuinã opẽ implorãtis audita est. Carnifex deinde fustem capiti impingẽs, penitus eũ prostrauit. quo uiso populus cõtrà uociferatus est, detestãs crudelitatẽ carnificis, cernẽsq; hominis patientiã, ipsum pro martyre habuit, quẽ antea hęreticũ execrandũ existimarat. Hęc ex Crispino

Neeli in martyrio constantia.

STEPHANVS REGIVS, ET PETRVS Denocheus, Carnuti exusti Anno 1553.

STephanus Regius natus in quodã pago Belsiæ, Calfurnis nimirum, qui pagus distat ab urbe Carnutensi duobus propè milliaribus: ut primùm ueritatis lux ei affulsit, relicto natali solo Argentinam se contulit, tum ut ibi in ecclesia Gallicana maiores in uera religione fructus faceret ex auditione uerbi Dei, tum ut sine metu Sacramentis frui posset. Postquam uerò in ea ecclesia ad tempus commoratus fuisset, recepit se in patriam, uixitq; in parœcia Sancti Georgij non procul à Calfurnorum pago: ibiq; Notarij fungebatur officio, habebatq; secum quendã à manibus famulum Petrum Denocheum, qui olim quum Geneuæ aliquandiu ageret, magnos in doctrina Euangelij progressus fecerat: adeò ut talentũ sibi commissum deinceps in pios usus impenderit, docendo scilicet ignorãtes, ac reprehendendo blasphemos. Isti autem non diu unà uixerant, quin Luteranissimi nomine suspecti accusarentur. Mense itaq; Dec. *MDLII.* ambo per Latrunculatorẽ capti Carnutũ abducũtur, atq; in carcerem Episcopi eius urbis coniecti fuerunt. In eodẽ carcere per annũ detenti, atq; de fidei suæ confessione interrogati, amplissimũ ueritati uterque dedit testimoniũ. Stephanus autẽ carmina quædam in carcere cõposuit spiritualia, ut uocant, in quibus fidem suam & spem quam in Domino posuerat, decantabat: statum quoq; suum & conditionem, dignitatisq; gradum ad quem Deus eum euexerat, ut coram hominibus fidelis ei testis & Christi martyr esset, diuinis laudibus efferebat. ijs cantionibus uir ille pius diuturni carceris tædia solabatur, prædicans semper mirifica opera Dei, in quo se plane oblectabat. Postquam uiderent aduersatij se nihil proficere, nullisq; rebus constantiã eorum concuti, ut nec longi, ac diri carceris horror, nec blandę pollicitationes futuræ liberationis, nec plures illecebræ quibus ipsemet episcopus eos ad reuocationem & palinodiam solicitabat, unquam efficere potuerint, quo minus in sententia perstarent. tandem capitis damnati, appellarunt summum Senatum Curiæ Parisiensis, idq; non eò faciebant, ut mortem euaderent sed quò pleniorem apud magnos & sapientes huius mundi confessionem,

Stephanus Argentinæ institutus.

onẽ doctrinę Filij Dei ederent. Curia aũt Parisiensis eos remisit, addito aresto cõfirmãte priorẽ sentẽtiã. reuersi Carnutũ, diro ignis supplicio affecti fuerũt.

PETRVS SERRA Tolosæ martyrio affectus

Anno 1552.

PEtrus Serra, natus in quodam loco qui Læsa appellatur in prouincia Cozerana, non procul ab urbe Tolosa, cùm sacerdos antea fuisset, se Geneuam in ecclesiam Dei cõtulit, ubi, artem sutoriam didicit. Postea singulari studio charitatis, amoreq; permotus, ut fratrem suum, qui uxorem habebat, è Papatu atq; idolorum cultu educeret, iter ad eam rem suscepit hyberno tempore, anno *M.D.LIII.*

Cùm autem in patriam uenisset, cum fratre suo locutus est atque illius uxore, quæ à consolatione uerbi, quam Petrus ei afferebat, atque ab ea discessione ac migratione uehementer abhorrebat. Itaque eius aduentum illa cuidã mulieri uicinæ statim annunciauit, quę quod audiuerat ita secretum tacitumq́ue habuit, ut ad Officialem eius diœcesis illicò detulerit. Qui metuẽs ne ille sibi elaberetur, sine ulla informatione eũ comprehendendum curauit. Neque uerò ea opus magnopere fuit, in tã prompta & parata Serræ confessione: in qua ubi ageret, & quã religionẽ teneret declarauit. porrò Officialis eiusq; socij metuentes, ne aliqua appellatio ipsis morã tarditatemq; afferret, consilio capto egerunt, ut Serra in manus Inquisitoris fidei Tolosæ constituti traderetur. apud quẽ Petrus amplissimã fidei suę cõfessionẽ edidit, adeò ut inquisitorẽ ad sensum cõscientiæ interiorem reuocauerit, eumq; monuerit, ut purã Dei ueritatẽ quã ipse confitebatur, animaduerteret atq; cognosceret. quã ei facilè demõstrabat & probabat, locos ei annotans & capita: tã fideli ac recenti memoria præditus erat. Id tamẽ nihil impediuit, quò minus ab inquisitore uicarioq; Episcopi Cozerani condẽnaretur, ut de gradu sacerdotali dimoueretur, atq; in manus potestatis ciuilis traderetur. Itaq; ad eã degradationẽ faciẽdam, ductus fuit ad oppidulũ Muretum appellatũ, prope Tolosam: indeq; traditus iudici, qui appellationũ nominatur in iurisdictione Tolosana, ad quẽ etiã crimina hęresum referuntur. Iudex tũ à Petro quęsiuit, quo esset artificio. ac cùm ex eo audiuisset aliquanto antè artẽ sutoriam didicisse: intellígere ex eo uoluit quod artificium antè professus esset. Tum Petrus, Heu, inquit, me pudet dicere. nã illud uitæ institutum fueram amplexus quod in mũdo est omniũ teterrimum ac miserrimum. Complures ijs uerbis in eã opinionem adducebãtur ut eum latronem quendam et sicarium, aut falsæ monetæ effectorem esse existimarent. Quare hortabantur eum, ut sine pudore ac timore ullo liberè diceret. Sed is ita erat affectus atq; impeditus, ut dolor animi ex recordatione pristinæ uitæ susceptus, obstruere ei os uideretur. Tandem importunitate eorum qui instabant coactus, maximis cum suspirijs se Sacerdotem fuisse dixit, rationemq; cur illud genus uitæ ita fœdũ ac miserum existimaret, attulit. Quamobrem commotus Iudex, ea pœna eum condemnauit, ut primùm ea afficeretur ignominia, quam emendationem honorariam appellant: in qua ueniam à Deo, & à Rege, iustitiaq; peteret: deinde lingua ei præcisa uiuus cremaretur. Qua quidẽ à sententia cùm ille appellasset, ad Camerã criminosam parlamenti Tolosani adductus est: ibiq; constanter in sua confessione permansit. Interrogatus autẽ cur appellasset, dixit se quidẽ eò nõ fecisse, quòd sententiam capitis recusaret, mortemq; defugeret: nec enim suam sibi uitã ita esse charã, ut eã honori Dei ac testimonio ueritatis anteponeret: se etiã scire eos ad quos apellasset, uitã sibi minimè cõseruaturos: sed appellationis causam eã fuisse q; fuisset cõdẽnatus ut ueniã à Rege peteret, quẽ nũquã offenderat. Nã quod ad Deum quidem attineret se obstrictũ ac paratum esse, ut sibi ab eo ignosci postularet. Causa etiã cur appellaret ab ea sententia, hæc fuit, quòd eã linguæ prę

Petrus Geneuæ institutus in patriam redijt.

Sacerdotum uita miserrima.

cisionem proponebat, quã Dominus ut illum laudaret ei dederat. Itaque iniquum ei atque indignum uidebatur, si facultas eius rei in extrema uitę suę parte ei eriperetur. Ea tamen sententia decreto Cameræ criminosæ confirmata est. Sed cùm primo Prędidi mandatum esset, ut eas causas & cõtrouersias, quę ad fidem pertinerent, curaret disceptandas iudicandasq; in ea camera, quæ idonea ei uideretur: & quia superiore anno summam Cameram delegerat, ipse præses demonstrabat iudicium eius causæ apud illos criminum iudices fieri non potuisse. quare qui ex utraq; erant curia Iudices, post prandium conuenerunt: ad quos Petrus iterum productus est, Eò autẽ cùm uenisset, diu ibi fuit, nihil planè respondẽs, dicẽsq; sibi nihil cũ ullo homine nisi cũ Deo quicquam esse negotij, cũ ea sententia sibi pronunciata esset, in qua periculum uitæ suæ propositũ intelligeret. postea tandẽ respondit, atque in confessione fidei suæ perstitit: à qua quidẽ nullis rebus, quibus tũ attentatus atq; oppugnatus fuit, deduci unquam, potuit. Constitutum est igitur, ut prius decretum in ea pœna constituenda uim suam haberet, sublata emendatione honoraria, ac

Martyris constantia.

prędisione linguę, modò contra ipsorum religionem nihil planè diceret. Porro cùm ad supplicium duceretur, gymnasiumq; sancti Martialis prędteriret, Iudex quoddam simulachrũ ei ostendit uirginis Mariæ, eiq; dixit, ut ueniam ab ea peteret. Cui Petrus respondit, se id quidem minimè facturũ esse: nec enim se illam offendisse, neq; eam effigiem esse uirginem Mariã, sed idolum lapideum. Id cũ dixisset, Iudex iussit statim linguã exhibere ac exerere. quod ille sine ulla mora fecit, & placidè linguã sibi amputari passus est. Deinde alligatus ad postẽ, ut uiuus cremaret, usq; ad mortẽ ita oculos in cœlũ erectos, intentosq; habuit, ut nullo ignis ardore & ui cõmoueret, nõ magis q; si omni sensu caruisset. Quę res populo magnã admirationẽ attulit, atq; à quodã parlamenti Cõsiliario dictũ fuit, eo modo Lutheranos nõ amplius esse mulctandos pœnaq; afficiẽdos, cum ea res plus obesset religioni quàm prodesset.

NICOLAVS NAILVS Lutetiæ uiuus exustus Anno 1553.

Pij impijs non prodendi.

NIcolaus Nailus patria Cenomanus sutorio artificio deseruiens cùm Lutetiam aliquot librorũ sacrorum sarcinas detulisset, captus fuit die Martis mensis Februarij 14. Qui cùm puram doctrinæ Euangelij confessionem edidisset, grauissimis in carcere tormentis fuit cruciatus ut eos, quos sciret doctrinæ suæ conscios ac socios, nominaret. Sed quanuis ea tormenta etiam usque ad membrorum eius dissolutionem sæpius fuerint repetita, tamen singulari fide, constantia, uirtuteq; munitus, neminem unquam prodidit aut nominauit. Postea condemnatus ut uiuus igni cremaretur, ante quam è carcere educeretur ad plateam Malberti, qui locus supplicio eius erat constitutus, ori eius ligneum epistomium inseruerunt, à posteriore capitis parte funibus ita constrictum, ut acerrima eorum ui compressum os, sanguinem undiq; emitteret, facieśque horrendam deformitatem demonstraret. qua quidem in re primus fuit Lutetiæ, in quo hoc genus crudelitatis editum est. Sed tamen egregius martyr & fortis uir, quanuis haberet os ita obstructum, nunquam destitit, signis aspectuq; in cœlum perpetuò erecto declarare eam spem, cõstantiam atq; animi magnitudinem quã habebat: adeò ut cum ad xenodochium uenisset, quod domicilium Dei uulgò appellatur, cogereturq; prædteriens quoddã simulachrum nostræ Dominæ, ut uocant, adorare, nunquam ut id faceret adduci potuit. Sed exiguis uiribus, qui ei adhuc supererant, suffultus atque excitatus, se à tortore, qui eum suis comprehensum manibus tenebat, auertit, dorsumq; idolo ostẽdit. tum uerò populus, qui ea in urbe natura maximè est mobilis, ad superstitionemq; procliuis, cùm id spectasset, ita commotus fuit, ut in eũ quanuis iam ad mortẽ accederet, impetum facere uoluerit. Ad locum uerò supplicio assignatũ, cùm uenisset, crudelissimè tractatus est. Nam antequam ille al-

ille allígaretur,ut sublimis tolleretur in aerem, corpus eius adipe perunctum est.puluisq; sulphuris corpori eius insperſus,ita ut ignis subiectus uix arsisset, cùm flamma straminum subitò accensa, summam cutem corporis eius inuaderet atq; ustularet, sed ad interiores partes nullo modo penetraret. Sed in hoc grauissimo cruciatu Dominus summam ei consolationem opemq; attulit,eiq; gratiam impertiuit, ut eo in tormento sanctissimum eius nomen maxima & clarissima uoce inuocaret, quæ media ex flamma audita fuit.Nam funes quibus episstomium illud astrictum tenebatur combusti fuerunt aliquanto antè, quàm sanctissimus martyr expiaret.

SIMON LALOE DIVIONE martyrizatus 21 Nouemb. Anno 1553.

SImon Laloéus patria Suessionensis, eaq; arte qua perspecilla conficiuntur, Geneua, ubi sua cum familia degebat, profectus ut in Galliam quorundam negotiorum causa iret, Diuione à Præfecto eius urbis captus est, die Martis 17 Sep. M.D. LIII. Is autem initiò statim fuit à Præfecto Diuionensi tribus de rebus interrogatus. Nam primùm quo in loco ageret quæsitum est. deinde quam fidem de religione haberet, postremò quos socios & conscios haberet eius doctrinæ quam ipse profiteretur. Ac de loco quidem commorationis suæ respondit, se Geneuæ sedem ac domicilium omnium rerum suarum cõstituisse,familiamq; ea in urbe habere, ut liberè frueretur ijs beneficijs & solatijs, quæ Deus ibi tot ac tanta posuisset, ecclesiamq; uerbo Dei emendatam constituisser.Quid autem de religione sentiret, purè declarauit, plura confessus & professus quàm aduersarij audire uellent. Quod uerò illi audire maximoperè cupiebãt, ad id dixit se nihil habere quod responderet:neq; scire quid factũ esset ijs qui comites itineris fuissent. Quos uerò ipse cognosceret, Geneuæ esse atq; habitare. Itaq; quum aduersarij suis interrogationibus, quæstionibusq; acerrimis nihil ab eo elicere aut extorquere potuissent, omni studio & cõtentione ad eũ capitis damnandũ progressi sunt.ac die Martis, qui fuit dies *XXI* Nouembris, *M.D.LIII.* quũ sententiã pro tribunali capitalẽ pronuntiassent,eũ è carcere ad ultimũ supplicíũ duxerunt. Tum uerò egregius martyr Iesu Christi orans pro suis inimicis,summa constantia & animi magnitudine mortem propositã suscepit ac pertulit, eo ipso die *XXI* Nouemb. anni *M.D.LIII.* Quo quidem tortor Iacobus Syluester nominatus,uehemẽter in fide ac timore Dei fuit confirmatus,atq; in eam sententiam adductus,ut illud genus uitæ deponeret,neq; amplius sanguinem innocentẽ funderet.Hęc autẽ dicta multaq; alia ueræ pœnitentiæ signa, quemadmodũ cætera omnia sunt testata authoritate hominũ fidelium,ac testium locupletium, qui nõ solùm in morte eius martyris affuerunt,uerumetiam quæ sunt cõmemorata, ex eo ipso tortore Iacobo Syluestro audiuerunt. quem magnopere dolentem propter effusum innocentum sanguinem, ac de uenia tantorum peccatorum consequenda diffidentem & planè desperantem, suauissimis Euangelij uerbis confirmarunt, atque in eam gratiæ, misericordiæq; Dei fiduciam, & animi sententiam adduxerunt, ut is statim se cum familia sua Geneuam in Ecclesiam Dei contulerit,sedemq; rerum suarum ea in urbe collocarit.

Laloeus de tribus rebus interrogatur.

Tortoris Diuionẽsis admirãda cõuersio.

IOANNES FRISIVS OB EVANGELII doctrinam officio motus 1554.

IN Herbipolensis Episcopi ditione monachorum est Collẽgium Nustatũ. eius Abbas Ioannes Frisius cum insuspicionem Lutheranismi uenisset 5 die Maij citatur ut sexto post in urbem ueniat, & ad interrogata respondeat. Quæstiones uariæ de primatu pontificis, de uotis, Missa, Sacramentis,fide, & operibus atq; multis alijs huiusmodi proponebantur ut sententiam suam proferret. Cum ergo ad omnia prolixe responderet & dicta sua scripturæ & patrum testimonio confirmaret, nec à ueritate uellet cedere 25 die lunij damnatus est, & ab omni functione remotus. Ioan.Sleid.lib.25.

ANTONIVS MAGNEVS Lutetiæ crematus 13 Iunij Anno 1554.

Antonij pietas

ANtonius Magneus Orleaci natus in montibus Aruerniæ, nuntium captiuitatis Lugdinenſiũ qui ſuprà memorati ſunt, eccleſiæ Geneuenſi attulit. aliorum etiam qui eodem tempore Lutetiæ nomine Euangelij comprehenſi fuerunt, ut unum quenq; eorũ precibus eccleſiæ commẽdaret. Aliquanto pòſt quum propter quædam ſua negotia in Galliam reuerteretur, Biturigibus captus eſt, proditus à quibuſdam ſacerdotibus, qui eum in manus Officialis tradiderunt, tribus horis poſtquam in eam Biturigẽſium urbem ueniſſet, XVIII. Martij, M.D.LIIII. Poſt aliquot dies è iuriſdictione ac poteſtate Officialis à iudicibus regijs ereptus fuit, Lutetiamqúe poſtea deductus, ubi capitis damnatus eſt, poſteaquam fidei ſuæ confeſsionem edidiſſet, atque in carcere omnia opprobria & tormenta ſumma uirtute & conſtantia pertuliſſet. Is igitur lingua ei primùm præciſa, uiuus in platea Malberti crematus eſt, XIII. Iunij, anno eo quí ſuprà notatus eſt.

GVILIELMVS ALENCON Librarius, unà cum panni tonſore Monspeſſuli combuſti 7 Ianuarij Anno 1554.

Librorum propagatorũ uſus.

AD doctrinam Euangelij noſtris temporibus promulgandam atque illuſtrandam, inſignis extat opera eorum, qui libros eos quibus ſacra Scriptura purè pieq; eſt explicata, in Papatum deportarunt, atque ita illos qui in tam miſeranda diſperſione omni pietatis doctrina & conſolatione ſunt priuati, adiuuerunt. In eorum numero egregia fides et opera Eccleſiæ Chriſti maximè opportuna extitit Gulielmi Alẽconij, patria Monsalbani, cuius memoria nobis per digna eſt uiſa quæ literis mandaretur. Nam quum is ſæpe in uarias regni Galliæ prouincias profectus eſſet, tandẽ Monſpeſſuli in Gallia Narbonenſi captus eſt, à falſis fratribus proditus, atq; coniectus in carcerem ab ijs qui in ea urbe iuriſdictionem habent. Qui quum eum de fide ac religione quam profiteretur, interrogaſſent, uiderentqúe in pura Euangelij confeſsione firmum & conſtantem eſſe, die Sabbathi, qui fuit VII dies Ianuarij, M.D.LIIII. capitis eum damnauerunt. Fuit autem alius arte ſua panni tonſor pro eadem ueritatis cauſa captus atque in carcerem incluſus, quem infirmitate carnis debilitatum, atque à uera Filij Dei confeſsione auocatum, iudices ea condemnarunt pœna, ut honorariam, quam uocant emendationem ſubiret, atque in morte Alenconij ſpectator adeſſet. Sed eo ipſo die, qui ad eas pœnas irrogandas erat conſtitutus, Deus eam Alenconio gratiam largitus eſt, ut eum ita territum ac fractum, quum uerbo Dei, tum ſuo exemplo uehementer confirmauerit, atque ad conſtantiam uerè Chriſtianam reuocauerit. Itaque quum nouam animi uirtutem recepiſſet, à iudicibus poſtulauit, ut aut reduceretur in carcerem, aut unà cum ipſo Alenconio cremaretur: dixitqúe ſe nullam erroris emendationem aliam facturum, quàm eam confeſsionem, qua moriẽs tandem Euangelij doctrinam, quam Alẽconius confiteretur, confirmaret. Hac fidei firmitate & conſtantia duo præſtantes Ieſu Chriſti martyres, Monſpeſſuli combuſti fuerunt. Librarius Alenconius die VII Ianuarij: alter uerò die Martis ſequenti, qui fuit dies decima eiuſdem menſis, anno M.D.LIIII

Fractus tonſor animũ recipit.

PETRVS DVVAL Nemauſi exuſtus Anno 1554.

EOdem anno M.D.LIIII Petrus Vallenſis ex oppido Pantillaco, quinque ab urbe Toloſa milliaribus, artem profitens ſutoriam, Nemauſi in Gallia Narbonenſi, nomine Euangelij comprehenſus eſt. Is quum puriſsimam religionis

religionis Christianæ doctrinam constantissime confessus esset: ut conscios eiusdem doctrinæ homines fideles indicaret, grauissima tormenta & cruciamenta corporis perpessus est. quibus tamen mutilatus, fractus, oppressusq;, neminẽ unquam nominauit. Postremò in ea urbe uiuus pœnã ignis usitatam sensit, ac maximo fortissimoq; animo sustinuit, anno *M. D. LIIII.*

RERVM IN ECCLESIA GESTARVM, QVAE POSTREMIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENERUNT, maximarumq; per Europam, præsertim uerò Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER DECIMVS.

RICHARDVS FEVRVS dictus LE FEVRE Lugduni exustus, die 7 Iulij. Anno 5554.

MAxima ac iustissima est causa, cur Deũ ōmni gloria celebrare debeamus, quòd non ita pridem Richardũ Feurũ professione aurifabrũ, patriaq; Rotomagensem pro nomine Filij sui Iesu Christi cõfitendo ac tuendo in extremũ certamẽ produxerit. Nam is antea eandẽ ob causam Lugduni cõprehensus, in carcere diu fuerat, anno *M. D. LI.* ubi ueritatem Euangelij ita constanter defendit, ut capitis à iudicib. eius urbis dãnatus fuerit. A qua tamen sententia Lutetiã ad Curiam supremam quorũdam hominũ impulsu appellauit. Cùm aũt iam esset in itinere ut Lutetiã duceret, ereptus fuit è manib. eorũ, qui eũ ad illud parlamentũ deducebãt. Postea uerò Christũ ubiq; glorificans, denuo captus fuit. cùm aũt tota illa actio ab eodẽ diligẽter descripta sit, placuit eandem subijcere, ut certius omnia patefiant.

Epistola Richardi Feuri, in qua exponit totam rationem quemadmodum captus fuit in Gratianopoli, simul quæ ab aduersarijs sunt proposita quæsitaq;, & ab ipso responsa.

SI uos charissimi fratres, me uidetis in hanc captiuitatem reuocatum, minimè uobis mirum uideri debet, si paulùm consideretis Dominum Iesum nihil adhuc quietis in hoc mũdo mihi cõstituisse, quod maximè expertus sum ex eo tempore, quo me è periculo mortis liberauit, è manuq; inimicorũ, quos cognoscitis, eripuit, atq; hanc uitæ meæ conditionem ea experientia cognoui, in qua sathan me sæpe ac uariè aggressus est, ut ego inde nihil aliud quàm noua certamina expectare potuerim. Neque uerò Iesus Christus in hac quidem uita, multam nobis pacẽ promittit, aut certè lõgas inducias, tametsi ego magnopere eas optarẽ. Quinetiam per me non stetit, quò minus quæsiuerim omnes rationes, quibus quietè ac tranquillè uiuere possẽ. Sed quẽadmodum ait Dauid, cùm eas optarẽ ac quærerem, bellum mihi obijciebatur. atq; etiam in his tentationibus ita fui excussus, ut sæpius in terram deiectus fuerim, & ita attonitus & consternatus, ut quo me uerterem planè nescirem. Quibus in periculis, si Dominus mei misertus non fuisset, planè oppressus perijssem. Ego autem spero Dominum, si hæc cõsideraueritis, præsertim cum eo Spiritus iudicio, quod uobis dedit, non permissurũ, ut in uanas speculationes & cogitationes

tionés incidatis, quibus perturbati omnẽ eius prouidẽtiam ignoretis, eiusq; consilium æternũ, quo uno tota hæc mea causa usq; ad hunc diem fuit gubernata. Qua quidem in re spero eum exitum futurum, qui ad gloriam nominis eius & ecclesię ędificationẽ atq; ad meam consolationẽ redundabit. Quemadmodum quidem iam initium huiusmodi fuit, ut complures qui in eo examine adfuerunt, tum ex magistratibus, tum etiam ex cæteris hominibus, qui uel in carcere sunt uel expertes huius miseriæ Deũ tamen reuerẽtur, magno pere ædificati & cõfirmati in fide fuerint, qui omnes testes esse poterunt, eorum quæ in hac controuersia agitata & acta fuerunt. Ego autem, quoniã esset prolixum omnia commemorare quæ tum acta sunt, perscribam quæ uos uelle scire arbitror, existimans uos ea non tam curiositate quadam, quàm ad ædificationem ecclesiæ requirere.

Richardus ut captus.

Non ignoratis, fratres charissimi, nos sæpe incidere in huiusmodi & tempus & locum, ut ea uideamus, atq; audiamus, quibus honos Dei contumeliose lædítur, quæ fuit causa, ut meipsum excitarim ad ueritatem Dei defendendam pro ea facultate quam Deus mihi dederat, eoq́ue magis, quod omnibus modis eò me inducere uolebant ut consentirem cum eorum superstitionibus, quibus me à uera religione et fide Christiana ad impios cultus suos traducerent: cũ optimè scirent me Geneuæ in Ecclesia commoratũ fuisse. Itaque illi Latrunculatorem in Delphinatu constitutum instigarunt, ut ad me cùm essem in diuersorio, prehendendum ueniret. Is autem circiter horam nonctis decimam aut undecimam eò uenit, meq; comprehensum, ac funibus uinctum (quoniam nox erat) duxit in cubiculum cuiusdam comitis sui aut satellitis Branchæ appellati, ut postridie in carcerem includeret. id quod factum fuit. Eo autem die productus fui ad iudicem Latrunculatorem, qui statim me in infima & obscura carceris loco deducendũ curauit, ubi duodecim propè dies fum cõmoratus cũ duobus latronibus, qui ueseri eum in locũ demissi, improbissimis uerbis mihi plurimũ molestię exhibebãt. Qua quidẽ re multi honesti ac probi uiri, qui captiui erant, cùm meam afflictionẽ intelligerẽt, egerunt cum Præfecto carceris, ut audientia mihi concederetur, quo postea aliqua aeris commoditate frui possem. Itaq; Præfectus carceris qui porta Troena appellatur, cum iudice Latrunculatore diligenter egit, ut me audiret. Sed quum is atq; Episcopus totum hoc negotium recusarent, ad Suppræfectum remissus fui, atque ita primo die captiuitatis meæ, per urbem circunductus, atque de carcere in carcerem traductus fui. Tandem Suppræfectus misit ad me in carcerem Portam Troenam, unum ex aduocatis consiliarijsq́ue suis cũ actuario, ut me examinaret, ubi coram multis fratribus interrogatus sum, cùm de nomine meo, tum de loco natali, & unde uenirem, quo nam irem, quid in urbe quærerem, simul etiam quæ causa esset cur captus fuissem, & quos libros, quosq́ue sermones in diuersorio habuissem. Cùm autem ad ea multis uerbis respondissem. Num, inquit aduocatus, tu credis ecclesiam Romanam? Minimè, inquam, sed credo ecclesiam catholicam & uniuersam. Quænam, inquit, est catholica Ecclesia? Congregatio, inquam, Christianorum & communio. Quæ, inquit, ista congregatio est & quomodo existit? Ea, inquam, constat numero eorum quos Deus elegit, ut sint membra Filij sui Iesu Christi, qui etiam illorum caput est. Vbinam, inquit, illa est & quomodo cognoscitur? Ea, inquam, per uniuersum mundum est diffusa in diuersis locis ac regionibus: cognoscitur uerò ea rectione spirituali qua tum uerbo Dei gubernatur, tum etiam ijs sacramentis, quæ Dominus Iesus Christus à se instituta ei tradidit: sicut uidemus multas ciuitates ac nationes hoc modo atque ordine gubernari. Num, inquit, credis eam, quæ Geneuæ, Lausannæ, Bernæ, in cæterisq́ue huiusmodi ciuitatibus habetur, magis

esse ue-

esse ueram Dei ecclesiam, quàm sanctam ecclesiã Romanam? Sanè inquam quoniam illæ certas ueræ ecclesiæ notas habent. Quid, inquit, interest inter ecclesiam Romanam, & eas quas modò memorauimus? Permultum, inquam: quod Romana traditionibus humanis regitur: aliæ uerò, solo Dei uerbo ac mandato gubernantur. Vbinam, inquit, primùm istam doctrinam didicisti? In Anglia, inquam, Londini, atque ab ineunte ætate mea in sanctis Scripturis fui institutus. Quandiu, inquit, Geneuæ es commoratus? decem, inquam, aut certè nouem annos. Crédisne, inquit, uirginem Mariam peccatorum esse aduocatam & patronam? Ego uerò, inquam, credo id quod uerbo Dei nobis testatum est, Iesum Christum unum esse Mediatorem & peccatorum aduocatum: uirginem autem Mariam, esse illam quidem perbeatam, sed huiusmodi aduocationis officium nõ usurpare. Quid, inquit, Sancti qui sunt in paradiso, nullámne habent pro nobis orandi potestatem? Non, inquam: sed credo illos beatos esse, contẽtosq; ea gratia, & gloria, quà summo Dei beneficio perfruũtur, ut sint membra eius Filij Iesu Christi, quo quidem nunc cum gratiarum actione ita fruuntur, ut hoc tam sanctum officium ac patrocinium, quod Deus uni Filio suo charissimo commisit, nullo modo occupẽt. Ecquid, inquit, tu de ijs sentis, qui religionem ecclesiæ Romanæ amplectuntur, num eos Christianos iudicas? Minimè, inquam, sed infideles. Cur ita? inquit ille: Quoniam, inquam, ut antea dixi, ea ecclesia non gubernatur uerbo Dei: sed potius hostiliter cum eo belligeratur. An, inquit, credis eos omnès, qui recedunt ab ecclesia Romana Christianos esse? Ego, inquam, non debeo respondere, nisi de mea fide, de eoq; quod mihi impositum est. Itaque mihi quidem satis est, si pro meipso, ac non pro alijs respondeam. Suum enim quisque, quemadmodum monet Paulus, onus feret. Tum aduocatus me iterum sollicitans, ac uehementer urgens, minatus est mihi, nisi ipsi responderem, se me ad responsionem coacturum. Non igitur, inquam, hoc quidem modo fiet cum iustitia atque æquitate. Cæterũ quod quæsitũ est ex me de ijs, qui Geneuæ, Lausannæ, Bernæ, cæterisq; in locis ueram religionẽ amplectuntur, respondi, eos mè credere Christianos esse. Ex his uerò qui à Romana ecclesia discedunt, permultos esse spurios, omnis religionis expertes, Anabaptistas, aliosq; Epicureos ac uoluptarios homines: qui etsi è Babylone exierunt, non propterea tamen in uera Iesu Christi Ecclesia sunt, quemadmodum ij qui in solo Christi uerbo acquiescũt, seq; eo placidè ac modestè gubernari sinunt. Tum aduocatus, cùm illud genus hominum memorassem, dixit me eos optimè cognoscere. Ego uerò inquam, illos quidem Dei benignitate cognosco, non ut cum illis aliquam rationem habeam & communionem, sed potius ut ab eis me maximè disiungam & caueam. mihi enim propositum est ac constitutum in uera Ecclesiæ Iesu Christi doctrina permanere. Imò uerò, inquit ille, Antichristi. Deinde quæsiuit, num uellem in hac doctrina ita reprobata & damnata permanere? Ego uero, inquam, statuo eam quam profiteor, non esse huiusmodi, sed planè Christianam & sanctam. Itaq; quoad Deus mihi eam gratiam concesserit, qua in hac uita possim eum inuocare, nihil aliud cupio, quàm usq; ad ultimum uitæ meæ diem extremumq; spiritum in hac una doctrina acquiescere constanterq; perseuerare. Tu quidem, inquit ille, magnopere in tua opinione es obfirmatus. Ac quum uideret tempus prandendi appropinquare, iussit reliqua in tempus pomeridianum reseruari: eâque mihi recitari quæ & ab ipso interrogata essent & à me responsa: quæ notarius ad uerbum singula exceperat. Ea autem cùm ego ipsorum mandato signassem, postulatum est ab aduocato, ut aliquam aeris perfruitionem mihi concederet, quod ille fecit: multíque qui in carcere erant, maximopere ea re lætati sunt. Ego autem à Præfecto carceris cum huiusmodi fratribus sum relictus, qui me omni consolatione refecerunt

fecerunt ac recrearunt. Hora prima post meridiem Suppræfectus me in auditorium accersiuit, quò cùm uenissem, à Præfecto carceris deductus: coram Suppræfecto multisque alijs aduocatis, cum quibus erat quidam Franciscanus, productus fui. Ibi iterum interrogatus sum, quæ in diuersorio meo fueram locutus, præcipueque de eo, quòd hospitem & hospitam reprehenderam, quia liberi eorum in ea precatione, quæ in mensa adhibetur, melius non essent instituti: me autem quod in Ecclesia Dei piorumq; uirorum consuetudine & uideram, & audieram maximè mouerat ut eos admonerem, docerem que quid & quomodo in huiusmodi refectione capienda orandum esset. Itaque hac re illi offensi me calumniose detulerunt, multáque secus quàm dicta erant in me contulerunt. Quæ quidem causa fuit, ut ego ea nec agnoscere, nec accipere uoluerim, eo quidē modo, quo Suppręfectus à me dicta esse demōstrabat: sed ei exposui quibus de causis ac rationibus ego eos admonuissem, nimirum Christianos omnes debere ex corde atque in spiritu orare, & ea lingua quæ ab omnibus intelligatur, quemadmodū apertè uerbo Dei admonemur: idq; eò fieri, ut proximus aliquē ædificationis fructum percipiat. Præterea huiusmodi cōsuetudinem, qua lingua incognita oratur, profectam esse à superstitione atque introductam, quæ adhuc in mūdo maximam uim cū summa ignoratione obtineret. Tum Franciscanus, cùm ea quę à me dicerentur audiuisset, potestatem loquendi postulauit, & pluribus mihi uerbis demostrauit, suum ipsorum Benedicite, Agimus tibi gratias. Laus Deo, Pax uiuis, Requies defunctis, & alias nescio quas precationes, atque adeò omnes linguas Deum intelligere, Ecclesiamq; Romanam hanc orandi formā retinuisse traditam à uetere ecclesia antiquisq; Doctoribus. qui ea Latinè usi fuissent. illud præterea incommodum consequi si ita sit, ut non liceret nisi sermone Gallico orare: multaq; alia dixit, quæ commemorare longum esset. Ego autem cùm ea audiuissem, audiri postulaui, atq; ea quæ à me dicerentur scribi. Quod cùm mihi concessum esset: respondi me non ita dicere quasi nefas esset lingua Latina, Hebraica, Græca, aut alia orare: sed in consuetudine uitæ, conuictu ac societate eā precationē esse adhibendam, quæ cognita ab omnibus & intellecta fructum pietatis omnibus afferat, sicut Paulus ecclesiam Corinthi instituens præcipit. Tum Franciscanus commotus, cœpit de huiusmodi re concionem integram habere, afferens nescio quas subtiles acutasq; ex philosophia rationes de ordine precū faciendarum & laudū, accōmodans ea quæ Euangelistæ memorant dicta esse ab ijs qui in introitu Iesu Christi in urbem Hierosolymitanam acclamarunt. Osianna Filio Dauid, affirmans eos qui huiusmodi laudibus Iesum Christum afficiebant, genus sermonis non intellexisse, quemadmodum Diuus Hieronymus interpretatur. Cui ego respondi, Hieronimum quidem potuisse scribere, eos, qui huiusmodi laudes Iesu Christo in ipsius introitu tribuissent, significationem ac uim earum & laudum & precum nō intellexisse: cùm præsertim ea esset Dauidis prophetia, in qua aduentus Domini atque introitus ab eo Psalm. *cxvIII.* prædictus fuerat. Euangelistas uerò qui illud uaticinium à Christo Iesu completum fuisse demōstrarūt, nullā mentionem fecisse an illi sermonis genus intellexerint. Sed Paulus certam precū regulam communemque doctrinam omnibus Chirstianis dedit, cùm ait eas debere adhiberi ea lingua quæ ab omnibus intelligatur, & ad omniū ædificationem instituí: quod apud me quidem tantū ualet ut subtiles ac philosophicas disputationes non magnopere requirā. Tum Franciscanus dixit, me minimè esse idoneū ad sanctas Scripturas interpretādas, cùm præsertim linguæ Latinæ ignarus essem. nam cùm is Latinè mihi multa narraret, postulaui ab eo, ne alia mecum, quàm mea lingua uteretur: nec enim opus esse Latinam eū adhibere, cùm Gallicam communem haberemus. Iterum ille mihi aliam cōcionem

Omnibus linguis cū fructu pietatis orare possumus.

nem instituit, authoritates Conciliorum & Doctorum proferens, atque alia quædam hominũ testimonia, quæ apud Suppræfectum plurimum ualere uidebãtur. Itaque quum ille iudex constituisset prosequi quæstionem eorum criminum quæ accusatores in me conflauerant, quæ ad Regis infamiam & seditionem, contemptumq; uirginis Mariæ & Sanctorum, atque ad rebellionem cõtra Principes Regesq; susceptam: ego de omnibus huiusmodi rebus interrogatus, respondi, eaque singula quemadmodum dixeram exposui, & quomodo aduersarij conati essent me adducere in opinionem earum superstitionum ac traditionum humanarum, quibus nullo modo assentiri poterã. Postea Suppræfectus quæsiuit ex me, num crederem sacrosanctam hostiam, quã sacerdos in Missa consecrat. Ego uerò, inquam, nec eam hostiam credo, nec ullam huiusmodi consecrationem. Cur, inquit ille, non credis sanctum altaris sacramentum quod à Iesu Christo est institutũ? Ego uerò, inquam, credo sanctissima Sacramenta, quæ Christus Dominus instituit, eaque usque ad mortem constanter tueri constitui. Num, inquit, Missam unquam fide tua es complexus? Nunquam, inquam, in ea superstitione fui institutus, neque quid sit Missa atque huiusmodi consecratio, scio. De Sacramento uerò Cœnæ Domini nostri credo, quum eo quidem ita utimur, quemadmodum Paulus præscribit, 1. Cor. 11. nos ali ac reficí spiritualiter corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi, qui uerus pastus spiritualis animarum nostrarum & potus est. Ille est uerum altare, in quo uno conquiesco, quemadmodum ait Apostolus Hebr. 13. neque aliud altare Sacramentumque agnosco. Tum Franciscanus allegauit mihi 11 cap. 1. Corint. adducensque ea quæ 6. Ioannis sunt scripta, ubi dicitur, Caro mea uerus est cibus, &c. dixit ueteres ecclesiæ Doctores de ijs in Concilijs decidisse, Missamque mortis & passionis Domini nostri Iesu Christi memoriam esse sanctam. Cui ego respondi, me ita credere atque statuere, sacramentum Cœnę ad memoriam mortis Christi celebrandam piamque gratiarum actionem institutum, quemadmodum Paulus docet eo allegato capite. neque aliam probationem dignitatemq; requiri, quàm ut unusquisq; uideat, num ipsum peccatorum suorum pœniteat, ueramque is fidem & certam fiduciam in misericordia Dei habeat, fretus merito illius, qui seipsum morti pro peccatis nostris exposuit, & certissimæ salutis nostræ illustre reliquit monumentum in Cœna constitutum, & quasi quoddam pignus earum promissionum quæ in Euãgelio continentur. Hoc uerò ita esse mihi planè persuasi, quod à Christo institutum ac traditum, & ab Apostolis memoratum & celebratum est, ut in hoc Sacramento nihil ipsi offeramus: sed beneficia à Deo nobis in Christo Iesu liberalissimè oblata cum omni pietate atque animi gratitudine accipiamus. Ea autem omnia ut à Notario scriberentur, postulaui cum meis responsis, quæ Suppræfectus me obsignare iussit. Et quoniam iam ualde, aduesperascebat, à carceris Præfecto ad portam Troenam remissus fui.

De hostia quæ in Missa conficeratur.

Diebus octo pòst Suppræfectus me in ædes accersiuit, ubi certi homines conuenerant cum alijs monachis Dominicanis, & illo Franciscano, cuius suprà mentio facta est. Eo in conuentu confessuque Suppræfectus institutum examen repetẽs, denuo me interrogare cœpit, num purgatorium crederem. Ego uerò, inquam, credo Iesum Christũ sanguine suo purgationem peccatorum nostrorum perfecisse. An, inquit, non credis ullam aliam purgandi rationem, & post hãc uitam locum alium, in quo animæ commorẽtur tandiu, quo ad pro peccatis commissis satisfiat? Minimè, inquam, sed credo unã, quæ pro omnibus sufficit, eã satisfactionem, quæ in sacrificio à Iesu Christo oblato, eiusque sanguine effuso peracta est. in quo quidẽ uno ablutio peccatorum nostrorum & purgatio. Tũ unus ex ijs monachis, qui ibi aderant, Latinis uerbis

Conuentus alius monachorũ.

mihi protulit eam ſimilitudinem, quæ extat apud Matthæum decimo octauo capite de eo qui debitum noluit ſocio ſuo remittere. Sed Suppræfectus eum monuit, ne ullo modo mecum Latinè loquerẽtur, quoniam ita loquẽti ego reſponſurus non eſſem. Franciſcanus autem tum mihi ſimilitudinem expoſuit, multaq; alia dixit, in quibus hoc demonſtrabat, Ieſum Chriſtum aliquando huiuſmodi ſimilitudinibus uſum fuiſſe, in quibus certa rei ſignificatio contineretur. Cuius generis eam dicebat eſſe, in qua dictum eſt, Eum inde nunquã diſceſſurum, quoad extremum quadrantem perſolueret: atque intelligi certũ quendam ac medium eſſe locum, in quo ſatisfacio pro peccatis relinquatur. Ad id autem reſpondi, me quidem amplecti unam, quæ maximam uim habeat ſatisfactionem, eam in qua Chriſtus morte ſua peccata noſtra expiauit, easq́ue promiſsiones Euangelij, quibus plenam nobis quietẽ offert: quemadmodum 11 Matth. ubi nos ſuauiſsimè ad ſe inuitat: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam uos, & requiẽ animarum ueſtrarum inuenietis. Et Ioan. 10. Ego ſum oſtium: qui intrat per me, ſaluus erit. Item 13 Ioan. Ego ſum uia, ueritas, & uita. Idem etiam Ioannes de mortuis dicit, Apoc. 13. beatos illos eſſe qui in Domino moriuntur, eoſq́ue tum denique à laboribus ſuis requieſcere. Latroni uerò qui prope Dominum Ieſum fuit crucifixus, promiſſum eſt regnum cœleſte in paradiſo, ſine ulla alia ratione, eo ipſo die quo è uita exceſſurus erat. Quòd uerò ad ſimile quod tu adduxiſti attinet, illud quidẽ nullam aliam habet demonſtrationem, quàm communionem noſtri officij, ut ſi uelimus nobis à Deo ignoſci, proximis quoq; noſtris ignoſcamus: niſi hanc præſtemus humanitatem & miſericordiam, nullam nobis ueniam à Deo eſſe ſperandam. Porrò cùm Franciſcanus nullum mihi loquendi locum dare uellet, ac me impediret: Suppræfectus eum monuit ut me reſpondere pateretur, & ea quæ uellem dicere: ſe enim planè auditurum. Tum Dominicanus ait, ſi mea reſpõſa eſſent uera, nullum fore purgatorium aut limbum. id autem cum fide Chriſtiana planè pugnare, ac ſymbolo Apoſtolorum, ubi Chriſtus dicitur deſcendiſſe ad inferos. Tum Suppræfectus, Credis ne, inquit limbum eſſe? Ego ſanè inquam neſcio quidnam id ſit, neque Scriptura ſancta ullam limbi mentionem facit: ita ne ego quidem eum credo. Dominicanus ſermonem excipiens, Vbinam, inquit, erant ueteres Patres ante mortem Ieſu Chriſti? In uita inquam, æterna, quam propter ſemen Adæ, Abrahæ, Patriarchiſq́ue promiſſum expectarunt. Deinde progreſsi ſunt ad quæſtionem de Papa: in qua Suppræfectus, Crediſne, inquit, Papam ullam habere poteſtatem? Maximè, inquam. An uerò, inquit, credis eum, ut uicarium Ieſu Chriſti poſſe abſolueret? Minimè, inquam. Quomodo igitur, inquit, intelligis eam Papæ poteſtatem? Eam inquam, intelligo, quam diuus Paulus declarat, 2 ad Theſſal. epiſtola, ut quoniam mundus ut ſeruaretur, ſtudium & amorem ueritatis non eſt amplexus, Deum dediſſe Sathanæ eiusq; adminiſtris efficatiam illuſionum ac errorum, ut homines mendacio crederent, haberentq́ue eos paſtores ac doctores quos merebantur. Tum Franciſcanus mihi oſtendit quomodo Ieſus Chriſtus poteſtatem ligandi ſoluendiq; diuo Petro dederit, Papamq́ue illius eſſe ſucceſſorem atque Ieſu Chriſti uicarium, eccleſiamq́ue hoc modo fuiſſe ſemper gubernatam, ut caput haberet unum in hoc mundo, quemadmodũ in cœlo habet. Quòd ſi paſtores uitã ſuam non degerent ex uerbo Dei quod annũtiant, non tamen propterea doctrinã eſſe repudiandam, ſicut Chriſtus docet in Euangelio Matthæi uigeſimotertio capite: multaq; alia in eandem ſententiam locutus eſt. Ego ei reſpondi, Si Papa & ij qui cum eo ſunt coniuncti, purè ac fideliter uerbum Dei annuntirent, ut nulla humana inuenta affingerent, legeſq́ue pro arbitrio ſuo introducerent, me amplexurũ eſſe puram Ieſu Chriſti paſtorumq́ue eccleſiæ doctrinam, etiamſi uita eorũ ab ea diſcreparet: quẽadmodum

Locus datur loquendi Richardo.

admodum Christus monet Matth. xxiij. Scribas & Pharisæos sedere in cathedra Moysis, hortaturq; ut doctrinam eorum, non ipsam uitam sequamur. Sed multum interest sedeántne ij qui Ecclesiam tenent, in cathedra Moysis, quę est sedes ueritatis, an in cathedra mendacij ac sede abominationis, omnisque iniquitatis: quemadmodum Daniel prædixit, atque etiam Paulus: futurum ut homo perditus ac sceleratus sederet in templo Dei seque aduersus omne numen insolenter extolleret. Quod autem Christus Petro ius ligandi & soluendi dedit, in eo certam etiam officij rationem ei præscripsit, cùm eum ac cæteros discipulos monuit ut Euangelium annunciarent, eosq; ad suum exẽplum & ministerium uerbi reuocauit. quod quidem Petrus eiusque socij optimè intellexerunt, cùm ij ut pastores Ecclesiæ nullam proponunt aliã doctrinã quàm purũ Dei uerbũ, in quo uno est tota uis potestasq; ligandi ac soluendi claueśque illæ, quibus regnum cœlorum & aperitur & clauditur. Leges uerò nouas constituere, easque imponere hominum conscientijs, cum eo ministerio pugnat & uoluntate Dei, qui nihil uult ad uerbũ suũ addi, aut de eo detrahi, quemadmodum Papa fecit, qui pro sua libidine puram religionem uerbo Dei præscriptam atque in Ecclesia constitutã deprauauit & corrupit, planeq; peruertit. Neque uerò Ecclesia ullã aliam doctrinã, quàm uerbi Dei amplectitur ac profitetur, neque authoritate hominum ac dignitate eorum uitæ nititur: sed ut ait Paul. in æterno Dei cõsilio eiusq; uerbo fundata est, in doctrina Prophetarum atq; Apostolorũ ędificata, cuius ædificij totius Christus est lapis ἀκρογωνιαῖος in quo ipsa exædificatio nititur, quemadmodum idem Apostolus secundo Ephes. ostendit. Ecclesia etiam duo capita non habet, unum in cœlo, & alterum in terra: sed unum tantummodo Iesum Christum, & in cœlo & in terra summa authoritate ac potestate præditum: sicut Paulus multis locis epistolarum suarum docet. Ad ea Franciscanus me admonuit ac docuit quemadmodũ Paulus exponendus esset, me eum non intelligere: se uerò Romæ uidisse Papam concionantem, meque quodam animi studio incitatum hæc in eum dicere: ueteres uerò Doctores Scripturas sanctas, & sacra Concilia interpretatos esse, pluribus uerbis mihi demonstrauit. Sed Suppræfectus, cùm id quod proposuerat persequi uellet, monuit me, ne ita essem in mea sententia pertinax. cui ego dixi, me aliter non posse respondere. Cùm autẽ ex me quæsiuisset, num aliàs Lugduni captus fuissem: respondi, fuisse. atque interrogatus, quemadmodum & quam ob causam captus fuissem: de tota ratione atque informatione causæ, quæ sententia pronunciata fuisset, & quomodo ego dimissus, & per quos liberatus essem, & quęnam res eos ad liberationem meã induxisset: respondi, me eam ob causam comprehensum fuisse, quòd ad inuisendum quendam, qui nomine Euangelij captiuus erat, ad carcerem accessissem: & ea quæ tum mihi obiecta fuerunt propter fidem quam ego ex Euangelio susceptam habeo, in me collata fuisse. Cùm autem à iudicibus Lugdunensibus appellassem, decem diebus post eam appellationem certis hominibus fui traditus, ut Lutetiam ad supremam Curiam deducerer: in ipsoque itinere, cùm fluuium Ligerim trajiceremus, ereptum fuisse per quosdam homines personatos & incognitos, qui cùm me in syluas proximas deduxissent, in uia que mea constituissent, me gratiæ Dei ita commendarunt, incolumenque dimiserunt, ut sua ipsorum nomina mihi nunquam indicarint. Tum autem Suppræfectus mecum diligenter ac sæpe egit, ut eos homines illi indicarẽ. In quo cùm constanter negarem me eos cognoscere, ille nihil eorum credens, quæsiuit ex me, num ego uellem me referre ad ea quæ Lugduni in ea prima causa acta fuerant. Cui ego respondi, me id quidem non recusare, sed libenter uelle. Postea quæsiuerunt de confessione auriculari, num crederem sacerdoti confitendum esse. De quo respondi, me aliam confessionem non intelligere, nisi

Ereptus uinculis Richardus per homines personatos.

eam quam quotidie debemus ad Deum adhibere, & reconciliationem fraternam, quam Iesus Christus eiusque Apostoli magnoperè nobis commendarunt. Tum Franciscanus ex me quæsiuit, an non legissem id quod Christus docet in Euangelio de confessione apud sacerdotem deponenda, cùm iussit Leprosum qui ab ipso sanatus fuerat, ut se sacerdoti ostenderet. Illud autem Doctores ueteres Conciliaque de auriculari confessione intellexisse atq; exposuisse. Ego autem cùm eius longam ea de re institutam orationem audiuissem, dixi Ecclesiam Domini nostri Iesu Christi nunquam huiusmodi genus confessionis obseruasse, ut homines peccata sua deferrent ad aurem sacerdotis, atque summissa uoce insusurrarent. Quòd si ecclesia Romana eã confitendi rationem introduxit & obseruauit, non tamen propterea rectam esse & utilem: nec enim Ecclesiam Iesu Christi in ea unquum fuisse institutam. De Leproso uerò quem Dominus sanauit, ei non mandatum fuisse ut peccata sua in aurem sacerdotis exponeret: sed seipsum illi ostenderet, testimoniumq; daret sanitatis per summũ sacerdotẽ recuperatæ ac restitutæ. cęterũ quomodo peccata nostra uni Deo sint confitenda, Dauid satis suo & exẽplo & testimonio nos monuit, Psalmo xxxij. & li. & cvi. ostendit, quemadmodum Deo peccata sua confessus, ueniam ab eo impetrauit, Deumque dolorem animi ex sensu peccatorum susceptum, ita accipere, ut eum omnibus sacrificijs anteponat. Suppræfectus autẽ, cùm uideret tempus uespertinum iam adesse, remisit me per eum qui Portæ Troenæ præfectus erat, quo in loco satis diu cũ fratribus sum commoratus: qui ut requiescerem cum ipsis, ab eius carceris custode peti erunt, ut me cum aliquo ipsorum cubare nocte pateretur: id quod ille interposita eorũ fide & cautione mihi concesit. Sed quoniã complures homines ex urbe, atque ex eo carcere cupiebant audire eam doctrinam, quæ ibi annuntiabatur: ea re ad parlamentũ, quod ea in urbe est, perlata, Suppræfecto mandatum est, ut ego ab illis segregarer, atque aliũ in locum traducerer. Itaq; ille me in domum Episcopi transtulit: qui quidẽ cũ ab eo parlamento, & ab eo Suppræfecto mandatum haberet, me in carcerem inclusit, tametsi me nullo modo domi suæ habere uellet. quæ fuit causa, ut aliquantò pòst iterum à Suppræfecto eiusq; cõsilio fuerim accersitus, quò Frãciscanus & Dominicanus, quorum suprà meminimus, multiq; alij ordinis sacerdotalis homines conuenerãt. Ibi tum mecum summo studio egerunt, & magnoperè à me contenderunt, ut ad Papalem redirem religionem, omnemq; mihi misericordiam obtulerunt. Sed ego respondi eis, me nullam misericordiam expectare nisi à Deo meo & Domino Iesu Christo, in cuius gratia omnem spem meam reposui. Franciscanus igitur lõga oratione demonstrauit quantũ interesset inter ecclesiam Romanã atq; eam quæ Geneuæ est constituta. Ille autem ad eam comparationẽ eò adductus est, non licere Papæ absq; ullo Dei uerbo leges conscientijs imponere. Itaq; adduxit mihi illud quod Ioan. cap. ult. scriptum est, multa esse alia, quæ in eo libro non extarent perscripta. Item ea quæ Christus dicit in eodem Euangelio, xv. & xvi. capite, ubi Dominus discipulos suos admonet ut consolatorem expectent, Spiritum sanctum, qui eos in omnem ueritatem induceret. Doctores autem Ecclesiæ Conciliaque omnia constituisse, ac decidisse. Præterea Geneuæ certas leges esse constitutas, sine certa uerbi Dei præscriptione ac declaratione: idque probat ex libro quodam Psalmorum, quem apud me habebã, atq; ex eo ordine, quo preces publicæ die Mercurij sunt institutæ, quasi ille dies à cæteris sanctitate differret. Itaque postulaui à Suppræfecto, ut mihi potestatem respondendi faceret, tum ad eam calumniam refellendam, quam in Ecclesiam Geneuensem conferebat, tum etiam ad cætera quæ ab eo praue dicta fuerant: aut ut ipsi inter se loquentes ac disputantes, me quietem esse paterentur. Eam autem cùm mihi concessisset, ego cõmonitionem

Pietatis fructũ impij nõ ferũt.

tionem inſpexi, quæ in eo Pſalmorum libro, quem Franciſcanus in manu tene bat, poſita erat, eiq́ue oſtendi diem Mercurij in ea eccleſia fuiſſe conſtitutum, ut ordinis cauſa & cõmoditatis alicuius ad audiendũ Dei uerbum, precesq́; ſolennes & communes adhibendas homines conuenirent, ſine aliqua conſci entiæ obligatiõe, aut ſuperſtitioſa obſeruatione, quæ mutari nullo modo poſ ſit. Reges etiã ueteres Deumq́; timentes, huiuſmodi, ordinem, ac rationẽ ciui lem ſemper cõſeruaſſe, ut populũ in cognitione, & reuerentia Dei, ueraq́; reli gione retinerent, conſcientiasq́; hoc modo ſubleuarent, potius, quàm ulla ne ceſsitate obligarent. De ijs uerò quę ille diceret à doctoribus eccleſiæ concili ijſq́ue deciſa, et conſtituta ſine expreſſa uerbi Dei authoritate, dixi nõ ita eſſe: ſed uerbo Dei omnia præſcripta & tradita, quæ ad gubernationẽ Eccleſiæ at que hominum ſalutẽ ſunt neceſſaria: ut nulla poſtea deciſione uel præſcripti one opus ſit. Paulus quidẽ ait ſe nihil audere dicere quod Chriſtus per ipſum non fecerit, ut gentes ad obedientiam Euangelij tũ uerbo tum opere adduce ret. Ioannes etiam in ſecunda ſua Canonica loquens de doctrina Ieſu Chriſti, monet nõ eſſe excipiendum ſi quis ueniat neque eam doctrinam affarat. Pau lus uerò Gal. grauiſsimè admonet, ut ſi Angelus etiam ueniret, aliam doctri nam quàm Euangelij à ſe prædicati annuntians, ut eum quaſi anathema quod dam habeant. Chriſtus etiam in Euangelio Ioannis, oſtendit ſe uerum ac bo num eſſe paſtorem, ſuaſq́ue oues uocem alienorũ non audire: ſed qui ex Deo eſt audire uerbum Dei: ſeq́ue ad uitam æternam oſtium eſſe. Item, ſe ſicut miſ ſus fuerat è patre, Apoſtolos quoque ſuos mittere: qui quidem nunquam aliã doctrinam tradiderunt, niſi eam quam ab eo acceperant, in qua una poſtea à Spiritu ſancto illuminati, inſtituti, confirmatiq́ue fuerunt. Et diuus Petrus in prima ſua Canonica cap. iiij paſtores Eccleſiæ monet, eiſq́ue illud officium præſcribit, ut uerbum dei tantũmodo proponant ſine ullo dominatu, quo gre gẽ Chriſti opprimãt. Ab hac autẽ moderatiõe longiſsimè abeſſe eos paſtores, qui in Papatu ſunt: quorũ tyrãnis ſatis oſtẽdit quã eccleſiæ rectionẽ habeant.

Preces publicæ die Mercurij Geneuæ inſtitutæ.

Tum Franciſcanus excipiens, mihi demonſtrauit in uetere eccleſia preſ byteros ac eccleſię miniſtros ſolitos fuiſſe conuenire, ut de ijs rebus, quę ad eã conſtituendam pertinerent communi cõſilio deciderent, quorum nihil in ec cleſia Geneuenſi fuiſſe factum ſe oſtenſurum eſſe dixit ex eo libro meo, Teſta menti nomine inſcripto, quem in manibus tenebat, ut apertius ego ueram ec cleſiæ formam cognoſcerem. Ego autẽ me quidem maximè uelle dixi, ab eo q́ue petij, ut eam rationem qua Apoſtoli in eccleſia conſtituenda fuiſſent uſi, conſideraret, neque exiſtimaret reformationem Geneuenſis eccleſiæ temerè ſuſceptam factamq́ue fuiſſe ſine conſilio Magiſtratuum, ac ſenum, miniſtrorũ q́ue eccleſiæ, eáque diligentia, ordine, & cura quam Apoſtoli Paulus & Silas in eccleſia Theſſalonicæ ac Berrhœæ inſtituenda atque ordinanda adhibuiſ ſent. In qua quidem nihil niſi ex authoritate uerbi Dei eſt inſtitutum, ſicut, ex xvij. Act. facilè cognoſci poteſt. Quòd ſi miniſtri magnæ eccleſiæ Romanæ ad eam inſtitutionem non ſunt uocati, eiúſque ſponſus Papa: non tamen pro pterea exiſtimandum eſt ordinem cæteris eccleſijs ordinãdis prætermiſſum fuiſſe. Ac ex eo quidem Concilio quod Hieroſolymis ad confirmandam ec cleſiam Anthiochenam coactum eſt, ſatis conſtat Act. xv. Apoſtolos nullam legem aut doctrinam niſi uerbi Dei in Eccleſiam introduxiſſe, quemadmo dum Petrus apertè oſtendit, obiurgans eos, qui conabantur Eccleſiæ huiuſ modi iugum imponere, quod nec ipſis, nec patribus eorum fuerat tolerabile. Quinetiam reſcripſerunt fidelibus, qui Antiochiæ erant, ut ab idolis abſtine rent alijſq́ue huiuſmodi pollutionibus atq́; abominationibus, quæ in Papatu magnam uim habent. Tum Franciſcanus mihi obiecit, me in eccleſia Papę ba ptizatum fuiſſe, quod ego quidẽ non negaui: ſed id non impedire gratiã Dei,

Eccleſiæ Geneuenſis reforma tio in calumniã adducitur.

quò minus me in numero ſuorum agnoſcat, quẽadmodũ iniquitas hominũ & prauitas, eius miſericordiã nõ impedit, quam declarat in ijs quos per Spiritũ ſuum ad uitam regenerat, ſanguine Filij ſui eorũ animas aſpergens, ſicut, Paul. vi Roma. de Baptiſmo loquens docet. Poſtea alius, qui ibi aderat, méque de Miſſa parum honorificè loquentem audiuerat, impetrata loquendi poteſtate, dixit me de ſacrificio Miſſæ cum contemptu & contumelia locutum eſſe longáque oratione diſtinxit uetera ſacrificia ab eo quod in Miſſa offerretur. Ad id autem probandum & confirmandum tandem adduxit Pſal. Dauidis cx. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec: eum uerſum ad perpetuum Miſſæ ſacrificiũ accommodans, méque admonẽs, ne diuinis Scripturis contradicerem: ac quærenti quid ego ſuper ea re uellem, dixi Apoſt. ad Hebræos ſatis pro me reſpondere, totámque eccleſiam monere, ne ulla alia ſacrificia aut expectet, aut adhibeat. nam illum Pſalmi uerſum ab Spiritu ſancto de nullo alio ſacrificio editum fuiſſe, quàm de uno & æterno Ieſu Chriſto qui ſemel ſe Deo pro omnibus obtulit: quemadmodum ex ijs quæ ab Apoſtolo accuratè diſputãtur facilè poteſt intelligi. Alia quædam ſunt piorum ſacrificia Deo non ingrata, contritio cordis, & pœnitentia, de qua in Pſalmo *L*. & ſacrificium laudis, quod Apoſtolus ad Hebr. *XIII* fructum labiorum eſſe dicit. cæterùm cum illi multa mihi demonſtraſſent, quamobrem ego ad eccleſiam Romanam reuocari deberem, Suppręfectus quæſiuit, num ego uellem me ad ea referre quæ Lugduni in prima mea cauſa & cõfeſsione acta fuiſſent. Cui cùm ego me uelle & libenter quidem reſpondiſſem: mihi partem quandam eorum actorum, quæ à me ſignata fuerant, oſtenderũt: ſimul etiam ſententiam in mẽbrana perſcriptam, quæ pœnam meam complectebatur, ut in crate poſitus traherer ad eum locum, quem Territorium appellant, ibiqúe ad poſtem alligatus, poſtquam ſtrangulatus eſſem, igne cremarer. Ea autem cùm mihi lecta fuiſſent, Suppræfectúſque quæſiuiſſet, num hæc ſcripta conſentirent cum ijs quæ Lugduni demonſtrata mihi pronuntiatáque fuiſſent. reſpõdi, ea quidem acta, quæ à me ſignata eſſent, partem quandam illius cauſæ meæ continere: ſententiam uerò nunquam mihi fuiſſe pronuntiatam: neque tamen eam me defugere, ſed accipere libenter cum appellatione qua uſus fueram, paratum ſemper meo ſanguine obſignare ea religionis ac fidei meæ capita, quæ tum Lugduni, tum Gratianopoli atramento ſubſignaſſem. Poſtea aliud ſcriptum mihi fuit propoſitum & lectum, in quo regius Procurator concludebat, ut quoniam nolebam eos indicare per quos ad Ligerim ereptus fueram, in ſummam darer quæſtionem: ac propter iniuriam, & contumeliam, qua Regem eccleſiámque Romanam dicebar affeciſſe, ſimul etiam propter hæreſim quæ mihi imponitur, ad plateam Franciſcanorum ducerer, ibiqúe lingua primùm præciſa, exiguo ac lento igni uſtularer, &c. Quæ quidem cùm mihi eſſent recitata, & Suppræfectus quæſiuiſſet, quid ad ea uellem dicere: reſpondi me nunquam potuiſſe cognoſcere nomina eorum, à quibus liberatus fuiſſem, quoniam nunquam qui eſſent, aut quæ res ipſos ad eam opem mihi ferendam adduxiſſet declarare uoluerunt, niſi ſolo ſtudio doctrinæ eius ac religionis quam ego amplecterer, quam illi ex me Lugduni audiuiſsent. Iis de cauſis me non poſſe eos nominare. neque uerò de Rege quicquam contumelioſe dixiſſe, neque hæreticum eſſe, ſed Chriſtianum. Quæ omnia, ut à me reſponſa perſcriberentur in concluſionibus Procuratoris regij poſtulaui. Tum Suppræfectus me in cuſtodiam remiſit, uſq; ad illud tempus, quo denuò corã eo ſum productus, atq; teſtibus duobus comparatus, qui calumnioſe & inique in me conferebant ea quæ ſuprà fuerunt memorata. Sed cùm illi adeſſent, Suppræfecto demonſtraui eas omnes cauſas, quibus illi ad falſum teſtimonium in me dicendum adducti eſsent. Itaque Deus, qui eſt pater pupillorum, peregrinorumq;

Aliæ minæ propoſitæ.

rumq; protector ac defensor, sua prouidentia eò rem deduxit, ut accusatores ac testes, tum apertè iniqua & improba accusandi ratione, tum etiam propria confessione, studium suum & uoluntatem inimicam declararint. Cùm autem Suppræfectus mecum egisset ut respondere ad ea quæ Procurator regius de me statuerat, dixi me amplecti eam sententiã, quæ Lugduni de me antè pronuntiata fuerat: cũ qua appellatio mea erat cõiuncta. Postea causa inter ipsos multũ & sæpe disceptata, Suppræfectus me ad se, cæterosq; omnes qui ibi iurisdictionem habent accersiuit. mecúmque diligẽter egit, consuluit, suasit ut ad ipsorum ecclesiam me referrem. Sed ego ei respõdi, mihi planè constitutũ esse in Ecclesia Iesu Christi, eiusq; uerbo permanere, neq; aliam religionem quàm eam agnoscere. Quòd si alia melior ex uerbo Dei mihi ostendatur, me nõ esse ita pertinacem ut id nõ sequar, quod Deus suo mihi uerbo declararit. Tum quidam ex consiliarijs me monuit, ne ita prudentiæ meæ atq; opinioni adhærerem, cùm præsertim ecclesiæ, quæ essent in Germania, aliæ ab alijs dissentirent ac discreparent: ac nisi iudicium meum authoritati Conciliorum submitterem, futurum hoc modo, ut nouus quotidie Christianismus exoriatur. Huic ego respondi, me quidem meam opinionem sequi nolle, neque niti uelle alia sapientia, quæ summa in Christo Iesu esset, tametsi eam mundus stultitiam existimet. Quòd uerò diceret ecclesias Germanorũ alias ab alijs in religione disiunctas esse, ostendi eas quidem quæ Euangelium essent amplexæ, maximæ inter se coniunctas esse sine ulla dissensione, quòd ad fundamentum fidei Christianæ ac religionis attineret. Neque uerò uerendum esse ut nouus quotidie existat Christianismus, nisi authoritati Conciliorum pareatur. nam dictum esse à Dauide Psalm. xxxiii. alijsq; Scripturæ locis, Concilia Gentium ac populorum à Domino dissipari atque euerti. Quare consilium Dei eiúsque uerbum sequendum esse atque eius authoritatem omnibus Concilijs atque iudicijs præferendam, méque ita malle in paruo Christianismo, quàm in maximo & copiosissimo Papatu permanere. Post hęc autem Suppræfectus me in carcerem Episcopi remisit. ubi cùm intellexissem me Lugdunum reiectum esse, quoniã quidem nullã aliam causam quare plecterer, nisi eam religionẽ & fidem quã in confessione mea declarassem, reperiebant, magnoperè cupiebã loqui cum Suppræfecto: idq; sæpe per lictorem Episcopi quæsiui. Sed nunquam aliquid impetratum est.

Richardus ad suppliciũ ductus.

QVum itaq; ego cum Suppræfecto nullo modo loqui possem, circiter decimam horam aut undecimam quum essem in carcere, Latrunculator cum suo satellitio & notario criminum ad me uenit, mihiq; significauit mandato Suppræfecti Lugdunum eundum esse. Itaq; me statim in cubiculũ suum duxit catenis ferreis constrictũ, ut ibi tandiu essem donec illucesceret: deinde tribus horis pòst media nocte celeriter discessimus, ego equo impositus catenisq; ferreis uinctus. Itinere autem quo Lugdunum itur relicto, Viennam deflexímus metu insidiarum, quas Latrunculator ex rumore quodã suspicabatur. Lugdunum quum uenissemus, ille me ad carcerem Roanæ deduxit, ac custodi commendauit: deinde Præfecto Lugdunensi meum aduentum nuntiauit. Duodecim diebus pòst is Præfectus quum ad me uenisset, me interrogauit, ac quæsiuit quisnam essem, à quo ductus fuissem, quo nomine appellarer, etiã de illa mea liberatione, atque de quibusdam capitibus religionis. Ad quæ omnia respondi pro ea gratia ac facultate, quã Dominus mihi impertiuit. Ignarus plane quid illi de me constituerint, expecto felicem illum diem liberationis meæ, Deumq; oro ut mihi cum patientia eam ferat opem, quam intelligit esse nec essariam: fidemq; in me ita augeat atq; confirmet, ut ea toto hoc mundo superato, supra cœlos penetret ad illam uitã beatam regnúmque cœleste, in quo cũ optimo Deo nostro & Patre misericordiæ, ac Saluatore nostro Iesu Christo perpetuò uicturus sum.

Postea Richardus sæpius interrogatus est à iudice Tignaco, atque doctore Sorbonensi, quem Fumosum appellant, de ijs religionis, ac fidei Christianæ capitibus, de quibus Gratianopoli responderat, ut de Ecclesiæ authoritate, ac potestate Papæ, de sacramento Cœnæ, de confessione, de uerbo Dei eiúsque doctrina & intelligentia, cęterisqúe huiusmodi articulis, in quibus acriter illis restitit, ueritatémque semper defendit, nec ullis unquam eorum argumentis ac rationibus, nec minis aut promissis adduci potuit, ut sententiam fidei susceptam deponeret, ipsamq; ueritatem proderet. Diligẽter etiam ab eodem est quesitum de ijs, per quos in itenere quum Lutetiam duceretur, ereptus fuerat ac liberatus. Sed is neminem unquam nominauit: quum se eos planè ignorare semper diceret. Itaque inuictus in optima causa & confessione Euangelij permansit, aduersarios suos appellans uocánsque ad eum diem, in quo Dominus summa ęquitate & iustitia totius mundi iudicium facturus est. Is igitur post sententiam iudicialem, in qua capitis fuit condemnatus, ad supplicium ductus est, in quo lingua primùm ei fuit amputata, deinde corpus uiuo ustulatum, die Sabbathi vij Iulij, anno suprà notato, *M.D.LIIII.*

PARIS PANIER Dolæ decollatus 7 Aprilis 1554.

PAris Panerius, è Salinis oppido in Burgundię comitatu Iurisconsultus, ut puram & homine Christiano dignam Euangelij confessionem tueretur, mortem constanter pertulit, cui caput Dolæ est amputatum die Sabbathi vij mensis Aprilis, anno *M.D.LIIII.*

FRANCISCVS GAMBA Comi laqueo strangulatus postea exustus 21 Iulij Anno 1554.

FRanciscus Gamba Italus ex ea urbe Longobardiæ quæ Brixia appellatur, cognitionem Euangelij adeptus, Geneuam uenit, ut consilium de quibusdam rebus necessarijs à uiris pijs ac prudentibus qui ea in ecclesia sunt peteret. Eo autem tempore in ea urbe fuit, quo Cœna in festo Pentecostes celebratur, ibiq; cum fidelibus communicauit. Postea in reditu cùm lacũ Comensem traijceret, captus est, atq; ad oppidum Comum deductus. ubi cùm ueritatem Dei constantissima confessione tutatus esset, damnatus est, ut igni cremaretur, *XII* die Iulij *M.D.LIIII.* quemadmodum constat ex ijs literis, quas quidã nobilis Comensis amicus Gambæ, ad quendam fratem eius scriplit, quibus tum singularem illius in religionem amnium studiumq; exponit, tum etiam felicem exitum, in quo pro causa Euangelij ea in urbe combustus fuit. Earum literarum nos hic exemplum subscriplimus.

Historia Gãbi descripta.

AMantissime ac charissime frater, Deus quidẽ mihi testis esse potest eius mœroris, quo nunc animus meus uehementer premitur, cùm de beata morte fratris tui ac mei, mihi ad te est scribendum: neq; dubito, quin consobrinus tuus, qui hic fuit, tibi iam ea omnia narrauerit, quæ ex me in hac urbe audiuerat: sed quoniam hinc redire ad uos cogebatur, quemadmodum ei cõsulebam, non potui tum quidem omnia ei accuratè ac diligenter declarare, quemadmodum cupiebam, & fratri tuo me facturum receperam, ut tu, res quemadmodum gesta esset & frater tuus usque ad mortem se gessisset, cognosceres, causamque potius Dei laudandi, quàm dolendi habere posses. Itaque nactus istam summam scribendi opportunitatem, prætermittere nolui quin ad te tota de re, sicut hic gesta est, scriberem: tum ut materiam lętitiæ potius, quàm molestiæ in Domino tibi darem: qui pro sua gratia & misericordia fratrem tuum delegit, ac dignum iudicauit, qui ueritatem ipsius sanguine suo consignaret: tum etiam, ut id præstarem, quod me facturum ei promiseram, eiúsque mandato ad te de re tota scriberem. Quod quidẽ facio non ita copiose ut res ipsa merebatur: sed tamen breuiter exponam ea præcipua, quæ ego ipse & uidi & audiui. Hoc modo igitur res habet.

Ex eo

Ex eo tempore quò frater tuus in carcerem coniectus est, quandiu in eo fuit, non credibile est quot homines huius urbis ex omni genere atque ordine, in primisq; Doctores, ac nobiles eum uehementer rogauerint, ne pertinaciter huiusmodi uanas opiniones, ut illi arbitrantur, tueretur: ad quas ita putabant eum adductum esse, ut mente ac ratione omni alienatum esse existimarent. Itaque magnoperè eum hortabantur, ut aliquam rei suæ salutisq; cogitationem & curam susciperet, atque omnia huiusmodi delíria abiiceret, quibus illum affici ac teneri arbitrabantur. Sed uir pius constanter semper eis respondit, id quod ipse protulisset cõstanterq; defenderet, nõ esse inanes aliquas speculationes aut uanas opiniones: neque se mente perturbatum esse, ulloq; humore fantastico correptum, ut insaniret: sed puram Dei ueritatem, sanctumq; Domini nostri Iesu Christi uerbum & doctrinam salutarem. De qua quidem quum singula capita proponeret, simul etiam statim grauissima Scripturæ testimonia afferebat, quibus orationem suam probabat & confirmabat, testificans inuicta quadam constantia se multò malle mortem subire, quàm Iesum Christum unum Saluatorem nostrum atque Redemptorem mundi, cuius causam & doctrinam tueretur, quàm denique perfidia sua ueritatem Euangelij prodere, & causam eam quam Deus ipsi commiserat, & commendarat ut eam usque ad mortem tutaretur. Postremò quum is diu cum Doctoribus huius urbis, monachis ac sacerdotibus disputasset, cæterisq; multis qui ad eum accedebant: alij ut illũ ab ea sententia deducerent: alij uerò misericordia quadam permoti, quòd eum hominem planè bonum atq; integrum cognouerant, omnes summo consensu simul eum adierunt: quem quum rogassent ut eam opinionem deponeret, ciuitatem etiam ei promiserunt ac detulerunt cum huiusmodi commodorũ prouisione quam ille posset expetere. Sed quum uiderent se nihil posse ab eo obtinere, paulò pòst aliud nuntium miserunt, eum nisi susceptam opinionẽ & sententiam deponeret, pœnam mortis perpessurum. Ad quod nuntiũ ille lætissimo animo respondit, id quidem unum esse quod omniũ maximè expeteret, neq; aliud eo iucundius nuntiũ afferri posse. Interea dum hæc aguntur, literæ ueniunt à senatu Mediolanensi, cum huiusmodi mandato, ut Franciscus Gamba moreretur, igneq; uiuus cremaretur. Sed quũ ludices iam in eo essent ut conficerent illud mandatũ, eaq; pœna Franciscum afficerent, aliæ literæ Genua sunt allatę cõmendatitiæ, quas Legatus Imperatoris multiq; nobiles Mediolanenses scripserant. Itaq; constitutio executioq; supplicij in aliquot dies dilata est. Quo quidem toto tempore optimus frater tuus, in proposito suo firmus permansit. Neq; diu pòst aliæ literæ mortis eius nuntiæ, allatæ fuerunt. Itaque, ex ea arce, in qua, ut tu scis, captiuus tenebatur, eductus est, productusq; ad eum Magistratum quem Potentatum uocant: qui in ea urbe est ludex causarum tum ciuilium tum capitalium: ibiq; huiusmodi sententia lata est, eum nisi ad se rediret, opinionemq; deponeret, iam condemnatum esse ut summo supplicio afficeretur. Tum ille ostendens se magnoperè lætum, & mirifica quadam consolatione affectum, modestissimè gratias egit Potentatui, pro eo nuntio quod ei allatum fuerat. Is tamen Magistratus, tum mea causa, tum etiam quòd à quibusdam alijs nobilibus rogatus esset, Franciscum in carcere incolumem ea adhuc hebdomade conseruauit. Quo quidem tempore is summa libertate & audacia cum omnibus disputabat, permultas afferens semper rationes atque authoritates ex Scriptura sancta, quibus quod tuebatur confirmaret. Ita ut animus eius magis ac magis augeretur, eiusq; constantia eo maior in dies perspiceretur, quo longior ei uita cõcedebatur. Postremò ludex eũ accersiuit, eiq; dixit ipsum postridie aut certè perendie mori oportere, ex eo mandato quod à senatu Mediolanensi acceperat.

Nuntium mortis martyribus iucundum.

perat. Ille uerò idem quod antea respõdit, sibi quidem id nuntium gratissimũ ac iucundissimum accidere. At cùm Iudex illum iterum rogasset, pluribusque monuisset, si ea quæ dixerat retractare uellet, id quidem certè quod de Sacramento Missę dicere ausus fuerat, id quod ei esset delatum ac promissum planè futurũ: ille huiusmodi promissa nihil curabat, nec pluris ea quàm leuissimum uenti flatum faciebat. sæpe etiam dicebat ea commoda quæ sibi ab illis proponerentur, nullo modo esse comparãda cum ijs bonis, quæ certus erat à Domino se accepturum, cuiusmodi est corona immortalitatis uitaq; æterna omnibus piè Deum colentibus promissa & constituta. Neque uerò animi magnitudinem susceptam unquam abiecit aut infregit, tametsi ab hostibus ueritatis ad eum labefactandum ac planè debilitandum multa ei grauia proponerentur: quin potius cernere quisque poterat constantiam illius ac uirtutem in horas singulas maiorẽ fieri, eaque ab illo dici, quæ omnes qui audiebant magno pere admirarentur. Itaq; magistratus quum uideret eum ita effectum, & confirmatum, constituit ut postridie moreretur. Quod ille quum intellexisset, finemque uitæ suæ iam appropinquare cognouisset, me ad se accersiuit, ut ipse mecũ loqueretur. Inter multa alia magno studio rogauit me, ut de tota sua re & causa, quis exitus eius fuisset, ad te scriberem, teque rogarem tum honoris Dei causa, tum etiam eius amoris ac beneuolentiæ quam erga se haberes, ut nullam molestiam doloremque ex morte sua caperes, quum eam quidem propter Iesum Christum perlubẽter pateretur, incredibilem quandam in animo suo sentiens consolationem & lætitiam, recognoscensque tantam Dei gratiam, qua ab eo electus fuisset & uocatus ad opprobria mundi, crudelemque mortem perferendam, ut causam Filij eius Iesu Christi tueretur, qui uitæ propriæ non pepercit, ut salutem omnibus fidelibus afferret. Postremò se tibi sorores suas & tuas, nepotes, neptesque commendare, ac Deum orare ut uos in optima pace amicitiaque conseruet, eamque gratiam impertiat, ut totam uitam uestram ad ipsius cultum consecrare ac conferre possitis. Postero die manè carnifex, qui natione erat Germanus, ad eum accessit, ut eum admoneret de supplicio, quod ipse eo die erat executurus, utque sibi ob eam rem ignosceret. Cui frater tuus respondit, ne uereretur audacter facere quod ipsi iniunctum erat. se quidem non solùm ei ex animo ignoscere, uerumetiam Deum orare ut pro sua gratia ipsum illuminaret, atque, ad cognitionem salutis suæ adduceret. Addidit etiam, se si pecuniam habuisset, illi daturum fuisse. Deinde ad Potentatum adductus est, ab eoque iterum rogatus ut quæ dixerat retractaret atque opinionem deponeret. sed ille non plus quàm antea quicquam eorum uoluit facere. Itaque iudex quum eum orasset, ne id quod faceret, alienum ei uideretur, declarauit ei se summa necessitate atque authoritate dominorum adduci, ut eum morte mulctaret. Tum Franciscus modestissimis uerbis ei gratias egit, ac dixit se animo magnopere dolere quod illi quid facerent plane nescirent, Deumque orare ut suam eis misericordiam impertiret. Simulatque campana significationem supplicij futuri dedit, duo paria monachorum prodierunt, ex eorum genere ac ordine qui Capucini appellantur. Veniebãt autem eo animo ut eius confessionẽ audirẽt: ac prima frõte eum monuerunt ne molestiã aliquam mœrorẽq; animo acciperet. Sed eis ille planè respondit, sibi eorũ comitatũ nullo modo esse necessarium, monuitq; ut se reciperẽt. Cęterùm fraterculi, ut mos ipsorum est, habebãt crucem in manu, eamq; ostendebant ut memoriã crucis Christi illi renouarẽt. Sed Franciscus aiebat Iesum Christũ optimè in corde suo esse impressũ, eiusq; mortis memoriã planè infixã, cuius uirtutem sentiebat. Quumq; illi iterum dixissent, eum nisi ad crucem respiceret in desperationem delapsurum quum tormenta ignis sentiret: respõdit, cor suum ea consolatione ac lætitia perfusum esse, ut iã

Constantia Gãbi.

Carnifici martyr benigne ignoscit.

gaudio

gaudio quodam, quod omnem sensum intellectumq; humanum superaret, frueretur. Quod uerò ad cruciatum attinet, quem in corpore suo sensurus esset, eum subitò transiturum: animam uerò suam participem futuram beatitudinis cœlestis, in illa societate beatorũ spirituum atq; Angelorum, cum quibus perfrueretur in perpetuum ijs bonis quæ Deus filijs suis comparauit, quæ neq; oculi hominum unquam uiderunt, nec aures eorũ audierunt. Postea quũ hæc & alia huiusmodi, singularis cõsolationis plenissima dixisset, ut ei adimeretur omnis loquẽdi facultas, neq; amplius ab ijs qui aderãt intelligeretur, lingua ei est perforata. Ipse deinde ductus ad locũ supplicio constitutũ: ibi positis in terrã genibus, oculisq; in cœlũ sublatis, Deũ orabat tanto animi ardore ut oẽs admirarentur. Deinde quũ surrexisset, ita se ad suppliciũ composuit atque accinxit, ut carnifex postulabat: statimq; laqueo uitam finiuit. Nam quamuis condemnatus esset ut uiuus combureretur, ei tamen ea gratia impertita fuit, ut sine magno languore doloreq; moreretur. Nemo quidem eorum qui ibi affuerunt, eiusq; constantiam summamq; animi æquitatem spectarunt, fuit, qui non ita admiraretur, ut attonitus planè incertusq; quid ageret, existeret: neque aliud dicere poterant, quàm optimum innocentissimumq; hominem, ac uerum Iesu Christi martyrem ac testem ab illis necatum esse. Atque ille quidem pius uir multa alia sanctissimè est loquutus cum eo toto tempore quo fuit in carcere, tum etiam quum iam ei moriendum esset: quæ quidem digna sunt, quæ ad omnium cognitionem perueniret: sed ego ea non possum ad te hoc tempore scribere: ac uereor ne paulò longior fuerim. Hoc solùm addam, quod ille fecit quum iam spiritum redditurus esset. Nam quum ego seorsum essem post multitudinem quatuor millium hominum, oculos satis procul in me coniecit, manúque dextra quæ non erat ligata signum dedit, quo ego admonitus ad te scriberem, & ea quæ promiseram præstarem. Et mox caput inclinans, Deo spiritum reddidit, die XXI mensis Iulij, M.D.LIIII. Scriptum Comi, XXIX Iulij, M.D.LIIII.

Martyrium Gambi.

HOSTIVS AVT GEORGIVS de Catiline

Gandauì exustus 27 Aprilis. Anno 1555.

HOstius ille Gandaui Flandrię Metropoli natus & educatus, in adolescẽtia sua bonis literis institutus est: ob ingenij autem fœlicitatem egregiè profecit. Postea uerò artem sericis Porschimentis conficiendã exercuit. Erat præterea eximius artifex cęlando uario opere uel etiam inaurando superficiem armorum & cultrorum. Is itaq; à prima ætate in Angliam se contulerat, ut in ea regione sub magistro opificium suum exerceret. Cùm uerò magister eius, Hostij nomen in ea regione inusitatum admiraretur, Georgium ipsum appellauit, quo nomine postea ubiq; notus fuit. Anno autem M. D. L, regnante Edouardo VI: quum Flandricæ regionis incolæ permissu Regis ecclesiam Londini instituissent ex uerbo Dei emendatiorẽ: hic noster Hostius (quem aliqui Othonem uocant) sedulò conciones frequentabat, ut doctrinã Euangelij audiret. Sed quia imbuta ac præpedita Papistarum superstitionibus, mens eius non satis initiò capiebat scientiam illam salutis, Catilina se totum lectioni sacræ Scripturæ dedit, in qua breui tempore tantos fecerat progressus, ut Ecclesiæ Christi perutilis opera ipsius acciderit. In primis enim eò respexit ut doctrinam Christi bene intelligeret. propterea locos obscuriores cum pastoribus contulit, & eorum explicationes cum omni reuerẽtia admisit. potissimum uerò ex Pauli epistola ad Galatas profecit. legit & Anabaptistarum libros, ut homines eos simplices ab errore in uiam reuocaret. Vnde etiam librum composuit: Christum humanitatem non ex cœlo uerum ex Maria & semine Abraham suscepisse. Deinde statuebat unicè bono exemplo & innocenti uita suam fidem declarare. hinc omnib. amicus, pauperib. liberalis, & humi-

& humilitate conſpicuus. cũ uerò Anno 1553 Eduardus moreretur et Maria ſoror in regno ſuccederet, papatus reſtituitur, pij interficiuntur aut proſcribuntur, alij ſponte migrarunt. Vnde & Hoſtius cum uxore ad urbẽ Nordenſem in Friſiam uenit, ut ibi pedem figeret. Conſolatus eſt etiam Eccleſias diſperſas Epiſtola. Tandẽ Anno 1555 Gandauum in patriam profectus ad cognatos ob negotia quædam expedienda. Amici ipſius antequam ſe itineri commiſiſſet, monuerunt beneuolè hominem, ut ſiquando inter lupos uerſaretur, conſideratè omnia ac modeſtè ageret, ne ſponte in diſcrimen capitis ſe conijceret: quibus ille reſpondit, nihil ſe quidem temerè aut incõſideratè acturum: ſed ſi, inquit, incidero in eos qui ſuis blaſphemijs Deum eiuſq́ue Filium Ieſum Chriſtum contumelia afficiunt: abſit ut tale quid audiens, ulla ratione taceam. neq; enim lampas uaſi ſupponenda eſt. In traiectu ipſius maris, non ſine magno periculo cum multis alijs nauigans, comites ſuos ex uerbo Dei conſolabatur.

Hoſtius ſuos comites in periculo ſolatur.

D. Pauli exemplum imitatus, nec etiam euentus fefellit. quumq; iam ſalui portum ingreſſi eſſent, hortatus eſt omnes ad agendum Deo gratias, atque in timore eius permanendum: fieri enim poſſe, ut qui illos maris periculo liberaſſet, is fidem illorum poſtmodò per ignem probaret, atque ita ex hac uita eriperet. quod quidem uerè eſt de ſe locutus. nam feruor ac zelus quo ueritatis ſtudium amplexus erat, haud paſſus eſt ipſum diu in his mũdi miſerijs uiuere: qui hoc pietatis amore flagrans, omni planè metu remoto, nõ deſtitit etiã publicè idololatriã deteſtari. Res aũt ſic ſe habet, Gandauũ quũ peruenijſſet, amicos aliquos in uera religione inſtituit, & contẽptores ueritatis amice erroris magno cũ fructu admonuit. Tandẽ certior factus eſt ea in urbe Dominicanũ quendẽ, cui Piſtorius cognomẽ erat, ueritatis habere cognitionẽ, ueramq; doctrinam populo annunciare, ac propterea ingentem hominum frequentiam ad eius conciones audiendas concurrere. Hoc rumore incitatus Hoſtius die Iouis ante feſtum Paſchæ ingreſſus eſt templũ S. Michaelis (in quo ferè ſemper monachus ille concionari ſolitus erat) ſibiq́ue locũ delegit è regione ſuggeſti, quò melius quæ dicerentur audire poſſet. Sed ecce monachus conſcenſo ſuggeſto pro theſauro carbones affert, loco ſalubris pabuli dira uenena proponit populo. Etenim multis uerbis in ea concione tranſſubſtantiationẽ ſuam confirmabat, magnopere cupiens perſuadere populo, uirtute uerborum Sacramentalium (ut aiũt) panem conuerti in ſubſtantiã corporis Chriſti. Hæc uerba adeò Hoſtium pupugerunt, quum tam apertè pupulo illudi cerneret, ut uultus eius præ animi perturbatione planè immutaretur: atque ægrè admodum ſe continuit dum finem concioni impoſuiſſet monachus, quem ex ſuggeſto deſcendentem, nudato capite his uerbis excepit: Heus, amice, tota oratio tua manifeſtè pugnat cum Sacris literis, per quas (ſiquidem mihi fiat audientia) clarè demonſtrabo falſam te populo annuntiaſſe doctrinam. Cucullatus uerò animo perturbatus, hunc auſcultare noluit, ſed ei fecit indicium ut recederet. Hoſtius contrà propius ipſum acceſsit magnoq; Spiritus ardore flagrans, O Pſeudopropheta, inquit, qui falſo perſuades populo panem uerè eſſe corpus Chriſti, quum Sacramentum tantummodo ſit Chriſti pro nobis paſsi ac mortui. Dum hęc fiunt, ingens populi tumultus oritur, multiq́ue utriuſq; ſexus homines ad illum, Heu, inquiunt, amice, quid agis? Quibus ille reſpondit, Pſeudoprophetæ ſunt iſti, qui uos ſpecie ueri decipiunt: ne credite. His dictis, impetu turbæ è templo egredientis unà quoque ipſe abreptus egredi coactus fuit, ac quanuis plurimi eum hortarentur, ut ſe in pedes conijceret: negauit tamẽ facturũ ſe, quin potius eos monebat, ut quę palàm & publicè dixiſſet apud ſe quiſq; diligenter expenderet: actum moderato inceſſu abiens, quum uixdum ad Portam de Briſche Vualporte quæ ferè in meditullio urbis non procul à prædicto templo Michaelis ſita eſt, peruenijſſet, interceptus fuit

ptus fuit à Procuratione fiſci Iacobo Heſſelio, qui hominem iuſsit deduci ad uetus Comitis caſtrum circiter horam decimam antemeridianam xi. Apr. Anno 1555. Nec etiam admittebantur ulli homines quantumuis propinqui, niſi ſi qui eſſent, qui ipſum à propoſito auocare & ad reuocationem doctrinæ impellere uellent. At Pomeridianis horis Procurator ille cũ Piſtorio eiúſque collega Ioanne Bunderio, alijſqúe eiuſdem farinę hominibus ad carcerem ſe contulit, qui cum Hoſtio tribus ad minimum horis diſputarunt de præcipuis religionis papiſticæ capitibus, quæ illi cauillis & multis logomachijs, tueri & aſſerere conabantur: tranſubſtantiationem uidelicet, inuocationem Sanctorum, Purgatorium, ac cæteras eiuſmodi nugas. Hoſtius ea omnia uerbi Diuini trutina examinari, atque ex doctrina Filij Dei, uelut Lydio lapide probari cupiebat. Illi uerò metuentes ne cauſa caderent, ab eo examine abhorrebant: tandemq; conſtitutum eſt inter ipſos ut ſententiam ſuam ſcripto declararet Hoſtius, cui Procurator papyrum & alia ad ſcriptionem neceſſaria tradi curauit. Nos autẽ hic adijciemus quãdam ueluti ſummam diſquiſitionis. Ac primùm de cœna Domini, dicebat ſubeſſe tropum uerbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum: neque enim id craſſe intelligendum eſſe ac ſi panis ſit ipſa ſubſtantia naturalis corporis Chriſti, quod uarijs exemplis ac teſtimonijs Scripturæ oſtendebat ſic nec poſſe nec debere intelligi. Aduerſarij interrupto eius ſermone uenerunt ad quæſtionem de inuocatione Sanctorum. reſpondit ille, unum tantummodo Deum adorandum eſſe in Spiritu & ueritate: nam quum is, inquit, ad ſe uocet omnes qui ſub onere gemunt, ut ijs alleuationem afferat: quũ hortetur ut pulſemus, quęramus ac petamus, addita promiſsione nequaquam fruſtratum iri ſpe ſua quenquam: denique quum certò ſciamus Deum ſummè bonum, haud dubiè daturũ quidquid in nomine Chriſti petierimus, ſumma profectò ipſius maieſtatem iniuria afficimus, ſi in precibus noſtris ad Deum, alium mediatorem uel aduocatum adhibeamus quàm Chriſtum: quocirca impudẽter ac ſceleratè illos facere dicebat qui Chriſtũ iure ſuo priuantes perſuadẽt plebi Sanctos nobis apud Deum patrocinari ac pro peccatoribus intercedere: quod officium uni Chriſto commiſſum eſt, qui in cruce pepẽdit & noſtrum reatum ſubijt. neque enim ad quenquam maiori cum fiducia ac ſpe ſalutis obtinendæ accedere poſſumus quàm ad eum qui communis omniũ noſtrũm frater eſt, Filius æternus Dei uiuentis: qui ſolus & uult & poteſt bene facere generi humano. Ad quæſtionẽ illam friuolam de igne Purgatorio, duas ſe tantùm noſſe uias aiebat, alteram quæ ducit ad cœlum ubi quietis beatorũ ſedes eſt, alteram quæ ducit ad inferos, reproborum omnium triſte domicilium. Hæ uiæ nobis proponuntur Scripturæ exemplis de malè Diuite ac Lazaro, atque Latrone altero cui Chriſtus in cruce dixit, Hodie eris mecum in paradiſo: non autem, Hodie conijcieris in ignem Purgatorij ut ibi pro peccatis tuis pœnitentiam agas. Rogatus etiam à monachis an Papã agnoſceret, quippe qui caput ſit ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: reſpõdit, Chriſto Redemptori eum tantummodò honorem tribuendum, ut ſummum ſit & unicum Eccleſiæ caput: Papam uerò ſe habere pro Præſule eccleſiæ Antichriſti, eundemq; deteſtari ut filium perditionis ſedentem in loco ſancto. Deinde rediens ad ſermonem de cœna, quem interruperant Cucullati, negauit planè, Chriſtum in ea corporaliter, ac realiter, ut loquuntur, contineri, manibúſque ſacrificorum attrectari: dictumq; ſuum aut potius Chriſti, confirmabat Scripturæ locis tam commodis atq; dilucidis, ut patroni dignitatis papiſticę & tranſſubſtantiationis defenſores prorſus obmuteſcerent, ſuamq; infantiam cum ſumma impietate ac nequitia coniunctam in cauillis & tergiuerſationibus friuolis facilè auditoribus proderent. Præſes autem Flandriæ Heluuegh quum uideret hominem coram ſe & nonnullis conſiliarijs, tã præſenti animo, magna ingenij dex-

Diſquiſitiõ cũ Hoſtio habita.

teritate,ſermonisq; mirabili ſuauitate interrogatis reſpondere: Hoſtium affatus,Non licet,inquit,mihi per edictum Principis diſputare de fide cum hæretico cuiuſcunq; ſectæ,ſed mittam ad te monachum aut ſi mauis ſacerdotem laicum(ut uocant)qui cœptam diſputationem perſequatur.Hoſtius autem reſpõdit ſe paratum eſſe fidei ſuæ rationem reddere non ſolùm illis, ſed etiam ex plebe infima abiectiſsimo cuiq;. Præſidi uerò & conſiliaris qui aderant bene precabatur, optabátque ut diu officio ſuo fungi poſſent ad gloriam Dei atq; animarum ſuarum ſalutem. Scripſit autem poſt ad uxorem ſuam Chriſtinam quã reliquerat Emedæ in comitatu Friſiæ Orientalis, conſolans illam atq; exhortans ut omnem curam uitæ huius caducæ Domino commendaret,qui uiduas & pupillos in tutelam ſuam recipit, ut ipſe in Scripturis teſtatur: monebat præterea eam ut quæ coniugij pignora habebant Samuelem ſcilicet & Saram diligenter in Chriſtiana inſtitueret fide, quã quidẽ quinq; annis ſimul coluerãt,,p qua breui mortẽ ſubiturũ ſe ſignificabat: poſtremò iubebat ut ductu Spiritus ſancti,certũ aliquod uitæ genus amplecteretur. Die Sabbathi qui 27 erat Ap.anni ſupra nominati,Hoſtius, natus annos circiter triginta,capitis dã natus, ſecũda pomeridiana in forũ ductus eſt,ubi faſces ad eum exurendũ diſpoſiti erãt. Quum autẽ populũ qui tã triſtis ſupplicij ſpectator aderat,hortari uellet Catelina et ſeſe excuſare interpellatus fuit ab Heſſelio, qui carnificẽ ſæpius monebat,ut expediret ſuũ negotiũ.Quo uiſo,reus ægerrimè tulit ſibi nullam fieri poteſtatẽ loquendi ad populum.proinde Heſſelium compellãs, Video,inquit,te ſolicitum eſſe & anxiè laborare ad effundendũ ſanguinẽ innoxium,ſed precor Deũ ut tibi ignoſcat. Ad quę uerba Procurator ille ridẽdo reſpondit,Amẽ,amen. Deinde Hoſtius ſe conuertẽs ad plebẽ,multa,inquit,decreuerã uobis declarare,ſed imperatur mihi ſilentiũ,quę res admodũ me malè habet. Tum carnifex,ut moris eſt in iſs locis, procũbens in genua ante ipſum, rogauit ut ſibi ignoſceret quòd per eũ plectendus eſſet:Hoſtius autem torto-

Hoſtij martyrium.

rẽ oſculatus,Ego,uerò, inquit,tibi cõdono ac lubẽs:peccata tibi tua cõdonet Dominus opto. Ac protinus ſe ingenua proſternẽs, in hanc rationẽ precatus eſt, Pater cœleſtis qui ſecundũ promiſsiones tuas miſiſti Filiũ tuũ unigenitũ ut ſe offerret in ſacrificiũ,p peccatorũ noſtrorũ reatu: ſupplico tibi unus è ſeruis tuis etiã minimus,ut me quoq; gratię tuę ac miſericordiæ participẽ facias. Vos aũt fratres chariſsimi,obſecro & obteſtor ut cõcorditer omnes Deũ pro me precemini,ut quemadmodũ pollicitus eſt ſuis,in extrema hac uitę meę hora mihi adſit,nec deſerat unquam.Hic rurſus Procurator,ad carnificẽ ut ſupplicium maturaret clamauit. ac tũ placidè uelut ouis ſe Catelina ad palũ deligari paſſus eſt.dumq; catenis circuncirca uinciretur,ad populũ hæc uerba habuit, Cauete à pſeudoprophetis,qui dicũt Ecce,hic eſt,aut illic Chriſtus:ne erretis, quoniã in cœlis eſt ad dexterã Dei Patris. Ad extremum ſublata uoce,Pater, inquit,cœleſtis in manus tuas commẽdo Spiritum meum, teq; oro ut pro gratia tua,puerulos meos in timore nominis tui conſerues.His dictis primùm laqueo ſuffocatus,flammiſqúe aduſtus, deinde in patibulo extra urbem ſuſpenſus inter fures & latrones fuit:ſed haud dubiè anima ipſius in cœlũ ſublata eſt, propter Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui corpus etiam eiuſdẽ in ultimo die excitabit,ut beata immortalitate cũ omnibus Sanctis fruatur.Si quis hanc hiſtoriam copioſius habere deſideret legat lib.7. Lud.Rabi.

IOANNES FILIEVL ET IVLIANVS LEVEILLE,

Sampetri in Gallia martyrio affecti Anno 1554.

Blanditijs falſis pij decepti.

ANno Domini *M.D.LIIII. XVII* Cal. Maij. Ioannes Filiolius faber lignarius, & Iulianus Leuelhæus ligularius,Sanſerræ Burgundionum oppido natus, comprehenſi fuerunt à Gillio Perſio Latrunculatore prouinciæ Borbonienſis,auſpicio D.Sanctandreani, Tribuni celerum:idqúe,duobus circiter à

Niuerno

Niuerno milliaribus quà Desiram itur. Comprehensurus autem eos Gillius, Sat scio, inquit, ô fratres, quô pergatis. cedite amabo, nobisque uos aperire ne dubitate. nos enim ij profectò sumus, ô fratres, qui quidem uos uniuersos omni sceleratorum hominum contumelia, nedum iniuria, prohibere maximè uelimus. His blanditijs eos paulatim allicere ueterator ille nitebatur, assimulatæ ueritatis specie, falsáque animi erga illos sui prædicatiõe tectus, ac fidẽ etiã suam, si egerent, ultro pollicitus. Quin ut callidius exciperet incautos, præmisit sagittarios suos his uerbis, Ite præ, inquit, ite, equôsque admittite: nihil enim hic ad uos locus. Postmodum autem insequens undique, Eia, inquit, fratres, quónã pergitis, inquam? Pergimus, inquiũt, Desiram. Nec longius? Sanè quidem. Nũ, inquit, Geneuam? eodémque & infantulum hunc & filiam deducitis? Illi ingenuè fateri. Et uxores, inquit, uestræ illic ne sunt? Illi fateri rursum. Mox ad os admoto pugno sibilans Gillius aduocat sagittarios, atque ut Niuernum in custodiam adducantur iubet: id quod actutum est factum. Illò deducti, pluribus ab eodẽ uerbis super eo quod paulò antè confessi fuissent, interrogantur: eo se nimirum consilio proficisci Geneuam, ut in rem diuinam, quam passim in Gallia tum blasphemijs, idololatria, pseudoprophetia, tũ abusu Sacramentorum inexpiabili contaminari quotidie cernerent, incumbere rectius possent: Geneuam autem esse ciuitatem, in quam redituia iam Euangelicæ disciplinę ueritas quasi postliminij iure quodam reuersa esse uideretur. Quoniam autem Sacramenta nonnihil attigerant, rogabat primùm quem Sacramentorum usum optimum esse arbitrarentur: quam item Euangelicam doctrinam, quam quidem auspicatæ maximè ciuitatum omnium Geneuæ consedisse dicerent. Ac Primùm quidem, num Christum ipsum hostia sacerdotali sic inclusum crederent, ut & panem & uinum pronuntiatis nonnullis à sacrificulo uerbis id quod sunt protinus esse desinere, ac repẽtè uerum Christi corpus & sanguinem effici conflariqúe iudicarent. Illi tum Iesum Christum (ut scriptum est) in cœlum ascendisse, se credere, ad dexteram sedere Dei Patris, indéque uenturum iudicatum uiuos ac mortuos: eóque modo & panem & uinum naturæ suæ proprietatem utique retinere. Nec uerò panem ipsum & uinum aliud esse quicquam in hoc genere putãdum, nisi signum ac indicium ueri corporis & sanguinis Iesu Christi: quoniam sicut pane cor humanum uegetaretur, uino delectaretur, sic animus pretioso Iesu Christi corpore quasi sustentaretur, sanguine relaxaretur: per illum enim receptum habuisse nos ad Patrem. Hæc se omnia sine controuersia uerissima & fateri esse, & uitæ periculo profiteri cupere. Interrogati deinde quid de Communicatione statuerent, aiebant administrari panem & uinum in commemorationem mortis passionisque Iesu Christi: actum quidem non accipi tantùm panem & uinum, sed planè etiam fidei beneficio uerum ipsum corpus & sanguinem eiusdem Christi, qui animum interposito fidei uelut instrumento purgaret atquè reficeret. Quòd ad Missam, de qua quoque interrogarẽtur, pertineret, meram superstitionẽ, & idololatriã aiebant esse, merum hominũ inuentum, merã condemnationem. Quòd autem diuum Petrum Papam, Missæq; potissimum authorem existimaret, opinione longè falsum illum. nihil enim de Missa ne cogitasse quidem diuum Petrum unquam, tantùm Euangelio nuntiando interpretandoq; præfectum, atque eo nomine uocatum & selectum fuisse. Itaque si quam salutis partem in illa Missa poneremus, inanem ac ieiunam Domini nostri Iesu Christi passionem esse oportere: quòd nemo mortalium, Christianorum præsertim hominum, non modò non usurpare sermone, sed ne cogitatione quidem ulla comprehendere uelle debeat. atque hinc effici quidem id quod est, nihili planè rem esse Missam istam: meram, inquam, idololatriam esse Missam istam, quæ (nefandam sanè rem ac morte piandam) passionẽ Domi-

Communicatio cœnæ domini quid.

ni noſtri Ieſu Chriſti poſt hominum memoriam improbiſsimè flagitioſiſsimèque conuellens & obliterans, ſeipſam ingerat impudentiſsimè: ſeq; aliquid eſſe ac planè iam etiam mordicus oportere retineri tranſuerſis quibuſdam, ſed alienis & exoticis hominibus indigniſsimè perſuadeat. Interrogati præterea num ſacrificus panem in corpus Chriſti reuera conuertendi facultatem haberet, Deum ipſum neq; ſubditum hominibus, neque eorum linguis & exorciſmis obnoxium aiunt eſſe. quin contrà Deo ſubiecta & obſequioſa dicunt omnia: delirumq; & errorem inſanum eſſe quendam, attribuere uirtutem aliquã eis uerbis, quæ ſacris in rebus hominum inuentione & artificio proferuntur. Vtrum autem ea quæ poſuimus, aliquid ad manes è Purgatorio detrahendos conducere putarent? nũ Purgatorium etiã ipſum conſtituerent? reſpondẽt. tantum abeſſe ut conducerẽt ut etiam condẽnationem illis accerſerent, Deiq́ue indignationẽ aduerſum ſe prouocarent. Porrò Purgatorium nec eſſe ullum præterquam ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſcriptum eſt, neq; purgari cuiuſquam poſſe peccata niſi per effuſionem illius ſanguinis. Interpellationem igitur Sanctorum eiurantes, ait latrunculator, nullo nec honore, nec ueneratione proſequendos cenſetis. Honorem depeculari Sanctorum, inquiunt, minimè uolumus: at debitam uni Deo gloriam auferre & Sanctis aſcribere, id quidem ſit uel ipſorum uoluntati Sanctorum intemperanter obſiſtere. Scitum enim ſcriptumq; eſt, ad Deum honorem & gloriam unum referri ſemper oportere. Quòd ut adeſſe Sancti nobis & opitulari poſsint, tamen honorem qui ſoli Deo debetur, undéque uis omnis ac poteſtas proficiſcitur, impudenter ad ſe rapere profectò nolint. Quòd ad poſtulationis aduocationiſq́ue ſpectaret naturam, hanc ſolius Chriſti propriam agnoſcere & fateri ſeſe, qui Chriſtus petitione nulla extrinſecus adhibita, tantùm motu quodam proprio ſuo ac officio nobis adſit præſtóque ſit apud Patrem. Apud quem igitur exomologeſin facere oporteret, quis ille tandem eſſet qui peccata condonaret, an non ſacerdoti cõfitendum, an ab eodem non expectanda remiſsio peccatorũ, interrogati: Aiunt, conſcientię cauſam non ad ſacerdotẽ, quem in eadẽ offenſa nobiſcum eſſe uideamus, ſed ad Deũ unicum humanarum offenſionũ expiatorem,, ſolum iuſtum, ut ſcriptum eſt tantùm eſſe, deferendã. Poteſtatẽ igitur ligandi & ſoluendi non habebunt? Mandatum, inquiunt, illis eſt Euangelium uerè profiteri, ueritatemq; qua huiuſcemodi ligatio ſolutióque tam hic apud nos, quàm ſuperius in cœlo confitetur, enunciare. Ad extremum autem interrogati an res omnes quas aſſeruiſſent, ſibi conſtarent, ueræq; eſſent. ueriſsimas dixerunt eſſe, in eiſq́ue ſitam fidem atq; perſuaſionem ſuam. Itaq; chirographum eis ſuum appoſuerũt: teſtificatiq; ſunt ſe ualde ſibi fortunatos uideri, quos Deus dignos cenſuiſſet, qui in hanc cauſſam deducerentur. Paulò pòſt ad Sampetrum monaſterianũ à latrunculatore ducuntur: oppidiq; ſup præfecto cũ elogijs & interrogationibus ſuperioribus tradũtur. quo in loco eiſdem de rebus interrogati, ſibi conſenſerunt. Quocirca re ad forenſes homines delata, inq; deliberationẽ cum quibuſdã ac citis Patronis deducta, tanta uarietate ſententiarũ, ut cui potiſsimum adiudicari ſupplicio deberent, exputare nullo modo poſſent: frequentes in eam ibãt ſententiam, ut adnotatis illorum bonis ipſi proſcriberentur. Cui ſententiæ cum à Ioan. Bergeronio quæſitore ſuppręfecto reclamaretur, ipſe decreuit ut tædiferorũ habitu per ora uulgi traductu, nudi Miſſæ operã darent primùm, deinde cõburentur. Prouocatur ad curiã Pariſienſem, quo in loco quantò rogantur diligentius, tantò ſe gerũt conſtãtius. quanquã enim & amicorũ gratia ualerẽt, & diplomatibus quibus ſeries ipſa tota cauſæ de integro inſpici iubebatur, uti poſſent: tamen in ſententia permanſerunt. Dum Lutetiæ ſunt, latrunculator fanaticus & inſanus moritur, cuius uiri morte perculſi quidam, animis conſternantur, alij uerò iuſtiſsimum Dei

Sancti ut honorandi.

Iudices in ſentẽtia ferenda diſcrepant.

mum Dei iudicium admirati, sibi inuicem gratulantur. Tandem autem reiecti martyres Sampetrum monasterianum Lutetia reuersi *XVIII* Calendas Feb. In Concilium uenire iubentur, ut quid animi tum demùm habeant, ostẽdant. Perseueraturos ad extremum se dicunt esse: prꝫuaricatores se rati fore, si quod uerissimum esse cognouerint, abiurent. Tum actuarius Parisiensis curiæ decretum recitat: quo decreto continebatur, uiuos ambos exuri oportere, siquidem sibi perpetuò consentientes peruicaciam istiusmodi non abiicerent: profert item decretum alterum memoria tantùm hominum, non scripto consignatum: quo constabat præcidi quoque eis linguas oportere, si pergerent: sin ueterem istam opinionem excuti sibi paterentur, sanè fore ut laquei præfocatione flammam anteuerterent, & linguæ sectione liberati iucundius uitam cũ morte commutarent. Velletis ipsi quidem, inquiunt, ut reiecta ueritatis optima causa Deum nostrum abiuraremus: at frustra uos uniuersi conficitis. Vix absoluerant, quum decreti capita tria recitari desierunt: quorum primum illud erat, perperam ac peruerse ambos de sancto sacramento loquutos. Imò uerò, inquiunt, optimè ueriss iméque. Secundum, falso Baptismum eosdem abiurasse. Imò constanter asseruisse, sed informasse, inquiunt. Tertium, Deum ac diuos ipsos immortales acerbitate contumelioſa uerborum insectatos fuisse. Quin contrà, inquiunt, & Dei causam strenuè suscepisse, & diuos in honore semper habuisse. Mox se ipsi contuentes ambo, inuicem hortari se, paratósque esse dicere non tantùm unius alteriúsue membri facere iacturam, uerumetiam totius corporis naufragium, dum ea sustineant quæ cùm ad salutem suam, tum uerò Dei opt. maximi decus & ornamentum pertinere arbitrentur. genus enim hoc totum suppliciorum & animaduersionum momentaneum, uel potius etiam optabile & suaue, si cum tanti boni quantum ipsi iam spe atque animo consecuti sint, præstantia & diuturnitate comparetur. Suppræfectus grauissima post homines natos illis genera tormentorum indicere, nisi dicta reuocarent: illi contrà (pergeret audacter) eis enim se tormentis perterrefieri nullo modo, quibus hæreditatem adituri essent, quam amplissimam & expeditissimã sibi propositã esse minimè dubitarent. Exuunt, uinciũtur, idq; à meridie ad tertiã. Nihilominus oratione perpetua Dei bonitatem ac misericordiã dilaudantes, præclarissimè secum agi testantur, quos in causam suam demisisset, quos honore tãto dignatus esset. Itaq; supplicij genus acerbissimum expectantes, unà canũt Psal. 6, Domine ne in, &c. & deinceps cant. Symeonis, Nũc dimittis seruum tuum Domine. Mox suppꝫfectus insania & furore prꝫceps, Dominicanum præmittit ad illos quendam, captiosum hominem in disputatione, & in comprimenda ueritate ueteratorem eximium ac propè singularẽ. qui cùm multiplicẽ ac uariã cũ martyribus disputationẽ instituisset, exceptus ille quidẽ initio fuit: postea uerò fractus atq; fusus. Abite, inquit, in malã crucem ô intemperiæ, ô agitatæ furiæ. Succedit Suppræfectus: ligneam crucem in utriusque colligatas manus imponit: arripitur dentibus crux, uiqúe summa proijcitur, gerendam enim aliam ambobus crucem longè pretiosiorem & excellẽtiorem esse. Hoc facto cõcitatus Suppꝫfectus linguas excindere ambobus iubet: parent illi incredibili constantia. quódque maiorem in re noua mirationem facit, exectæ iam eædem illæ linguæ postridie in ipsa Concilij publici classe reperiuntur. Itaque horum martyrum exemplo duorum liquidò ostendit Dominus se loquendi facultatem non alligasse linguæ. præcisa enim ea concesserit utrique bonus ac misericos Deus ut loquerentur. nam ad supplicij locum progressi, Nos, inquiunt, aliquando tandem & peccato & carni & mundo & diabolo postremum ualedicimus: nunquam cum illis commune quicquam habituri sumus. Alia præterea quædam à summis illis sanè uiris intelligenter excipiebantur. Quin etiam lictore eos sulphureo & tormentario

Capita accusationis.

Martyres excisa lingua loquũtur.

puluere conspergente & succussante: Agè, inquit Filiolius, salle, sall e seriò putridas & carioſas haſce carnes. Mox prorupta in faciem flamma, immoto corpore consistentes, feliciter spiritum ediderunt. Hæc ex Ioanne Crispino.

DIONYSIVS VAYRVS Rothomagi crematus 9 Augusti, Anno 1554.

Dionysius Christum prædicat in Insulis.

Dionysius, Vayrus, Fontenij ortus, dioc. Baiocēsis, in inferiori Northmaniæ parte, ualeiusdo presbyteratu Papali, Geneuam est profectus, ubi artem librariam didicit, atque inde libros sæpenumero in Galliam asportauit. Tandem in insulis Gerzæis & Guernezæis domicilium delegit: in quibus, quòd Anglorū essent ditionis, haud ita pridem iussu ac uoluntate Illustrissimi ac Christianissimi Edouardi sexti Regis syncerè Euāgeliū prædicari cœperat. Ibi Dionysius artē suā exercuit: & aliquandiu uerbi Dei minister constitutus, Christū annunciauit in quodā Guernezæ uiculo. Sed quoniam anno M.D.LIIII. defuncto Edouardo, succesſerant Mariana tempora, quæ impios cultus ac Papisticas superstitiones in totū regnum inuexerunt, adeò ut in illis insulis impia religio pristina receperit ornamenta: Vayrus comitatus quibusdā, per Northmaniā iter fecit eo animo ut se Geneuam reciperet: atque in uicum qui appellatur Fullīū peruenit, adferens multos sacræ Scripturæ libros. Et quū abijsset rhedā rebus suis uehendis conducturus, Gulielmus Anglus uicecomitis sup præfectus, cum fratre suo Ioanne Anglo procuratore regio aduenit, ac libros sibi ac reliquam suppellectilem exhiberi præcipit: cui obtemperatum est, atq; omnia interdicto retenta sunt, ipse etiam qui ea asseruabat. Dum hæc geruntur, interuenit Vayrus, qui licet omnia interllexisset quæ euenerant, ipsosq; satellites ob oculos haberet, tamē repentè absq; ulla dissimulatione rationē cau samq; interdicti ac retentionis ex ipsis quæsiuit. Cui responsum est, libros esse hæresi refertos: ipse contrà, nihil nisi uera in eis contineri: suosq; esse, non eius quem ceperunt. Proinde qui eos asseruauerat mox dimissus fuit: ipse uerò Vayrus in custodiam Periesum adductus, ubi per duos menses & dimidium arctissimis uinculis constrictus mansit. Interea à iudicibus eius loci multis de rebus fuit interrogatus, qui crimen proditionis ei obijciebant, quòd apud Anglos capitales Gallorū hostes esset cōmoratus. Ad quæ respōdit, se illuc uenisse nō studio prodendi quenquā, sed ut liberū sibi esset ritè Deū inuocare, & ex eius præscripto uitā degere. Porrò quū iudices Periesi, Vayri causam procrastinarent, mādato Cognitoris regij apud Rothomagū, adductus est Baiocū, et decem dies ita constrictus in carcere Episcopi remansit, ut omnis aditus ad eum fuerit intercluſus. Inde Rothomagū ductus est, ubi se senatu consultoſan-

Sententia condemnationis.

citū est, ut uiuus cōbureretē ac ter è rogo extraheretur. Hac sentētia pronunciata, omnes ei instare ut suæ sectæ fautores patefaceret, alioqui omnia eius membra in quæstione comminuta iri: quibus ille respondit, omnes ueros Christianos à se stare, ex quorum numero esset sanior pars Galliæ, imò uerò è Senatorum numero pleroſq; : neq; ullo cruciatus genere quidquam aliud à se eos extorsuros, nec coniecturū quenquā in capitis aut fortunarum discrimē. Quòd si me tormentis enecaueritis crudeles uestros ignes non sentiam. Hæc cùm audissent, tanta animi constantia perspecta in quæstionem eum non coniecerūt: se ad supplicīū protinus agi iusserūt. Cùm è carcere exiret, magna aderat hominum frequentia, quam Vayrus præsenti animo & singulari uultus alacritate hortari cœpit, ut doctrinā Christi amplecterentur, licet, quidam monachus Carmelitanus qui cū eo in plaustro erat, eum interturbaret. Ibi unus ex lictoribus acclamauit ad carnificē, Reseca, reseca ei linguā, quod sine ulla mora factum est. Tunc monachus crucem quandam ligneam ei obtulit, ac manibus

quæ

quæ arctiſsimè erant alligatę, inſeri iuſsit: at pius ille uir quantum in ſe erat recuſabat, uultum à monacho auertens: hic uerò beluino boatu exclamans, Videte iam, uidete execrandum hominem qui reſpuit crucẽ. Adductus eſt poſtea ante uaſtam ædem Rothomagenſem, quã uocant Diuæ Mariæ, ut ſignificationem aliquam daret populo uenerationis eorum idolorum (quos Sanctos uocant) qui pro templi foribus locantur, atq; ita honorariam quam dicunt emendationem admiſiſſe uideretur. At ipſe manibus, oculis, uultu, toto deniq; corporis geſtu ſatis præ ſe ferebat, ſolum Deum eſſe adorandum: tergum obuertens eorum idolis, & apertè declarans ea deſpicere ac deteſtari. Cùm ad ſupplicij locum uentum eſt, protinus in ignem coniectus eſt, è quo, ut areſto pronuntiatũ erat, ter erat educendus, quod tamẽ ad effectũ non fuit perductum. nam ubi primùm ignis fuit accenſus, adeò flamma inualuit ut haſtæ altitudine ſupra corpus Vayri ſeſe extulerit: & ambo carnifices quantumuis adniterentur, eum in altum erigere nequiuerint. Interea ſatellites baculis turbam quæ circunſtabat adigere conabantur, ut ſubſidio eſſet carnificibus, nec tamen effecerunt ut uel unus quidem manum admoueret. Sanctus igitur Dei martyr ad hunc modum expirauit nono die Auguſti anno, *M. D. LIIII.* cuius rei laus, honor & gloria, ſoli Deo uiuenti in perpetuum, Amen. *Vayrus exuſtus.*

BERTRANDVS BLASVS TORNACI CRVdeliter martyrij coronam nactus 29 Decemb. Anno 1555.

BErtrandus Blaſus Tornaci Neruiorum natus, ſericatorum è lana confectorum opifex, quum à Deo ueritatis cognitionem accepiſſet, demigrauit Vueſaliam (quod oppidum ad imperium ac iuriſdictionem ducis Cleuenſis, luliacenſisq; pertinet) eo animo, ut receptus ibi in eccleſiam Gallicam, excipienda concione diuini Verbi, rituq; Sacramentorum uſurpando, Deum piè religioſeq; coleret: & ſi res facultatem habitura uideretur, eódem uxorem ſuam atque familiam adduceret. Quo conſilio quum Vueſalia iam ter Tornacum profectus eſſet, nihil tamen cum uxore conficere, neque ut ſequi ſe quàm remanere Tornaci mallet, impetrare ab ea potuit. Poſtremùm autem quũ Vueſalia decedẽs in iter iam eſſet ingreſſus, comitatus officij gratia fuiſſe fertur à multis, nominatim autem N. Ludouico eccleſiæ Gallicæ miniſtro: ab eodemq; monitus ut idololatriam fugeret, & quam olim ueri inueſtigandi rationem inijſſet, in ea fortiter in poſterùm conſtanterq; perſeueraret. cui Bertrandus, Vero ſe quodam ac tacito diuini Spiritus affectu ſenſuq; cõmoueri: ſperare denique nihil commiſſurum ſe, quod quidem aut indignum eo ordine quem duxiſſet, aut alienum à fidei quam haberet, præiudicio uideretur. Porrò ſimul ac Tornacum attigit, quum uxori perſuadere non poſſet ut oppidum ſuperſtitioſum idolatriæq; deditum relinqueret, in eodem eſt ipſe dies aliquot ante Natale ſilentiò commoratus. Quo ipſo die natalis, anni *M. D. LV*, domo progrediens, ab uxore fratreq; poſtulauit uti precibus à Deo peterent, ut conſilium inſtitutumq; ſuum (cuius ipſe rationem inclusam animo contineret) ad felicem exitum adduci uellet. Itaque profectus in ædem diuæ Mariæ uulgò noſtræ Dominæ (quod templum cæterorum omnium quæ Tornaci numerãtur, maximũ ampliſsimumq; eſt) confectis tribus circa chorum ſpatijs, magnum altare cõmodiſsimum duxit eſſe, in quo molitione ſua quàm optimè defungi poſſet. Quod quũ ei non ſuccederet, eſſetq; ſacellum ibi parœciæ, corripuit intrò ſeſe: quo in loco ſtetit tecto capite tantiſper, dum flamen curialis deum illum ſuum panaceũ ſolenniter attollẽs, eodẽ ueſtigio ſibi ereptum ſenſit à Bertrãdo: his uerbis populũ qui aderat, inclamãte, Vt circũſcripti eſtis uniuerſi? quid? adeóne cęcutitis, ac demẽti ruina ſeſe inflectunt mentes ueſtræ, ut iſtud cruſtulum, Ieſum Chriſtum uerum De- *Bertrandi uxor ueritatem contemnit.* *Inauditum Bertrandi factum in templo.*

um ac seruatorē esse uobis persuadeatis? Ecce, & habitis alijs nōnullis ad admonitionem pertinentibus uerbis, arreptam (quam uocant) hostiam commi nuit: comminutam perculit atque conculcauit. Ad quod inuisum eatenus inauditúmque spectaculum circumfusa multitudo, die præsertim tam festo ac religioso, animo constitit adeò pauido atq; consternato, ut Bertrando ipsi nihilo fuerit difficiliusfuturum expedire salutem suam, indeq; se proripere, atq; è medio de cœlo tactorum hominum conspectu. Sed illum Dominus ad faci noris sui tam præclari probandam rationem exponendamq; reseruasse eò uidetur, quod comprehensum & captiuum in arcem Tornaci munitissimam duci permiserit. Hæc dum Tornaci geruntur, curator oppidi prouinciæq; Neruiorum, Hunnorum præfectus, Biesi tum quidem agens, domi sedebat articularius: qui ad huius facti mentionem attonitus, & exclamans, Dij uestrā, inquit, fidem, Siccine tu tandem, ô bone Deus, hominis impurissimi pedibus opprimi te conculcariq; sustinuisti? quin tantam impietatem, tantum scelus acriter, ut erat uindicari multò dignissimum, ultus ipse es atque persecutus? Miserum me. Tantúmne te patientiæ præstare potuisse? istáne tandem esse perpessum? Polliceor tibi, in méque recipio, ô Deus, ea seueritate tātum facinoris crimen accepturum esse me, eiusmodi proditurum exemplum, ut defixum ad memoriam omnium hominū sempiternam indicium esse possit. Mox ira furiose percitus, tantum acerbitatis uirus euomuit, uerba quædam tam impotenter effudit, ut ab omnibus qui aderant hominibus, exijsse planè de potestate, necnon impetu quodam animi uesano ferri raptariq́ue iudicaretur. Haud ita pòst multò quum utcunque morbus animi resedisset, deportari se in castrum Tornaci iussit: quo in loco decerni Bertrando quæstionem natalicijs feriatis diebus, ut indicia profiteri cogeretur, postulauit. Nec enim curiosius facti confessionem exprimi oportere censebat, quum hoc toto de genere omnes antea longè plura iam ab illo quàm aut optarent, aut opinarentur, intellexissent. Etenim interrogatus primùm, num qua facti sui pœnitentia duceretur: ac integrum ei si sit, utrum eò progredi uellet? singulari quadam animi cōstantia grauitateque responderat, Id ipsum centies, si liceat, uelle se facere: mori denique centies, si totidem sibi uitæ suppeterent: siquidem id ad Iesu Christi seruatoris amplitudinem & gloriam pertinere existimaret. Tum carnifices quum iudicem ex illo possent exprimere neminem, de integro quæstionem interminabantur: quibus ille, promptumac paratū se ad nouā perpessionē: indicaturū autem esse neminem. Quò factū fuit uti ter ei quęstio repeteretur, quā idem tamen inuicta animi magnitudine superarit. Postridie porrò feriarum, qui dies erat iiii Cal. Ian. quum ad cōdemnationem uentum esset, accidit uti mortis ei sententia in hanc rationem pronunciaretur.

Constantia mirabilis.

Sententiæ latæ formula.

VIso processu criminali facto coram nobis aduersus te Bertrandum le Blas, per quem processum simul & per tuas confessiones liberè factas nobis sufficienter constat, quod in die Natalis Domini nuper elapso, hora magnę Missę cōparueris in ecclesia parochiali, in tēplo cathedrali nostræ Dominæ Tornacensis: & ibi malo, peruerso & turgenti animo, proposito deliberato propius accessisti ad Curatū celebrantē prædictam magnā Missam parochialem, ac tenentem sanctissimā ac sacratissimā hostiam & sanctum sacramētum altaris inter suos digitos, paratū ad eleuandū & ostendendū populo, quā quidē hostiam tu ab illius digitis uiolenter manu tua dextra arreptā maxima irreuerentia & contemptu proiectam in terrā, ac desuper tuo pede dextro cōculcatā uerbis probrosis prosequutus es dicēs, Hoc facio ad ostendendū gloriam istius Dei, & quod nullam potentiam habeat. Et tū in promptu per eos qui circunstabant quū fuisses apprehensus ut captiuus constitueris, multa uerba hæretica pronunciasti, ut eos induceres in tuam damnabilem intentionem: imò

nem:imò in tuis interrogationib. respõdisti de sacro sacramẽto Baptismatis prorsus hæreticè & contra sanctam Scripturam. Item contra ueniendo ordinationibus Imperatoris nostri domini tu fuisti pluries Vuesaliæ, ibidem conuersando commorando per aliquod tempus cũ ijs qui illã urbem inhabitant. Pro quibus omnib. casibus supradictis ex cõsilio & resolutione domini Baillui Tornacensis & Tornesij ac ipsius Locũtenentis, simul & consiliariorum Imperatoris nostri domini in eodẽ Balliagio, magna & matura deliberatione habita, nos te condemnauimus & condemnamus ut super cratem traharis à loco pronunciationis sententiæ usq; ad magnum forum istius urbis, ut ibi super facto theatro manus dextera tibi forcipibus igne rubẽtibus ui euellatur, similiter & pes dexter, ac deinde lingua præcidatur: ac corpus tuum uiuum per medium ligatum ad summum trochleæ paulatim lento igne flãmificetur: in eo denique igne sæpius demittatur & attollatur ac finaliter in cineres consumat. Atq; insuper declaramus omnia tua bona cõfiscata ad utilitatẽ Imperatoris domini nostri: aut eius aut eorũ ad quos pertinebit per nostrã sententiã diffinitiuã criminalẽ & pro iure. Actũ & pronunciatũ ianuis apertis p excelsum & potentẽ dominũ Senescallum Hannoniæ, &c. Die Sabb. xxix. Decẽb. anni M.D.L.V. præsentibus uiris cõsiliarijs ad hoc ordinatis & deputatis.

Illo igitur ipso die dum sententiæ executionẽ obeunt, miserũ, super cratẽ assidentẽ, à Tornaci castello ad forũ usq; nundinariũ trahunt. ibi contabulationẽ extruunt: productũ atq; uinctũ cedere manum qua sacrificulo hostiã extorserat, cogunt: quã cauterijs iũctis duobus, ignitisq; ferreis cuspidibus arreptam eousq; cõprimunt, dum in totum manus ipsius species & forma detraheretur. Alia præterea ferramenta superioribus simillima proponuntur ignis ardore & inflãmatione coruscantia: in quæ ipse sponte pedem, quo pessundasset hostiam, inferẽs, mirabile proposuit exẽplum animi grauitatis atq; constantiæ suæ. His cõfectis rebus dissoluitur. infra descendere, globulumq; ferreum quem castro progrediens eatenus ore tenuerat, edere, & linguã abscindendã proferre iubetur: paret. Inseritur in os rursum ei globulus, quòd netum quidẽ perpetuis clamoribus, eisq; quibus uniuersa multitudo uehemẽter sanè cõmoueretur, Dominũ appellare desineret. Mox contabulationem alteram depressiorem aliquanto ea, in qua candentibus forcipibus manu & pede fuerat inustus, eadem alacritate conscendit, eodẽ animo, quo si neq; captus aliquo membro, neq; ullo proposito uitæ periculo concitatus esset, planè facturus esse uideretur. Ibi manibus atq; pedibus à tergo circunducta per medium corpus ferrea catena reuinctus incumbebat rogo: sursum ac deorsum adductus & inclinatus miserabile populo spectaculum præbebat: Hannoniæ Præfecto interim martyrem ipsum nunc attolli, nunc deprimi iubente, & oculos immanitatis suæ pascente tantisper ac satiante, dum uiri sanctissimi corpus illius in cinerem conuersum, in profluentem inijcitur. Hoc confecto negotio tam præclaro, ut & sacellum in quo res inauspicatò perpetrata fuisset, occluderetur, & lignum quo sacrificus ante aram posito supergressus esset, exureretur, & marmoreus lapis quo pariter incessisset, confringeretur, imperauit: interdixitq;, quoniam Bertrandus ipse quicquid eruditionis ac ueræ religionis habuisset, ecclesiæ Vuesalienſi totum referre se acceptum dixisset, ne quis aut commercij, aut cuiusquam alterius negotij nomine illo proficisceretur: alioqui fore ut in mulctam Imperatoris (quam illi Placardum appellant) incurreret. Hæc Crispinus.

Crudelitatis exemplum:

Hoc eodem anno sub finem hyemis circiter ducenti ministri Ecclesiarum & Euangelij præcones ex Bohemia in exilium pulsi, eò quòd Romani pontificis superstitiones patefacere & Christi gloriã promouere non desistebãt, quam ignominiam illi forti animo patienter tulerũt. Io. Sleid. lib. 25.

Ministri Ecclesiarum ex Bohemia pulsi.

RERVM

RERVM IN ECCLE-SIA GESTARVM, QVAE POSTRE-MIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENE-runt, maximarumq; per Europam, præsertim uerò Germaniam, Galliam, & Italiam, persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER VNDECIMVS.

IOANNIS VERNVTII, Pictauiensis. ANTONII LABORIERII, Cahortensis in Quercyo. IOANNIS TRIGALETI, Nemausensis. GVYRAVDII TAVRANI, Cahortensis. BERTRANDI BATALLII, Vasconis. Martyrium Cameriaci, ubi suprema curia est Sabaudiæ, nacti sunt, Anno 1555. in Septemb.

Ecclesia Geneuensis aliquos prædicatum Euãgelium emittit.

IN eo tempore quo Dominus pro singulari bonitate sua Euangelium Geneuæ publicari uoluit, quum suos circiter uiginti annos in ea tutatus esset, tandem uelut ex septis suis & arena permultos emisit athletas fortissimos, qui ueritatem suã syncerè hominibus patefacerẽt. Ac nõ ita pridem quinque eximios testes doctrinæ suæ produxit, qui hanc coram senatu Cameriacensi constanter assererent: quorum tres nempe Ioannes Vernutius Pictauus, Antonius Laborierius Cahorti Quercianorum natus, ac legum peritus, quique iudicij regij officio illic defunctus erat: & Ioannes Trigaletus Nemausensis, iuris etiam peritus, ecclesiæ Geneuensis consensu delecti ad promulgandum Christi Euangelium, munus hoc libenter & summissis animis susceperunt, ut qui iã antea se Dei mandato & uocationi consecrauerant. Etsi autem non ita stupidi nec hebetes erant, quin facilè perspicerent quæ suis capitibus imminebãt pericula, & ignes quasi iam accensos præuiderent: studium tamen illud pium quo seruire Dei gloriæ cupiebant pro sua uocatione sanctissima, illos sic perpulit, ut omnem hostium ueritatis truculentiam plusquam barbaram contemperint: atque etiam licet quidam uir pius illos præmonuisset, quum uiam ingressi sunt, periculum esse ne comprehenderentur in itinere, nullo tamen metu nec terrore percelli aut abstrahi potuerunt quin pergerent quo erant uocati. Duo item alij, Guyraudus scilicet Tauranus Cahorti Quercianorum natus, ac mercator: & Bertrandus Batallius natione Vasco & scholasticus itineris comites se illis tribus adiunxerunt, ac si ægrè tulissent eos ad coronam martyrij accipiendam ita properare, ut interim pedem non mouerent ipsi: nam Batallius quum statuisset illos tantùm comitari paulò ultra pontem Aruæ torrentis, qui Geneuæ est uicinus, quò subleuaret Laborierum, rogatus ut etiam ulteriùs pergeret, tam prompto & alacri animo consensit, ut quanuis ad iter minimè esset paratus ad ultimum tamen usque spiritum comes fuerit indiuiduus. Quinque igitur illi Dei serui cum alijs octo comitibus iter susceptum, lætis animis prosequuntur. canuut enim Deo laudes, & gratias agunt uera fiducia instructi, paratique ad profundendas animas pro tuenda eius gloria, cui operam suam

ſuam impendebãt, ſicuti poſtea ſatis comprobarunt. Quum ita proficiſcerentur, ubi tandem ſimul omnes peruenìſſent ad eũ locũ, cui uulgare nomen eſt Collũ Tamiſij mõtis apud Foſſinianos Sabaudiæ populos: occurrit illis præfectus quídã rerũ capitaliũ qui paulo antè uenerat Geneuã, ubi aſtutè ſimulãs ſe religioni fauere: quia nõnihil de ea profectione ſubolfecerat, eos illic expectabat, ut incautos uelut ex inſidijs deprehenderet. Vt aũt oſtenderet ſe palàm mancipatum eſſe furioſæ iſtorũ libidini, qui odio pluſquã belluino cõtra Euangeliũ rapiuntur, eos in uincula coniecit. Atq; ubi multa percontatus eſſet, & quas ſecum ferebant literas & libros extorſiſſet, colligatos omnes rectà Cameriacũ duxit: idq; fecit ut illis gratus eſſet, qui uelut leones famelici huic prædę inhiabant. Vtcunq; tamen ſæuierint truculentæ belluę, ſingularis ouium Chriſti manſuetudo ac tolerantia, tantam rabiem aliquatenus mitigauit, effecitq; ut non ita crudeliter tractati ſint, atque ſolent alij qui eandem cauſam tuentur. Sed longè ſatius fuerit ex ipſorum literis intelligere quid contra eos actum ſit, qua prudentia reſponderint ſuperbis ludicum interrogationibus, & quàm modeſtè ſe geſſerint in tota actione. quanta porrò conſtantia pertulerint mortem hominum opinione turpem & ignominiæ plenam, cui tandem adiudicati ſunt, relatum fuit ab his hominibus, quorum ea eſt fides ut abrogari nullo modo poſsit, quemadmodum poſtea ſuo loco dicetur. Ac primò quidem ea propoſuimus ſcripta, quibus acta iudiciaria & cauſæ progreſſus continentur, ſicuti etiam ipſi conſcripſerunt. *Inſidiæ pijs ſtructæ.*

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit uobiſcum perpetuò.

EA fuit Dei optimi maximi bonitas & amor erga nos, tantúmque honoris indulgentiſsimus Pater nobis detulit, fratres unicè dilecti, ut catenis uincti ſigillatim ex carcere deducti ſimus in auditorium, quod uocant, ubi iam ſedebant qui locum Prætoris tenebat, Præfectus rerum capitalium, Cauſidicus regius, Officialis huius urbis, & ditionis Tarenteſiæ fidei inquiſitor, Furbitus epiſcopum referens, aliquot etiam monachi & alij nonnulli coràm aderant. Illic rurſus quæſitum eſt uellemúſne noſtras quas odioſe nominant hæreſes pertinaciter tueri. nos uerò Spiritus ſancti præſidio freti expoſuimus quum iniectæ ſunt in nos manus, nihil aliud quàm uiam placidè ingreſſos tranſijſſe: cæterùm quod ad fidem noſtram ſpectat, eandẽ eſſe quam Geneuenſis, Bernenſis, aliæq; omnes eccleſiæ Euangelij lucem & ueram prædicationem amplexæ, profitentur: ſicuti etiam edita iam à nobis fuerat aliqua confeſsio. nos autem iure non poſſe ab ipſis cogi ad eam deſerendam, ut quæ in Papatu obtinet ullo modo amplectamur, quum præſertim nemo ob fidem ſuam uexari debeat, modò ne ſtatum publicum perturbet aut conuellat: atque ſi conſtaret eorum fidem eſſe ueram, ad illam cogi non debere, quemadmodum Hilarius & Athanaſius contra Arrianos perſpicuè tradunt. Deinde quanuis, Dei gratia, de noſtra fide certi eſſemus, ſi tamen ex Scriptura doceamur nos errore labi, uel aliquod dogma falſum tueri, paratos eſſe ad præſtãdum Deo noſtro obſequiũ, ut qui ſtudiũ hoc ſanctũ, quo ad eius cultũ ferimur, animis noſtris iam à longo tempore indiderit, etiam quum in tenebris adhuc cæcutientes illum temerè ac pro arbitrio noſtro coleremus: atque ita nos ab eo impulſos fuiſſe ad inueſtigandum paulò diligentius ab utra parte ſtaret eius ueritas, præſertim hoc tempore quo turbulenta de religione diſſidia & contentiones ubiq; feruent: & tandem iudicio eccleſiæ Geneuenſis nos aſſenſiſſe, ut quæ ueram pietatẽ tueatur: non aliud poſtulare, niſi ut ſacra Biblia in medium proferãtur, ex quibus tota cõtrouerſia dirimatur. et quoniã liber inſtitutionis Chriſtianę qui nobis abreptus fuerat, illic erat in promptu, nos quidquid obijciant, ſolutiones certiſsimas in eo monſtraturos: & quamuis librum illum reprobatum eſſe conclamarent, & in concilio Tridentino cautum *Hiſtoriæ ſeries.*

cautum fuisse ne ullo modo legatur, Doctoribus tamẽ id licere: præsertim uerò quum agitur de reuocandis in uiam miseris hæreticis, quo elogio nos insigniebant. Quòd autem damnatum esse pronunciant, ac singulis quibusq; hæreticis opus fore nouo Concilio: excepimus, si hæc ratio ad nos flectendos plus momenti haberet quàm omnes contrariæ rationes in eo libro expositæ ad nos in fide nostra cõfirmandos et retinendos, fieri non posse quin laruati et hypocritæ censeamur, & quidem digni quos Deus & omnes creaturæ odio prosequantur: etiamsi lingua fateretur uerum esse quod affirmant, conscientiam nihilominus conuictam, adeoq; rationibus illis coactam reluctari, nec sinere ut tam impudenter mentiamur. Adhæc minimè nunc agi de conuocando uniuersali Cõcilio nostra causa: sed satis ac super fore, modò Furbitus Episcopi uices gerens, qui pro sua liberalitate ultrò pollicebatur se effecturum, ut simplici puroq; Dei uerbo in rectam uiam nos reduceret, in hanc rem incumberet ipse, uel alij quos designare placuisset.

Actio cum martyribus.

Quod attinet ad negotium nostrum, quod idem est ipsius Domini, siue causam, quam nos miseri homuntiones ac terræ uermiculi tuemur, sciatis uelim nos vi. Idus Iulij deductos fuisse ad eum qui Prorætoris locum tenebat, iudicem à supręma Curia delectum, et stipatum duobus uicarijs, uno quidem episcopi Tarentesiaci, altero autem episcopi Gratianopolitani: præterea Inquisitore fidei, itemq; alijs monachis tum Dominicanis tum Franciscanis, episcopo Furbito, & alijs patronis qui nostræ causæ iudices constituti fuerant unà cum Procuratore regio. Quum perlecta esset à Præfecto fidei nostræ confessio apud ipsum prius edita, rogarunt an uerum contineret, ac uellemus ne in ea perseuerare. quibus omnino ita esse Spiritus sancti uirtute & gratia freti respondimus, atq; adeò uelle nos quicquid illa complectitur propugnare ad ultimũ uitæ spiritum, & profusam ultimam sanguinis nostri guttam, ut quæ nitatur puro Dei uerbo, quod extat tum in ueteri, tum nouo Testamento. Verum quidem est, nos quia Bernates obtulerant curiæ Parlamenti libellum supplicem, ac nuntium miserant unà cum scholastico quodam Lausannensi, quò statim liberaremur, postulauisse ut hoc sequuti ius nobis dicerent, nec pro legitimis iudicibus nostris agnoscere istos uicarios & fidei inquisitorem, quos palàm constat esse professos Euangelij & puriorum ecclesiarum hostes: denique coram ipsis nos minimè responsuros. quod certè profitebamur, nõ ut subterfugijs elaberemur, aut ullo modo declinaremus certamen, sed ne tanquam ueros iudices admittere uideremur. nam si Curia nobis alios designet ac statuat, nos esse paratos ad edendam fidei nostræ & religionis Christianæ confessionem longè ampliorem, eamq; ex Scripturis comprobaturos pro gratia quã Deus nobis largitus fuerit. Tunc Prorætor ille bis ac ter silẽtium imperauit, & nobis ferociter minatus est. Sed in prouocatione nostra perstitimus: atque ita in carcerem reducti sumus, excepto fratre nostro, & commilitone ac socio in opere Domini Ioãne Vernutio, qui cõtra monachos disputauit horas plus minus quinque, tum manè, tum post meridiem. Ex eo autem quum idem Prorætor senatui nostra responsa & prouocationem significasset, proximo die Dominico, qui erat x////. eiusdẽ mensis, in quoddam curiæ cœnaculum conuenerũt Senatores cum illis quorum iam mentio facta fuit, & causidicorum turba ad numerum circiter triginta. Eò quũ singuli unus post alium uenissemus, nobis pronunciatum est senatusconsultũ, quo iubebatur ut delecti illi de causa nostra omnino cognoscerent intra triduum, alioqui delectum iri suo munere ad annum integrum: ac eodem ipso decreto præcipitur ut quicquid quæratur à nobis, aperte responderemus, idq; posteaquam manibus sublatis de more, & interposito iureiurando nos uera dicturos recipimus: ea tamen lege iurauimus, ut prouocationi nostræ nihil hoc derogaret, uel causæ noceret. Interim uerò

rim uerò quod ad ſupplicem illum libellum ſpectat, poſtulauimus ut aliquid ex iure decerneretur. Quum ergo recitatę mihi eſſent quæ profeſſus fueram, & breuiter prius reſponderem de Miſſa, & præceptis ſanctæ matris eccleſiæ (ſicuti uocabant) & de ſacramẽtis quæ ipſa probat & tuetur, perſpicuè illis reſpondi ut antea: nempe Miſſam in locum ſacroſanctæ cœnæ Domini inuectã fuiſſe, cui non magis conuenit cum illa, quàm luci cum tenebris: & tantum abeſſe ut eadem illa ſit corporis Chriſti ſacramentum, ut potius mera ſit & turpis eiuſdem abnegatio: atq; adeò Miſſam eſſe execrandum nefandumq; ſacrilegium quo ſanguis Chriſti pedibus calcatur, neque in eccleſia Romana ullam eſſe cœnam Domini. Cæterùm rogatus an crederẽ corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in pane & uino Cœnæ. minimè uerò, inquam, ſed quũ celebratur ſacra Cœna & adminiſtratur in eccleſijs ex Euangelio repurgatis, ubi Dei uerbum purè annunciatur, & Cœna diſtribuitur ex uera & ſimplici inſtitutione Chriſti, quemadmodum diſertè ſcribitur Matthæi 26. Lucæ 22, Marci 14, & Actorũ 2. & prioris ad Corinth. 11. Dum fideles hoc modo illi communicãt, & panem ac uinum accipiunt fide præditi, & uera pœnitentia tacti: iuncta ſimul charitate, ut tamen panis ſubſtantia & qualitate maneat panis, uinum etiam uinum: tunc eos ſigna accipere, ueritatemq; ipſam et rem ſignificatam, corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti, idq; ſpiritualiter ore fidei: qui uerus eſt animarũ noſtrarum cibus ac potus, & perfectum integrumq; illarum alimentum. Quod autẽ attinet ad hæc uerba, Hoc eſt corpus meum, dixi tropum eſſe Scripturæ ſatis uſitatum, quem Synecdochen uel Metonymiam uocant, ubi nomen rei ſignificatæ ſigno tribuitur: ſicuti quum petra dicitur Chriſtus, & columba Spiritus ſanctus. atqui certum eſſe petram non fuiſſe Chriſtum, neque columbam Spiritum Sanctum: ac mihi perſuaſum eſſe, quam fingunt ipſi tranſſubſtantiationẽ panis & uini in carnem & ſanguinem, ut ſubſtantiæ & qualitates panis & uini commutentur, commentum eſſe adeò craſſum & ridiculum, ut quiuis mediocri ſenſu præditus meritò ridere poſsit. Sed quia mundus ueritatem Dei & Ieſu Chriſti poſtpoſuit Sathanæ mendacijs & antichriſti fraudibus & impoſturis, permiſit ut ſpiritus malignus in illis operatus ſit cum efficatia erroris, & eò amentiæ traxerit, ut quum Cœnam Domini accipere deberent, panis buccellam proſtrati adorauerint, & pro Deo ſuo agnouerint. Deinde Spiritu Dei propulſus expoſui breuiter, ex quo in Eccleſiam Domini collectus ſum, me nouos quoſdam motus interiores ſenſiſſe, tũ ex uerbi prædicatiõe, tũ ex adminiſtratione Sacramentorum. quæ quidẽ accepi uelut ab ore Dei, qui miniſtrorum ſuorum lingua utitur tanquam inſtrumento: atq; ſi res iſtæ, ut mihi, compertæ ipſis eſſent, longè aliter iudicaturos. Tunc ex monachis unus aliquis rogauit, qui ſcirem uetus ac nouum Teſtamẽtum Dei uerbum eſſe: neq; hoc credi debere, niſi quatenus Eccleſia admittit ac probat. Quod ad mẽ ſpectat, non credo, inquam uerbum Dei ſacris ſcripturis comprehenſum ob eam cauſam eſſe Dei uerbum: ſed quia ſtylus Scripturarum ſermo Dei eſt, quem Spiritus ſanctus Prophetis, Apoſtolis & Euangeliſtis dictauit. Nam Petrus quum palàm eſſet profeſſus Chriſtum eſſe Filium Dei uiuentis, eúmque habere uerba uitæ æternæ: Ieſus ſtatim reſpondit beatum illum eſſe, neque iſta carnem & ſanguinem illi reuelaſſe, ſed Patrem cœleſtem: eum ex Deo natum, qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, & eius uerba recipit: quiſquis Filium audit, ipſum quoque Patrem audire, & qui uidet Filium, Patrem etiam uidere: edoctos eſſe è Deo, & Spiritum ſanctum in ſe habere, qui teſtatur eorum ſpiritui ipſos à Deo eſſe, & omnes à Deo edoctos. Ex capite 54 Iſaiæ, & Ieremiæ 31. Ioannis 6, & à 14, uſque ad 18, Ioannis ſatis cõſtat eſſe uerbum Dei. Prophetę qui aduentum Filij Dei prædixerunt, nihil præter Dei uerbum memoriæ mandarunt, Paulus 8 capite ad Romanos docet Spiritum Dei habitantem in no-

Inquiſitio habita.

Verbi Dei certitudo.

bis testificari nostro, Christi nos esse, ac per ipsum fieri ut clamemus, Abba, Pater. Atque tum ueluti canes mihi adlatrare cœperunt, quòd dixissem me Spiritum Dei habitantem in me habere, qui mihi confirmabat suo testimonio esse Dei uerbum, & cordi meo insculpebat ac sanciebat promissiones salutis, gratiæ, fauoris & amoris Dei erga me singularis: denique certò me persuasum esse de mea in Christo adoptione, & de mea per ipsum salute. Tunc Inquisitor Latinè obiecit quod Paulus de se fatetur, nempe, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nõ sum iustificatus. quem locum perperam detorsit, sicuti quidam etiam causidici Nicodemite qui aderant, coacti sunt eum monere, atque ita ludibrio se ipse exposuit. Ex altera autem parte Franciscanus quidam suo latratu aures obtundebat, & mihi obiectabat, præsumptionem esse diabolicam, ita certò persuasum esse de Spiritu sancto ac Dei gratia, neque aliud licere quàm ex coniectura aliquid suspicari. Huic belluæ respondi, fidem nostram nimium frigidam fore, si coniecturis humanis innitatur: sed necesse omnino esse ut fulciatur Dei promissionibus eius uerbo comprehensis: & quisquis hac certitudine & fiducia præditus non est, neque sentit certum testimonium animo suo reddi à Spiritu, eum nescire quidnam sit fides & Christiana religio, & quicquid de ea loquatur uel garriat, id totum ab ignaro prodire. Quod attinet ad Papæ potestatem eiusque traditiones, ad Cõciliorum authoritatem: quòd etiam maior numerus traditiones ecclesiæ Romanæ tuetur, non autem religionis Christianæ doctrinam amplectitur: quòd grex Domini perexiguus est, & porta angusta quæ ducit ad uitam æternam, pauciq́ue per eam ingrediuntur, sed ampla quæ trahit in exitium: subieci exemplum paucorum, qui cum Noah seruati sunt: itémque filiorum Israel qui numero perpauci erant, si comparentur reliquo mundo, qui idololatræ, sine Deo, & uera religione uacui erant. Hic acrius exceperunt: Annon uides quot homines contrà insurgant? Video, inquam, Simeonis uaticinium impleri, Lucæ 2 Christum scilicet signum esse cui contradicetur: & Act. ultimo, ubi Paulo responderunt Iudęi, sibi esse notum, ubique contradici ueræ religioni Christianæ. Quidam uerò ex causidicorum turba quum surrexisset, clamauit, Nescis quidnam permultis alijs tui similibus factum sit? & eos ultimo supplicio affectos tanquam hæreticos ignoras? Prima, inquam, est hæc lectio, quam à Christo summo doctore ac magistro meo didici, nempe, quisquis uult esse eius discipulus, illi suam crucem esse ferendam ut ipsum sequatur: eam autem describit postea ac depingit, iubens ut abneget semetipsum, & uitam suam sponte pro ipso exponat, quam seruabit ipse: qui uerò seruauerit, eam perdet. Legite caput decimum Matthæi, quo prædicitur qui nos persequuti fuerint, putaturos se Deo obsequium præstare ac sacrificium offerre, sicuti etiam Christus, Ioannis sexto confirmat. Atque uera est hæc piorum omnium conditio, ut non modò credant in eum, sed pro ipso quoque patiantur, Philippensium primo circa finem. Adductum fuit etiam quòd Scriptura tum ueteris tum noui Testamenti nobis testatur de persequutionibus in ueros Dei seruos ad mortem usque paratis, ut exemplum illud trium iuuenum qui in fornacem ardentem coniecti sunt, quia religionem suam abnegare noluerant, & erectum idolum prostrati adorare. itémque Danielis factum memorabile: mors etiam Iacobi, & Stephani, Actorum septimo capite circa finem, & initio duo decimi.

Papæ authoritas.

Conciliorum. usus.

Quod autem attinet ad Conciliorum quam ipsi usqueadeò iactant authoritatem respondimus, nobis probari quod decretum fuerat ac statutum de capitibus religionis Christianæ, modò ex Dei uerbo quod intelligatur pro fidei analogia, sicuti Roman. duodecimo docet Paulus. Illos uerò tantùm ea tueri, quæ ad stabiliendam Papæ tyrannidem faciunt, qui uerus est Antichristus,

ſtus, poſterioris ad Theſſalonicenſes ſecundo capite coloribus ſuis depictus à Spiritu Dei, qui nobis illum per os Pauli deſcripſit, ut eum deuitemus, ne cum ipſo trahamur in exitium. Quòd ſi in hoc mundo ex ueſtris decretis & concilijs tanquam hæretici à uobis damnamur, ſcitote in altero uobis fore negotium cum Iudice, qui nos fideles & catholicos agnoſcens ſua ſententia abſoluit: uos autem ex æternis ſuis ſtatutis iudicabit, & morti perpetuæ addicet, niſi reſpiſcatis, ac uijs ueſtris peruerſis omnino ualere iuſsis in quibus Papa uos detinet faſcinatos ſuis mendacijs, puram Filij Dei ueritatem ſequamini. Tandem ira perciti, me tanquam obſtinatum remiſerunt.

Martyres hæretici declarati.

Heri qui *XVII* dies erat, monachi nos ſupremo ſuo decreto pronuntiarunt hæreticos, & ab eccleſia Romana uelut membra putrida excluſerunt. Nos uerò lætis animis profeſsi ſumus certum nobis hoc eſſe teſtimonium, quo ſatis conſtabat nos eſſe ex Eccleſia Chriſtiana, qui Chriſtum caput noſtrum agnoſcimus, quum præſertim Antichriſtus nos à ſua reijceret: nosq; uiam qua itur in paradiſum feliciter ingreſſos, quum Sathanæ membra ex ſuorum numero excluſos teſtarentur. Laudetur perpetuò Dominus ob ſingularem ſuam erga nos gratiam, quę nos eripuit ab horrenda impietate iſtorum ſceleratorum, qui diabolos carne indutos planè referunt. Nos indies expectamus quænam feratur contra nos ſententia, & quem exitum nobis daturus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſiue morti tradamur nobis eſt lucrum: ac felices erimus ſi Domino moriamur, ſicuti Ioannes in Apocalypſi docet. Literas noſtras legite, quas ſcripſimus ad dominos & fratres noſtros uerbi Miniſtros, & reliquos etiam fratres, qui nobis ſcripſerunt. Egimus quoque gratias magnificis, nobiſque multum obſeruandis dominis noſtris Syndicis ac Senatui Geneuenſi, pro tot beneficijs in nos collatis, atque ſupplices rogauimus eos, ut infinita Dei dona ſemper agnoſcant, & meminerint ſibi uictoriam ab ipſo dari contra improbos. atque inter ultima noſtra ſuſpiria nobis ſummæ uoluptati & lætitiæ fuit, dum tam ſanctas leges ab illis latas fuiſſe, & eas typis excuſas, promulgatas uoce præconis & publicè affixas intelleximus. Det uobis Dominus ac reliquis fratribus & ſororibus, ut ad regulam legis Diuinæ mores ac uitam ueſtram formetis, & ſtatutis illis ſponte & ex animo pareatis. *XV* Calendas Auguſt. *M.D.LV.* Vobis poſtremam ſalutem dico, & omnium beneuolentiæ ac pijs precibus me commendo: ultimum uale, inquam, & ſummum uobis dico ex hac uita diſcedens, ut in cœleſtem illam gloriam admittar, & accipiam coronam quæ nobis repoſita eſt ac parata per Ieſum Chriſtum Regem & Dominum noſtrum.

Epiſtola à Ioanne Vernutio ſcripta omnium nomine, qua confirmantur Acta quæ iam breuiter expoſita ſunt.

Narratio rerũ actarum.

A die ueneris duodecimo ſcilicet huius menſis, Fratres chariſsimi & obſeruandi domini, ad eum deducti ſumus qui prætoris locum tenet: aderant uicarij Epiſcopi Tarenteſiaci & Gratianopolitani, Inquiſitor fidei: item aliquot monachi & cauſidici circiter triginta. hoc porrò factum fuit proximo die Dominico. Iuſsit Prætor ille quatuor coram ſe iſti, nempe Laborierium, Trigaletium, Batallium, & Tauranum. nam Vernutius frater, non ita mordicus inſtiterat prouocationi noſtræ, quam literis Bernatium ſuffultam tuebamur: ſed potius cum illis diſſerens de religione, multo plura dixerat, quàm uellent. Deinde recitatum nobis fuit Senatuſconſultum, quo iubebatur Prætor intra triduum de cauſa noſtra cognoſcere, alioqui ſuo munere abdicatum iri ad annum integrum: nec prouocationem noſtram ullo modo obſtare. Tandem lecta fuit confeſsio fidei à nobis iam edita: atque rogati, an propoſitum nobis eſſet in ea perſeuerare? ſtatim reſpõdimus nos ad id paratos eſſe.

uel ad ultimam sangninis nostri guttam profundendam, quum illa puro Dei uerbo nitatur. Hic conatus est fidei Inquisitor nos à Dei ueritate suis imposturis abducere, sed Dominus uirtute Spiritus sui, & uerbo nos ita instruxerat, ut constanter perstiterimus, ac lætis animis redierimus gloriam illi tribuentes, & gratias illi egerimus quòd nobis eam opem tulisset. Quid porrò tũc dictum fuerit, & à quibus & quorsum, difficile esset omnia sigillatim perscribere, quum & otij minimum sit, & eô seruitutis simus redacti, adeoq; in totius actionis progressu tanta fuerit perturbatio: quanquam fusius rem ut gesta est ab initio, explicari cupimus literis communibus ad fratres omnes perscriptis. Monachi, & eiusdem farinæ homines uarias quæstiones excitabant, sed quid responderetur ad singulas, minimè expectabant: licet hoc uehementius urgeretur, & expeteretur acrius in speciem. Inter alia quæsitum fuit de sacramento (quod uocant) matrimonij, & extremæ Vnctionis, atq; etiã de Missa, & Papa, quisq; pro mensura fidei suæ respondit ad quæsita, & ut audiẽtia ipsis facta fuit: nonnulli priuatim ex Scriptura, alij in genere rogarunt quæstionarios istos & spinosos ut de rebus quærerent præstantioribus quàm de Missa & eiusmodi nugis, & eas ualere iuberent: quòd si cuperent de his disputare Geneuã concederent, aliasq; repurgatas ecclesias: ubi reperirent quibuscum disceptare liceat sine ullo periculo, quamuis discedant uicti. Qua in re satis ostendunt egregiã illam suã charitatẽ, quæ quidã uera est Christianorum nota: quum pedem mouere non dignentur, ut eos in uiam reducant, à quibus placidè audirentur, & qui fasciculis & ignibus minimè cum illis disputarẽt, ut solent ipsi pro suo more. Monachi isti quiritabãtur nos minus seuerè tractari ac proinde reddi audaciores: atq; addebãt, Geneuæ omnes esse latrones: sed exceptum fuit, eos ipsos esse, qui ex alieno saginantur: & unumquenq; Geneuę labori intẽtum esse, ut ex sudore uultus sui uiuat. Quod ad Papam attinet, ita responsum fuit, si ex Scriptura probetur esse caput ueræ Ecclesiæ, nos ex animo amplexaturos omnia eius decreta, & quos ipse fabricauit fidei articulos: sed nunquam hoc caput obtineri potuit. His rebus ita gestis, eo ipso die sepo

Martyres à se inuicem se iunxerunt.

siti fuimus alij ab alijs usq; ad horam quintam serotinam. Die Lunæ sequenti iusserunt etiam à nobis summoueri Batallium & Tauranum, ut hac ratione illos terrerent, & à sententia dimouerent. Verùm quæ Dei optimi nostri est gratia, tam constantes perstiterunt, ut iudicum mandato ad nos reducti fuerint. Itaque nunc omnes simul agimus, nos mutuò solantes, læti, ac precibus & Psalmis confirmantes, quos Domino canimus: atqũe damus operam, ut freti eius promissis expectemus, quem ipsi dare exitũ libuerit, siue uiuamus, siue moriamur.

Antonius Laborierius Ministris ecclesiæ Geneuensis, & omnibus suis fratribus atque amicis, qui Geneuæ agunt S.D.

Veritas Dei in uinculis magis manifestata.

OBseruãdi domini, ac patres mihi unicè dilecti, & fratres in Christo charissimi, satis superq; iam reuera sum expertus, Dei beneficio, quãti nos faciatis, ex ea diligentia quam adhibuistis, ut nobis uinctis opem ferretis sine ulla exceptione, quum nihil prorsos à uobis ad hoc sit prætermissum. In quo quidem certè satis etiam testati estis uestram erga nos charitatem singularem minimè fictam esse, nec similem multorum beneuolentię, qui præferentes bona & commoda huius mundi, auxilio quod filijs Dei ferre possent, taciti malunt oculis suis uidere innoxium sanguinem profundi, ut quos pudet opprobrij Christi: & tamen plenis buccis iactant se insignes esse Christianos, & exi miæ supra alios charitatis. Verùm, Deo meo gratias ago, qui mihi patefecit eo toto tempore quo uersatus sum apud uos, ac deinde magis etiam ex quo uinculis constringor, idq́ue in summam meam ædificationem, uos esse ueros ministros, fideles seruos ac Dei filios, fide & charitate præstanti: quod quidem om-

dem omnibus ex testimonio uocationis uestræ, & Dei nostri gloria notum est. Qui in nobis opus suum cœpit, ille det ut in finem usque perseueremus. Duo illi fratres nostri, qui proximis diebus à uobis missi huc uenerunt, literis significarunt à uobis desiderari quam singuli fidei confessionē edidimus. Lubēter quidē uolūtati uestræ satisfeciſſemus: sed ex quo frater noster I. G. nuper hinc discessit, neq; charta neq; libri, neq; alia quibus nos solaremur ad manum fuerunt. Itaq;, nullo modo id præstare licuit. Atq; nūc charta nobis conceditur ea quam uidetis mensura, uel potius parsimonia. Vos igitur rogo ut me excusatum habeatis, atque etiam colligere uelitis confessionem meam, aut saltem eius præcipua capita ex superioribus meis literis, & simul ea omnia complecti quæ gesta sunt usque ad eam Iudicum sententiam qua miserorum remigum uiolentæ & horrendæ seruituti sumus mancipati. Interim satis sit, nunc uobis à me exponi quicquid actum est in Senatu, ex quo ita fuit contra nos pronunciatum. Die igitur Mercurij, qui scilicet *xxi* est Augusti, in carcerem ad nos uenit sub horam quartam pomeridianam Iudex ille, cuius partes erant nobis sententiam proferre, qua ex senatusconsulto remigibus illis coactis nos addixit. Cui respondimus, gratias Deo nostro immortales nos agere, quod dignos redderet homuntiones, qui pro sancto ipsius nomine pateremur: quia uerò Procurator regius huic sententiæ interceſsit, Vernutius frater statim à Senatu accersitur, qui diu apud iudices constitit. Et quoniam temporis angustiæ premebant, in diem sequentem remittitur: atque eo uespere sepositus à nobis fuit, idque non sine magna animi nostri anxietate & molestia. itaque eius nomine nostróque ad preces confugimus. Postridie rursum ad iudices reducitur, ubi totum tempus matutinum absumitur: & quę singularis est Dei gratia tā strenuè in eorum conspectu se gessit, atque ita illis restitit, ut nihil ex eius constantia imminuerint, neque de gradu exturbauerint. Interea autem nesciebamus ecquid ualeret, nec quid contra eum ageretur. A meridie Senatus minimè coactus est.

Quinque hi martyres ad triremes damnati.

Die Veneris autem manè sub horam septimam ipse accersor, & in cubiculū quod uocant Iudiciorum deducor: illic sedebant duo Præsides, nouē consiliarij, aduocatus regius, et actuarius. Simulatq; sum ingressus, alter ex præcipuis actuario iussit ut tabulā mihi offerret, in qua depicta erat cruci affixi imago ac mihi præcepit, ut genibus flexis procumberē, Hic ego, Absit, inquā, ut me coram idolo & creatura prosternam. Ne tu nimium mordax es, aiūt, an putas senatui ac nobis etiā esse in animo ut imaginem adores? nihil minus, inquiūt, sed iubet Senatus ut Deum adores, & magistratui honorē deferas: quod ut facias in genua prouoluaris, ut coram Deo tuo promittas iureiurando interposito te uera dicturum & summa cum reuerentia nobis responsurum. Istud ipsum, inquā, uiri obseruādi, uehementer expetò, ut Deū adorē, et honorē magistratui deferā, adeoq; illi obsequor. Itaq; uestro mādato me obsequuturū recipio, modò hinc facessat et tollat idolū, alioqui nunquā prestabo, quū id prorsus in Dei pbrū et dedecꝰ cedat. Tūc ergo actuario dixit, ut imaginē auferret.

Idola contempta.

Atq;, quum ea ratione ac uia nō succederet, mihi iterum præcepit ut in genua procidere, prefatus minimè Senatū intelligere, ut aliū præter unicum Deum adorarē, in cuius cōspectu uellent me uera respondere, ac solùm ipsis parere, ut quæ Magistratui debetur obedientiam publicè profiterer. Ego igitur prefatus, & palàm testatus me nihil aliud uelle ac mori potius malle, in genua procidi. Statim iussit ut afferretur idolū, ad quod iurarē: id quū uiderē me in pedes erigere conatus sum, & professus me nunquā facturū quod uolebant. Itaq; præcepit iterū, ut è medio tolleretur, & Biblia mihi afferrētur, ad quæ iurauī me uera dicturū. hinc autē accidit, ut prius quæstio de idololatria quàm de meo nomine satis diu agitata fuerit. Postea rogauit qui uocarer, unde ortus essem

Iuramentū obueritatem dicē dam impositū.

tuseſsẽ,et quæ uocatiõis meę ſpecies: quibus ego planè reſpõdi ut res habet. Deinde,qui captus fuiſsẽ,quid contra me actũ ab alijs iudicibus,& quænã eſſet ſententia in nos lata,monens,ab ea Procuratorẽ regium prouocaſſe. Ego igitur totũ actionis progreſſum expoſui,& quod attinet ad ſententiã,à me impediri nõ poſſe Procuratoris regij prouocationẽ:ſed quod ad me attinet,paratum eſſe placidè ad ſubeundum quidquid Deo placuerit,ſiue ſalutis uinculis abeã,ſiue morti addicar,ſiue remigum miſerrimę ſeruituti mãciper:quũ eius nomine alterutrum mihi ſit ferendũ. Hic me rogauit,cur relicta patria, Geneuã me recepiſſem. Ego uerò cauſam ſine fuco adduxi. Tunc iuſsit ut ſurgerem,atq; quum in eius conſpectu ſtarem,uſus eſt oratione admodum elegãti,uenuſta,& uarijs lenocinijs ad me permouendum referta, deniq; ſic elaborata, ut nunquam magis appoſitã nec ita concinnam audiuerim: qua docere conatus eſt potuiſſe me nõ minus piè ſanctèq; domi meæ uiuere & illic Deũ colere, quàm Geneuæ: & grauem etiã ipſi Deo iniuriã facere,quòd non ſine ſcandalo à meis diſceſsiſſem. Neq; uerò à Scripturæ teſtimonijs abſtinuit, ut hoc ſuaderet. Deniq; ſub finem orationis ſuæ argumẽta ſumpſit,quibus probaret,operibus nos iuſtificari:nobis liberũ eſſe Arbitrium:Papam,utcũq; ſcelerata ſit uita(ut libenter uerbis ſuis faſſus eſt)habendũ eſſe pro Epiſcopo: & iniquè ac perperã facere quiſquis illum Antichriſtũ appellat:Miſſam eſſe Cœnam,& ſacrificiũ gratiarum actionis: Ceremonias quę in Baptiſmo obſeruãtur,licet ſint ſuperuacaneæ,tamẽ eſſe tolerabiles,quum Paulus Timotheũ circunciderit, & caput ſuum abraſerit: atque multa eiuſmodi propoſuit, quibus me rogabant omnes,ut ad ſuã eccleſiam redire non grauarer. Hic quanuis in carne mea pungerer acrius,mihi tamen ſuppeditauit Dominus quod illis reſponderẽ. Ac primùm quibus de cauſis mihi non licebat ſana cõſcientia diutius in Papatu morari, quũ illic & Euãgelij prędicatione & uſu Sacramẽtorũ priuarer. Deinde argumẽtis reſpõdi,quę ad probandũ liberum arbitriũ & operum merita adduxerat:& rationes prorſus contrarias adiunxi. Sed ille ſermonem meũ ſtatim abrupit,ut coactus fuerim cõqueri & petere an nõ Senatui placeret audientiã mihi fieri. Tunc igitur moderatior habitus fuit ſermo, atq; ita de ſingulis illis capitibus ad horã uſq; decimã diſſeruimus. Ego quidẽ minutius ex parte poſsẽ referre quidquid ordine tractatũ fuit: ſed ueritus ne mihi deſit charta,& quia etiã uobiſcũ reputare melius poteſtis, tantùm aſcribam noſtrarum diſputationum clauſulam, quæ fuit eiuſmodi (ficto nec ne animo,an ſerio id fecerit neſcio)ut conſenſerit non eſſe liberum arbitrium:nos fide iuſtificari,& non operibus:Miſſam mille nugis, adeóque impijs ſuperſtitionibus refertam eſſe:neq; eam poſſe cenſeri ſacrificium pro expiandis peccatis,ſed tantũ actionis gratiarum: corpus Chriſti minimè tanquã in loco includi in pane neq; ſanguinẽ in uino,& qui illic adorãt,idololatras eſſe. Quod ad Papam ſpectat, non eſſe epiſcoporum epiſcopum: ſed ſolùm eſſe epiſcopum Romanum, ac illum quidem & alios epiſcopos & ſacrificos ſceleſtè uiuere, neque ulla in parte officio ſuo defungi:atque ueram & ſanctam emendationem uel cenſuram eſſe expetendam. Denique nihil non propè mihi aſſentiebatur, ut in hæc uerba prorumpere coactus fuerim, Vtinam, uir ornatiſsime, quotquot ſunt in Gallia monachi tantum Theologiæ ac tu didiciſſent, nam ſtatim facilis eſſet inter nos conſenſus. Et ſi quid ego iudico, non eſt quod metuam ne tuis calculis damner, niſi reluctante conſcientia feceris. Nam ſi re uera ſum hæreticus (quod falſum eſt) tu quoque fueris neceſſe eſt. Hic quotquot aderant conſiliarij ſubriſerunt, & ex ipſis unus nomine C R. cui mandatum erat, ut cauſam noſtram inſpiceret,& poſtea coram Senatu exponeret, mihi dixit, Hæreticus, ut ille eſt, ſis oportet: non autem ut tu, ſit ipſe. Huic homini breuiter reſpondi, me illi nolle eſſe

Diſputatio cũ captiuis habita.

ſimilem

simulem. fortè enim essem hæreticus ficta quadam ratione, sed optarim, inquam, ut ille, ac uos omnes, quemadmodum ego, hæretici essetis: nempe sola hominum opinione & falso mundi iudicio. Tum idē ille ex præcipuis alter, uultu rubore conspersо, iterū more suo me cœpit hortari ut Christum abnegarem. quum uerò se nihil consequi uiderent, iusserunt ut reducerer, quòd hora prandij illorum instaret ac urgeret. Ergo in angustum quoddā cubiculum abducor, sepositus à meis fratribus, quod mihi ualdè acerbum & graue fuit: quū uehementer optarem illos monere, quibus astutijs & artibus illi iudices agerent. Verùm statim me ipse consolatus sum, & maxime illo solatio, quòd Dominus tam mirabiliter mihi adfuisset. Itaque illi gratias egi & precatus sum fratrum meorum nomine quos nondum accersitos sciebam. Et quoniam ille alter qui primas tenebat, ea mihi cōcesserat quæ iam retuli, cum illis colloqui magis optabam, ut Dei iudicium ob oculos ponerem. Eum igitur rogaui qui mihi prandium attulit, si redirent à prandio iudices, ut ipsis ex me diceret, suppliciter me precari ut mihi liceat iterum eos alloqui: quod se facturum recepit. Statim ergo uotis ardentioribus à Deo petij, ut illos rursum alloquerer, ac mihi daret ut eos officij sui & muneris probè monerem, deinde innocentiam nostram probarem, & diuinum iudicium proponerem. Ita in precibus ac meditatione perstiti ad horam secundam pomeridianam, qua minister ille renuntiat se iudicibus exposuisse quod postulaueram, atque etiam ut ad illos ueniam dicturus quæ uellem. Hoc igitur nuntio lætus, statim locum illum ingredior ubi sedebant, quemadmodum matutina actione fecerant. Cùm in eorum conspectu starem, ille quem dixi confessus moderator, Quid est, inquit, quod nobis dictū cupis magister Antoni? Tum erecto ad Deum animo, ut opē & auxilium ab eo peterem, cōmemorare cœpi quòdnā esset illorum munus & officium: & quorsum Deus eos præfecerit excubijs agendis pro populi sui salute: adeoq; suum ipsius nomen illis communicauerit. atque ita sum hortatus ut suis partibus probè defungerentur ex Dei præscripto & uoluntate. Deinde fratrum meorum innocentiam, & meam simul comprobaui, quam ignorare non poterant, quū illā manè cōfessi essent ipsi, neq; possent eorū numero cēseri, qui ex ignoratione sententias ferunt de hæresibus, ut uocāt, pro iudicio & opinione monachorū, quia Deus eos singulari cognitione ad recte iudicandū instruxerit. ac proinde Christi causæ rationē haberēt, de qua in nobis, qui sumus eius membra, iudicaturi erant: atq; hic Dei iudicium seriò proposui: deniq; palàm feci quantā suorum curā Dominus gerat. In summa circiter unam horam, Dei beneficio, ita sum collocutus, ut sermo abruptus mihi nō fuerit, & dixerim quæcunq; Dominus suppeditauit, & testimonia ex Scripturis accommodauerim ad institutum, ut Deo tribuenda sit gloria ob eam quam tulit mihi opem, & auxiliū singulare. Omnes quandiu ita disserui coniectos in me oculos habuerunt, & ego uicissim in eos: ac quosdam ex iunioribus uidi, quibus lachrymæ ex oculis fluebāt. Vbi uerò dicendi finem feci, alter ex duobus præcipuis uera quidem esse professus est quæcunque de ipsorum munere disseruerā: sed mihi satis esse notū, diserte Deum iussisse per Mosen, ut hæretici maximè puniantur: nec me posse unquam negare, quamuis nonnulla uerè dixissem, quin proximos meos grauiter offendissem, quum Papam Antichristum & filium perditionis appellarem, & Missam diaboli cōmentum, gesticulationem histrionicam, adeóque omnis impietatis caput execrandum: itaque sanguinem meum non posse innocentem haberi, ac multa eiusmodi adiunxit. Hæreticos certe puniendos facilè concessi, & in exemplum proposui impurum illum canem Seruetum, qui Geneuæ ultimo supplicio affectus fuit: uerùm sedulò cauerent, ne in Christianos & Dei filios uelut hæreticos, animaduertant: sicuti uniuersus

Actio alia coram inquisitoribus.

Hæretici puniendi.

Senatus certò sciebat, imò conscientiæ suæ testimonio conuictus erat nos esse Dei filios: ac proinde etiã atq; etiam uiderent, ne Pilati iudicio communi carẽt, ut fauorem Principum huius mundi & sacrificorũ Belial sibi concilient ac demereantur. Tandem sæpius me rogauit propositis in mediũ uarijs lenocinijs, ut in ipsorum conspectu palinodiam simpliciter canerem, & me ita dimissum iri, quum magnum fructũ proferre possem: & eã palinodiam minimè periculosam fore, ac tũ demum mihi nouã Missam fabricauit, & laruatũ quoque Papã induxit uarijs coloribus depictum: obsecrans ut hæc probarẽ. Excepi ad Missæ emendationem omnino requiri, ut prorsus è medio tollatur: & Pauli exemplo, ad primam Domini institutionem ueniendum, ut Cœna restituatur pristinæ suæ integritati, quã lubens admitto & agnosco. Quod ad Papam attinet, si moribus & doctrina Petrũ, & Apostolos referat, me pro episcopo habiturum. Postea in angustum illud cubiculum remissus sum. Sub horã quartã Trigaletus frater ad eos productus est, qui ut ipse uobis scribit, Dei beneficio idem illis respondit. Postridie autẽ Batallius & Tauranus fratres adducti sunt, et toto eo manè certarunt, quibus ita Dominus auxilio fuit, ut mirũ in modũ cohibuerint Sathanã, & fraudulentas eius artes discusserint. Tandem Senatus mandato, læti in eũdem locũ simul omnes concluſi sumus: die Lunæ proximo (qui 26 erat Augusti) simul etiam omnes in Senatum deducimur, atque satis prolixè nos hortati sunt qui illic sedebant, ut in uiam rediremus. Vernutius frater, Dei gratia, copiosè respondit omnium nomine, ut gloriam tribuerimus Deo nostro, quòd uictoria potiti discesserimus. Cæterùm, ab eo tempore damnati sumus nos omnes eorum calculis, & igni, ut fertur, adiudicati. Gratias Deo agimus, & horam expectamus, ac nos commendamus uestris omnium precibus.

Dilectio Dei nostri optimi, & Patris gratia Domini nostri Iesu Christi per communicationem Spiritus sancti sit uobiscum perpetuò, Amen.

Prouocationis causa exposita.

CHarissimi atque unicè dilecti fratres, quandò minimè uidetur Deo nostro, ut nobis liceat commodè quam singuli edidimus fidei nostrę confessionem, & quidquid contra nos ab aduersarijs nostris actum est uobis copiosius perscribere, sicuti nonnulli uestrũm expetũt, & literis quas, nobis scribere placuit, etiam flagitant: nos omnes æquis animis id ferre conuenit, et satis nobis esse debet, quòd tantũ boni adhuc largitur, ut possimus uobis nuntiare uelut per laceras partes quænam sit summa totius rei, pro ea quæ nobis datur chartæ & atramenti mensura uel portione. nã alioquí nihil est quod magis optemus, quàm dare operã omnẽ, quantisper à Deo uita hæc nobis concedit, ut grati testemur quantũ uobis debeamus pro innumeris illis solatijs, & exhortationibus planè Diuinis, quas ex uestris literis accipimus, postquã in uincula cõiecti sumus: ex quib, quidẽ possumus uerè testari nos lõgè plus doctrinæ, fortitudinis, & constantię cõsecutos, idq; uestris precibus assiduis, quarũ experti sumus admirabiles fructus, & quotidie experimur: quàm toto eo tempore quo Dominus ueritatẽ nobis patefecit: unde magnã ex animo gratiã uobis habemus: & simul seriò obtestamur ut tũ in precibus uestris tum etiã in scribendo pergatis, donec tandẽ ad Dominũ colligamur. Redditæ nobis fuerũt postremæ uestræ literæ die Sabbathi, sed in tẽpore, nec opportunius adferri poterãt: nã eo toto die mirã consolationẽ ex earũ lectione percepimus. Cur autẽ frater noster Ioãnes Vernutius die Dominico ad iudices nõ fuerit adductus, hæc ratio fuit, quòd iã die Mercurij sine ulla prouocatiõe responderat, & dũ responderet, moniti sumus ut prouocaremus, quia Senatus causam nostrã cognouerat ante literas Bernatium acceptas. itaq; prouocauimus. cupiebamus enim corã toto senatu sisti, hac ut ratiõe facilius monachorũ, pteruiã cõpesceremus, nõ quòd respõdissemus illo ipso die: sed monachis illis

illis respondebamus, & in prouocatione nostra perstabamus. Hac igitur de causa accersiti fuimus die Dominico. Postridie unus post aliũ omnes euocamur excepto fratre Vernutio, qui accersitus non fuit: atq; seorsum producti sumus ad Iudices nostros, qui in eũ locũ coierãt ubi rerũ capitaliũ iudicia exercentur in palatio. Illic Proprætor primus sedebat, aderant etiam qui Regis partes sustinent: itẽ consiliarij, & causidici circiter uiginti. præterea Inquisitor fidei cũ Officialibus (quos uocant) huius urbis, & Tarentesiacę ditionis: denicq; monachi quatuor aut quinque partim Franciscani, partim Dominicani. quia uerò dies erat Dominicus aderant quoq; alij permulti, qui cũ nihil aliud haberẽt quod agerẽt, illuc cõuenerant. Cęterùm, ex Proprætoris mãdato nobis recitatũ fuit senatusc̃ consultũ, quo diserte illi & eius collegis pręcipit, ut intra triduũ causæ nostræ finẽ imponant: alioqui suo munere abdicatũ iri ad annum integrũ. Ex eodẽ etiã senatusc̃ consulto iussit Proprætor ille ut audiremus, atq; etiã respõderemus his monitiõibus, quas Inquisitor nobis erat ꝓpositurus, nisi cõuicti hæreseos, seditiosi factiosiq; homines, & obstinati ac peruicaces haberi uellemus: atq; ita statim damnari omniũ sententijs. Hic inuocato prius nomine Dei, excepimus nos iã satis ac super respõdisse illis monitionibus, atq; etiã nolle nos quicquã Dominorũ nostrorũ Bernatium & Geneuensium priuilegijs derogare. Iterum urgemur eodem mãdato: itaq; respondemus (postquã clarè quod dicitur Esa. 38 protulimus, Domine uim patior, responde pro me) nos ea lege obsequuturos, ut nihil ex eo priuilegio, & libertate illorum dominorum nostrorum imminuatur, uel derogetur: & modò etiam nihil obstet, quò minus tum apud Senatũ ipsum, tum apud Regem querantur, & iniuriã sibi factam persequantur: quum præsertim ad hoc uiolenter cogeremur. Statim ergo actuarius quod à nobis responsum fuerat tum coram Prætore, tum aliis etiam ex scripto recitauit: quum perlegisset, interposito iureiurando ex nobis quæsitum fuit, an perstare in nostris responsis uellemus. nos uerò excepimus, quũ illa puro Dei uerbo nitantur, neq; ex illo unico ueritatis fonte, quidquã nobis adhuc cõtrà sit ostensum uel probatum, nos nullo modo posse aliter pronuntiare. ut aũt apertè constaret, nos minimè hęreticos esse, nec obstinatos, recepimus si ignorantia labimur, aut erramus ulla in parte, & ex uerbo Dei hoc doceamur, nos sententiã statim mutaturos. Neq; enim aliud nobis esse consilium, uel animum, quàm credere & sequi Iesum Christum, eumq; crucifixum, in illa quam ipse uerbo suo indicauit uia. Itaq; si probetur ab ea nos aberrare, eos precari, ut nos ad illam dirigerent, ac ueritatem nobis patefacerent quam sequamur, nosq; libenter & ex animo obsecuturos. Hic fidei Inquisitor sermonẽ concinnum orditur, ut antea sæpe, atq; ita contexit, ut solius Papæ, nullam autem Christi mentionem faceret. Et quoniam sua exhortatione affirmabat quædã in responsis nostris capita esse planè hæretica, rogauimus ut ea nobis cõmonstrarẽt. Nunc uobis singula non referemus, sed tantũ quæ sunt præcipua. Tum Inquisitor ille obijcit, duo tantũ sacramenta à nobis recipi, alia uerò quinq; repudiari, quæ semper in Ecclesia locum obtinuerãt. Respondimus, si ex Dei uerbo palàm faceret alia esse, nos facilè assensuros & ita polliceri. Quintum igitur caput ad Ephesios citauit: Quid? an non, inquit, de matrimonio scribitur, hoc sacramentum magnum est? excepimus, Itane uerò magister Scripturas intelligis, ut hoc ad matrimonium detorqueas? Atqui Paulus ipse, pronuntiat, se de Christo & Ecclesia accipere: itaque genuinum Apostoli sensum prorsus euertis. Verùm si de matrimonio etiam loqueretur, modò literis græcis tinctus esses, statim deprehenderes uocabulum illud perperam fuisse redditum. Imò, inquit, ego nonnihil ex ea lingua teneo. Dic ergo nobis, si placet, ecquuid Grecè scriptũ sit. Tum ille attonitus obmutuit. Addidimus igitur, Domine satis

Inquisitio seuera habita.

Martyribus obiecta de sacramentis.

satis uidemus te pudore suffusum nõ audere uocabulũ illud enuntiare. nos ergo quale sit dicemus: Vox Græca tantumdẽ ualet atq; secretũ uel arcanũ, nõ autem sacramentũ. Tum Inquisitor, Iam nimis disputatum est, inquit, quia hæretici estis: Quid de extrema unctione sentitis? excipimus, sed domine, prius de matrimonio disceptemus, & ordine progrediamur, uel saltem uictum te fatearis. Hic derepentè omnes & Officiales monachi, & causidici conclamarunt, plus satis uerborum iam profusum esse, nec amplius disputandum. Seuerè igitur præceperunt, ut responderemus. Nos autem mirati tantam eorũ festinationem, diximus nimium præcipites ipsos fieri ad damnandos quinque innoxios, & morti adiudicandos, ut qui nollent iustam illorũ causam propius expendere, nec uidere qualis esset aduersariorum calumnia. Hæc ergo paucis subiecimus. uos satis superq; intelligitis istos homines qui nobis aduersant, nihil eorum quę dicũt posse ullo modo probare: & quia uobis hoc molestum est, bilem uestrã in nos effunditis. Verum, si nos hic audire pro uestro officio recusetis, iudicum omnium Iudicem supremum habemus Deũ nostum, qui nos placidè audiet, ac nobis omnibus ius reddet, & in cuius conspectu uobis tandem uel inuitis reddẽda erit ratio iniuriæ, quam nunc Christo unico eius Filio Domino nostro inferre non dubitatis dum nos qui sumus eius membra, tam miserè tractatis. Iusserunt nihilominus ut responderemus de illa extrema unctione. Eam Iacobus inquiunt præcepit: neque hoc eludere uel subterfugere potestis. Excepimus nos certè profiteri, quum initiò publicatum fuit Euangelium ab Apostolis, quia necesse erat ut miraculis editis confirmaretur doctrina, tunc fuisse signa, uel sacramenta quæ miracula illa referebant, quorum ueritas subsequebatur: cuiusmodi erat manuum impositio, quæ donum Spiritus sancti significabat, ac simul ipsa ueritas sequebatur, ut satis constat ex Actorum historia. Sic etiam illa olei inunxio adeò erat salutaris, ut eã sanitas mirabiliter consequeretur. Vbi autem Euangelij publicatio exceptа fuit à mundo, tunc uisibile Spiritus sancti donum, atque etiam miracula cessarunt: ac proinde illa signa, quæ citra ueritatem, omnino uana sunt. Deinde qui conuenit unctioni illi, & uestræ quam iactatis? an non palàm est quæcunque à uobis fiunt, blasphemijs referta esse? quænam inde sanitas sequitur? nunquam illam circunfertis, nisi quum deplorata sunt omnia. Rogarunt iterum, annon illa unctio peccatorum remissionem conferret? Excepimus, in contextu remissionem peccatorum unctioni minimè tribui, sed diserтè precibus ex fide conceptis: remissionem enim peccatorum nostrorum non alibi quàm in Christi sanguine sitam esse. Obiecerunt hæc omnia prorsus à Concilijs damnata: nos igitur esse hæreticos. Sed quanta in hoc toto sermone fuerit perturbatio, & quàm confusus strepitus, dici non potest. Nam semper septem uel octo simul obstrepebant: & interim eorum stultitiam ac ineptias obiter perstringebamus, ut qui aderant tantam istorum uesaniam ridere etiam cogerentur. Præterea quæsitum à nobis fuit, an non uellemus fidem habere Concilijs? respondimus nobis semper probari Concilia & statuta quę uerbo Dei consentiunt, & quæ illo nituntur: alioqui minimè à nobis admitti: quin potius ea nos execrari tanquã humanas traditiones, & cõmenta planè diabolica. & quæ Dei ueritati repugnant: sicuti Paulus Gal. præcipiebat, ut hoc facerẽt: etiamsi Angelus nobis afferret è cœlo aliam doctrinam, quàm quæ Euangelio comprehenditur. Hic exorta est magna quæstio, quã nobis proposuerũt, nempe qui sciremus uetus ac nouum Testamentum esse Dei uerbum, nisi quatenus Cõcilia & ecclesia Romana ita censent, nosq; certiores reddunt? Quibus responsum fuit, quãuis Deus opera Iudæorũ & Papistarũ usus sit in cõseruãdis sacrosanctis Libris, quibus uoluntatẽ erga nos suã patefecit, nõ ideo tamẽ nos ab illis testimonia petere, nec pbationes, quibus

Strepitus obijcientium.

constet

constet esse uerbum Dei: sed certum ac ratum testimonium habere in conscientijs nostris per Spiritum adoptionis, qui operatur in cordibus nostris certoq; nobis persuadet, ac sancit Dei promissiões, & impellit ut clamemus, Abba, Pater, quemadmodum ait Paulus 8 ad Rom. cap. atq; etiam subiunximus, quisquis ab eodē illo Spiritu non ita persuasus est, eū non posse Dei filiū censeri: hoc caput prolixè agitatum fuit, ac copiosius tractatum & perspicuè simul illis ostensum, Dei gratia, quàm impio scelere sese obstringerent & horrendam blasphemiam uomerent, dum uolunt æternum Dei uerbum authoritati hominum carnalium, adeoq; diabolorū subijcere. certum enim esse, neminem qui Dei Spiritu regatur, & aliqua ratione sit præditus, tantam impietatē somniaturum. Sed uobis nunc perscribi sigillatim quidquid dictū fuit, nullo modo potest. Vnum tamen nō est omittendū, fuisse quosdam in eo consessu, qui palàm dicerent, esse diaboli, non Dei Spiritum, qui certiores de his rebus nos redderet. Istos igitur rogauimus, quónam Spiritu iussus fuerit Abraham filium suum Isaac immolare. Spiritu Dei responderunt. nos statim excepimus, si Abraham patrare non dubitauit parricidium, quod erat contra legem naturæ, certè perpulsum fuisse oportet interno quodam & longè alio quàm carnis suæ motu, quę quidem potuit illum eò adducere, ut putaret diabolum quendam esse potius quàm Dei Spiritum. atqui erat idem ille Spiritus, à quo certiores reddimur, qui impellebat eum ut crederet Dei esse uoluntatē. Sed mirum non est, si hoc prorsus ignoretis. nam animalis homo de rebus spiritualibus iudicare non potest. Ac multa alia de hoc capite illis exposita fuerunt. Postea rogati sumus de Cœna, de Missa, de Purgatorio, de cōfessione auricularí, & alijs ipsorum sacramentis. Atq; de singulis capitibus ita copiosè ultro citroq; disceptatum fuit, ut perinde ac de reliquis constitutū fuerit. Nimis lōgum esset ac tædiosum, referre quidquid hoc loco tractatum est. Id autem unum sufficiat, respondisse quemque nostrūm pro mensura suæ fidei, & quæ Dei est gratia, hostes ita repressos ac cohibitos omni ex parte, ut confusi iacuerint. Tandem postulauimus, ut de Papa nonnihil diceretur, & quidem ea lege, ut si probare possent ex Scriptura Papā esse caput Ecclesię Christi, nos omnia eius decreta admissuros. uerùm ad hoc caput nunquam attendere, neque de eo disceptare ullo modo uoluerunt. Tunc igitur diximus quia probare nolebant Papam esse caput Ecclesiæ, nos ex contextu sacrosanctæ Scripturæ palàm facturos, & quasi digito monstraturos Papam esse Antichristū: Biblia tantùm nobis proferrent, ut sępius hoc ab illis precati fueramus: quod tamen semper denegarunt. Cœpimus itaque locum ex 2 capite posteriorís ad Thess. tractare: sed audire placidè non sustinuerunt: quin potius instar luporū ululare & uociferari, nos magis hæreticos esse quàm Vuicleuum, Hussium, Lutherum, & quosuis alios: neque contra nos disputandum: monere nihilominus ut in uiā rediremus. Quū hęc peracta essent, in carcerē remissi sumus, sed alij ab alijs separati ad horā quintā serotinā. Postridie uerò Tauranū fratrem qui uix Geneuæ tres menses cōmoratus fuerat atq; adeò antea nunquam de Deo quidquam nouerat, accersi iusserunt. hunc sub noctem à nobis segregatum atque abstractum conabantur modis omnibus in suam nassam pellicere. Sed Dei optimi gratia & beneficio illis ita respondit, & eorum petulantiam sic retudit, ut istorum turpitudinem ac dedecora omnia detexerit: idq; multò melius quàm nos antea fecisse uideremur. Quod quidem grauiter & iniquis animis tulerunt, & eum ad nos remiserunt cū hac exprobratione, En etiam de isto ut de alijs iam actum est. Postea deductus fuit ad nos: unde magnam consolationem cœpimus, & gratias Deo nostro optimo simul egimus ob eam animi magnitudinem & cōstantiam, quam nobis omnibus pro sua bonitate contulerat. Cæterùm, die Mercurij (qui xxi, erat Augusti) hora quintā

Papa an caput Ecclesiæ.

quinta pomeridiana, iudex noſter, qui Proprætoris partes ſuſtinet, in cubiculum, quo uincti concludimur, uenit ſententiam contra nos ſcriptam pronuntiaturus: qua quidem nos tres nempe Vernutius, Laborierius, & Trigaletus in totam uitam mancipamur illi miſerrimæ ſeruituti, in quam addicuntur qui remos coacti agunt. Batallius autem & Touranus ad decennium duntaxat: & ea quidem lege, ut uetent diſertè ac minaciter, ne quis unquam ſtationem illam deſerat, alioqui fore ſi reperiamur, ut ignis ſupplicio luamus: ac ne etiam illinc duo illi fratres ante præſcriptum tempus abeant. Hac pronuntiata ſententia rogauit ludex anne prouocaremus. Tum uerò Laborierius omniũ nomine, Nequaquam, inquit, ſed nos libenter accipere quidquid Deo optimo & Patri noſtro uiſum eſt nobis dare, ac illi gratias immortales agere, eumq; ex animo laudare, quòd nos cenſuerit dignos, qui pro nomine ſuo patiamur. Procurator uerò regius, qui in Curia reorũ eſt ſcopulus, à Senatu perpulſus prouocauerat ab ea quam dixi ſentẽtia. Statim igitur eadem hora Vernutius frater accerſitus eſt in Senatum, & eo ipſo die, atque etiam poſtridie cauſam dixit cùm à nobis ſepoſitus eſſet. Proximo die Veneris Laborierius frater uocatus & deductus, manè & à meridie ſatis prolixè, dixit, ut ex eorum ad uos literis perſpicere licet: ac ſeparatus quoque à nobis fuit. Eodem ipſo die ego in Senatũ etiam ductus ſub horam quartam, illic ad ſextam uſque conſtiti. Totius autem actionis contra me progreſſus eiuſmodi fuit, primum omnium iuſſus ſum in genua procumbere. quod quum libenter feciſſem, mihi propoſita eſt tabella quædam lignea, in qua crucifixi (quem uocant) imago uiridi colore depicta erat. Tum Valentierus Præſes ſummus, uniuerſi ſenatus nomine iuſſit ut manum tabellæ imponerem: quod protinus recuſare non dubitaui, ob eam quæ expreſſa erat, imaginem: & teſtatus ſum palàm me per Deum uiuũ iurare erectis in cœlum manibus & oculis: deinde uera me dicturũ quidquid de fide mea rogarer. Tunc à Senatu petijt, an quod conceperam iuſiurandum illi ſatisfaceret. Ita eſſe reſpondit, nec poſſe me per ullum maiorẽ iurare. Poſtquam igitur ex meo reſponſo intellexerunt, quodnã eſſet nomen meum, quæ patria, qui ortus, & cur uinculis conſtringerer: pronunciauit ille, ex meis coram Præfecto rerum capitalium editis de fide mea reſponſis plus ſatis conſtare, hominem hæreticum me eſſe, atque talem iudicatum cenſura & ſupremis Inquiſitoris, & doctorum theologicorum calculis. Hic ego acriter retorſi, eos ipſos re uera eſſe hæreticos, quum à Chriſto Ieſu Domino noſtro tam perfide defecerint, & ab eius doctrina turpiter deſciuerint: ac ſeſe Antichriſto coniunxerint, & impia eius dogmata ſint ſequuti. itaque ab illis me hæreticum iudicari non poſſe: quin potius mihi facillimum eſſe ex Dei uerbo comprobare, ſi me æquis animis dicentem audirent, eos eſſe impios, & planè hęreticos. Tum ſummus Præſes excepit, me præſertim duobus confeſsionis meæ capitibus apertè conuinci hæreſeos, nempe dum affirmo Miſſæ ſacrificium eſſe deteſtandum & execrandum ſacrilegium, quo ſanguis Ieſu Chriſti pedibus calcatur, & quo etiã ſacrificium morte eius peractum abrogatur, & in nihilum prorſus redigitur: deinde, quum Miſſa cenſeatur eſſe memoria cœnæ Domini (ſicuti re uera eſt) id uerò diabolicum eſſe figmentum à patre mendacij excogitatum & confirmatum, ad eos in æternũ exitium præcipitandos, qui fidem illi habẽt & mordicus adhærent. Quum autem ingenuè reſpondiſſem hæc eſſe ueriſsima, adiunxi unicum eſſe ſacrificium æternum, idq; iam peractum à ſacerdote æterno ſecundum ordinem Melchiſedech, nempe Chriſto. quod quidem ipſe in ara crucis obtulit ſanguine ſuo in remiſsionem peccatorum noſtrorum fuſo: qui ingreſſus eſt ſancta ſanctorum, hoc eſt, in cœlũ ad patrem ſuum, quò etiam acceſſum habemus per eum, qui ſolus eſt Mediator noſter & aduocatus apud Patrem, quæ ex 9 ad Hebræos cap. confirmabam. Quod autem ad Chriſti-

Ad triremes dãnati pij homines.

Miſſa an ſacrificium.

Christianorum sacrificium attinet, constare laudibus & gratiarum actione, adeoq; totam piorum uitam, quam in iustitia & sanctitate peragunt (quę uiua est & rationalis hostia) sacrificium esse quod offerre Deo ipsi debeant, seseq; totos consecrantes, & planè addicentes in eius obsequium: in quo essent uelut socij & participes sacerdocij Christi, cuius nomine acceptos habeat Pater, & quicquid secum ferunt, utcunque mutilum sit & imperfectum. Tum ille Missam & Cœnam rem unam & eandem esse pronuntiat, & nominibus tantùm differre, non autem substantia uel re ipsa: ad hoc, differre quidem agendi modo, quòd ad externas ceremonias spectat. Imò uerò Cœnam et Missam pugnare ex diametro (ut loquuntur) ingenuè respondi, & non minus inter se distare quàm cœlum à terra: ac tum demùm Latino sermone disseruimus quid nobis in Cœna quærendum & accipiendũ sit: itemq; signa panis & uini quò nos ducant: quid sacrificus in Missa sua offerat & Deo proponat: discrimen quoque expositi inter eum qui confert donum, & eum cui confertur. Nobis enim in Cœna Christum dari in cibum, & perfectum integrumq; animarum nostrarum alimentum in uitam æternam, quum scilicet accipimus panem & edimus, & bibimus uinum, quæ uera sunt & integra corporum nostrorum alimenta ad tuendam hanc uitam: hæc signa nobis esse adminicula, quibus fidem nostram & spem uitæ æternæ confirmemus. quę in Christo nobis datur, ut scribit Ioannes 6 capite, Qui uidet Filium, & credit in eum, habet uitam æternam: & eum ultimo die à mortuis excitabo. Palàm testatus sum me participem fieri corporis & sanguinis Christi per fidem, qua in cœlum conscendo, ut illic ad dextram Patris quæram Christum salutem meam & uitam: non autem in pane & uino, sicuti sacrificus & Papistæ faciunt. Hic ergo conatus est probare corporis Christi præsentiam in pane, & sanguinis in uino: & uerba Domini nostri expendit, quum ait in Cœna, Hoc est corpus meum. Ego uerò respõdi, particulam E S T, pro significat accipi, ut alijs quibusdam locis, ueluti quum dicitur, Petra erat Christus: de columba etiam, & Spiritu sancto: de agno, & paschate: ac tropum esse tritum Scripturis: quem Metonymiam uel Synecdochen appellant, quum scilicet rei significatæ nomen signo tribuitur, atq; citauit locum illum Ioannis sexto, Ego sum panis uitæ. &, Qui manducat carnem meã, & bibit meum sanguinem: ubi de Cœna nõ agi, sed de fide in Christum excepi: quod ex uerbis Domini probare promptum fuit, quum inquit. Verba mea spiritus & uita sunt: & ex *xi* capite prioris ad Corinthios, ubi uocabula Panis & calicis (quæ à Paulo quater repetuntur) diligenter perpendere oportuit. Hic multi sermones ultrò citróque sunt habiti, quos referre nimis longum foret: atque ut uidetis, chartæ penuria laboramus. De Papa quoque, quem Antichristrum esse confirmabam, disputatum fuit de eius authoritate, & decretis uel statutis, quę Christi legibus planè sunt contraria. citaui 2 capite 2 ad Thessal. et quarto prioris ad Timotheum. In summa, quicquid rationum suarum tandem protulerint, Deus tamen Spiritu oris sui Antichristum occidit. Tunc autem longo sermone usi sunt, quo me uelut illecebris inescarent, pollicentes, si uellem in catholicæ & sanctæ matris suæ ecclesiæ sinũ redire, statim fore ut me loco fratris haberent: atque ita mei ipsius misertum posse me magnos fructus posthac edere & quamplurimis prodesse. Tentarunt denique illecebris omne genus animum meum concutere & de gradu exturbare, si posset fieri. sed uirtute Spiritus sancti suffultus, constanter inuictóque animo perstiti, ut nunquam ulla responsione permotus, Dei gratia, uacillauerim. Quod quum satis intelligerent, ad ultimum perfugium recurrunt, ac minantur se pronunciaturos contra me ex Regis legibus & edictis. Tandem uerò paucis respondi, sedere in cœlo Iudicem, ad cuius tribunal aliquando se sistere cogerentur, quum scilicet illud conscendet,

Corpus Domini an in cœna.

singulos conuocaturus ad reddendam factorum dictorúmque omnium rationem: & tum demùm libros & acta resignatum & patefactum iri, quibus explicatis causam suorum ut iustissimam tuebitur, ipsorum uerò conatus & audaciam reprimet ac damnabit. Me igitur tunc amandarunt in carcerem, sed nonnulli eorum quiritabantur, & prorumpebant in hanc uocem, Quanta est istæc proteruia, & quàm intolerabilis fastus? alij autem subsannabant, ac perperam in nos torquebant illud Psalmi, Oculos habent, &c. Itaq; hanc sententiam in eos reieci, nec enim uerius quicquam in ipsos dici posse affirmaui: nos autem iam Dei gratia, oculos fidei apertos habere, ut ueritatem ipsam cernere possimus: idq́ue solis datum esse ijs quibus lumen illud Euangelij ad mirabile affulserit. Atq; ea tũ sic gesta fuere. Subsequenti die Sabbathi, Batalius & Tauranus coram ipsis constituti, pro constantia qua à Deo præmuniti erant, próque fidei mensura quam ab eodem acceperunt, fortiter inimicis restiterunt, aptéque interrogatis responderunt. Die Lunæ proximo ad Senatores & Iudices nostros accersiti fuimus unà omnes, qui admonitione blanda, longáque uerborum circutione nos in suam sententiam perducere conabantur, sed laus Deo, nos haud quaquam commouerunt illa uerborum lenocinia. Nam Vernutius frater noster in eo confessu multis uicissim nostræ, uel potius Filij Dei, causæ æquitatem demonstrauit, nos deinde orationi assensimus omnes, unoq; ore acclamauimus Amen. Ac repentè uelut homines in opinione obfirmati, atque obstinati in carcerem nostrum reducimur. Postea etiam in nos quinque illorum decreto ignis supplicium constitutum fuit, cuius nos sententię pronuntiationem heri expectabamus: ac tum Dei bonitate misericordiaq; præfulti, supplicium illud liberè quidem & lubenti animo subire ac sustinere parati eramus, sed ipse mera sua benignitate spatium adhuc aliquod concesit respirandi. Qui autem has ad uos perfert literas famulus est Secretarij M. qui ut est uir bonus, tanta in nos contulit beneficia, ut plura, si uellet, in sua ipse causa facere non queat. Orate Dominum, ut illi pro tot officijs ac meritis in nos referat gratiam, remuneretur etiam suæ liberalitatis prę mijs eũ qui in aula est, & reliquos qui hic sunt fratres. Scriptũ die Dominico ipsis Calend. Septemb. anni M.D.LV. Commendat autem se quisque nostrũm uobis omnibus: cupimúsque ut in precibus uestris nostri quoque memores sitis. Vester humilis filius, seruus & frater in domino, Ioan. Trigaletus.

Acta coram Iudicibus.

Vltima cũ martyribus actio.

CErtiores, opinor, facti estis de rerum nostrarum statu, qualémque causæ nostræ exitum fore sperauerimus, nempe ut lata capitis sententia postri die frequenti in ea urbe mercatu, publicè de nobis uelut uictimis fieret holocaustum. fasces enim & catenæ iam apparati erant: pali tantùm restabant in terram defigendi, struendusq; rogus, cui corpora nostra imponerentur. Sed Deus pro bonitate ac misericordia sua exaudiuit orationem eorum qui pro nobis eius opẽ implorabant: unde affectus subsequutus est eiusmodi: Quòd scilicet die Veneris proximo hora secunda pomeridiana Iudices cõuenerint, ad imponendum finem causæ nostræ. ac duodecim quum essent, magna inter eos fuit sententiarum uarietas: sex enim in nos supplicium exigui et lẽti ignis constituendũ, alij uerò ad remigium relegandos, aut in exiliũ pellendos censebant. Quæ causa fuit ut eo die nihil certi statutum fuerit. Postero die alijs nonnullis in iudicium conuocatis, constitutum fuit quòd in nobis qui mẽbra Christi sumus, ipse non combureretur uelut hæreticus, ne fortè ea res populo offensionem, aliquam afferret: sed tanquã fur aut latro ad remiges condemnaretur. diuersa tamen ratione quo ad temporis spacium. nam Batallium & Tauranum ad decem annos tantùm, me uerò cum duobus socijs, omnibus diebus uitæ nostrę remigio destinarunt. Multum se nostra causa fecisse existimant, quòd nos morte perbeata liberarint, ut uitam degamus mille mortibus acerbiorem

acerbiorem. attamen speramus Dominum, qui nobis nunquam defuit in terra quandiu in manibus aduersariorum & uinculis Cameraci detenti sumus, eundem etiã in mari sua inexhausta benignitate affore inter manus eorũ qui remigum præfecti sunt: nec etiam diffidimus quin nostra in triremibus mansio æquè utilis futura sit, atque hæc Cameraci in carcere magnæ consolatini & ædificationi fuit ijs qui nobis affuerũt, alijsque qui nos quandoque inuisse runt. Memini porrò eorum quæ mihi aliquando narrata sunt de Maioris: sed causa nostra, Dei beneficio, melior est. Nam quod ad nos attinet, nulla sunt mali alicuius aut reuocationis indicia: sed misericordia quadã tacti ac συμπαθείᾳ erga quinque miseros homines ducti, metuentes iram Dei ob tantam humani sanguinis effusionem, hoc pacto nobiscũ egerunt. Hęc nobis acciderunt post longam expectationem uoluntatis Domini, qui causam nostram suscepit ac defendit, et uocem nostram tempore opportuno exaudiuit. Hic noster tabellarius uir est bonus, qui in carcere nos inuisit: audiuit etiam totam rationem iudicij nostri, opinorq; ipsum deferre secum eius exemplum, ex eo rem totam à principio cognoscere poteritis. Precibus uestris ac totius ecclesię, parentum, amicorumq; omnium & uicinorum nos ex animo commendamus: quibus, si unquam, nunc nunc maximè indigemus, quum ad uitæ genus abripiamur cui uel mille mortes, si totidem obire liceret, meritò quidem præferri possint. Dominus Deus & Pater omnis misericordiæ ac Deus omnis consolationis nostri misereatur, nosq; magis ac magis confirmet, sicuti etiam magis opus nunc habemus. Scribit prolixè ad uxorem suam Laborierius frater ac socius noster: eius literas si legeris, cognosces quid respondere statuerimus, quũ nobis iudicum sententia pronuntiabitur: quod hodie fiet, ut iam accepimus. Fratres mei te salutant, & se precibus eitam ecclesiæ, ac uestris priuatim commendatos cupiunt.

SCripserunt pręter has alias Epistolas ad cognatos & amicos, consolatione & integritate fidei repletas, quas Ioannes Crispinus diligens Martyrũ Historicus ordine enumerat. Nos autem breuitati studentes eas omisimus atque lectorem eò libenter trãsmittentes, historię huius exitum percurremus. Quo die ad supplicium pertracti sunt, quidam uir bonus quum in eorũ gratiam fecisset quidquid potuerat, illos adijt ut colloqueretur. Et quũ renuntiasset moriendũ ipsis esse, pro modulo suo & gratia sibi à Deo collata eos consolatus est: & hortatus etiam, ut inuicta constãtia pergerent, quandoquidem Deus opt. eorum opera in asserenda ueritate sua uti statuerat, & quemadmodum ille opus feliciter in eis auspicatus fuerat, ita perstarẽt infracti, & palàm intrepidum animum in reliquo certamine sustinendo commonstrarent. Hic omnes uno ore, & eadem uoce Deo gratias egerunt, quòd tantum honorem ipsis detulisset. Vnus illorum nempe Ioannes Vernutius, hoc nũcio accepto, initiò quidem attonitus & metu perculsus est, ut nulla totius corporis esset particula, quæ non contremisceret, atque cohorresceret: ac proinde in hãc uocem erupit, Sentio in me grauius certamen, quam possit ab homine mortali sustineri: spiritus tamen uincet miseram hanc carnem: & confido me non desertum iri à Deo optimo max. ac uos rogo, integerrimi fratres, ne mea causa offendamini: non deficiã omnino. Deus enim promisit se nobis adfuturũ in nostris afflictionibus: sed Dominus habet uarias rationes, quibus suos exerceat. Atq; tãtus hic pauor nos monere debet nostræ infirmitatis, & excitare ut toti ex Dei uirtute pendeamus, qui uirtutem suam perficit in eorum infirmitate quos sibi delegit in peculium, ut omnis gloria illi soli tribuatur.

Quinq; Martyrum mors descripta.

Quum autẽ ad locum supplicio destinatum ueniissent, idem ille Ioannes Vernutius quod sibi pollicitus fuerat de bonitate Dei & uirtute, consecutus est, constantiam uidelicet inuictam & fortitudinem uerè Chrstiano dignam.

Ioannes Vernutius

Primus omnium à carnifice tractus est: uerùm antequam mactaretur, preces ad Deum fudit: ita exorsus, Domine Deus & Pater omnipotēs ego certè coram sacrosancta maiestate tua ex animo & syncerè agnosco me peccatorem esse miserrimum: deinde fidem suam audiēte uniuerso populo clarè professus est, quum uerò spiritum suum Deo commendasset, mortis acerbitatem perpessus, hostes suos deuicit.

Antonius Laborierius. Antonius Laborierius imperterrito animo & læto uultu, perinde ac si ad nuptias (quod aiūt) inuitatus, sese ad mortem intrepidè obtulit. Ac priusquā obiret, carnifex ab eo ueniam petijt, præfatus se illum non esse qui morti ipsum addiceret, sed eos demùm qui iuri dicundo præficerentur. Tunc autē Laborierius, Amice, inquit, me prorsus non offendis: quin potius opera tua ex carcere eripior. Id cùm dixisset, carnificem osculatus est. Ex plebe multi misericordia commoti lacrymas fundebant. Deinde easdem quas antea Vernutius preces concepit, & disertè fidei suæ confessionem edidit, atque ita spiritū ultimum summa constantia emisit.

Ioannes Trigaletus. Ioannes Trigaletus infracto quoque animo ad mortem progressus est: ac pro inimicis suis orauit, quosdam esse clamans, qui nescirent quid facerent ipsi: alios etiam esse qui certò scirent, fascinatos tamen à Sathana, & mundi honoribus ebrios, nolle palàm nec ingenuè profiteri. ô, mi Deus, inquiebat, oro te ut eos liberes: Tandem subiunxit, Deus mi, iam te spiritu cerno sursum in tuo solio sedentem, et cœlos apertos uideo, sicuti Stephano seruo tuo dedisti ut moriturus intueretur. Sic fidem suam professus, feliciter expirauit.

Bertrādus Batallius. Bertrandus Batallius coram omnibus audacter hæc uerba protulit, Nos hic non sumus uel ob latrocinium, uel homicidium, aut aliud scelus: sed quia iustissimam Dei causam tuemur. Et quum precatus esset Deum, supplicio mortis affectus fuit.

Guyraudus Tauranus. Postremus Guyraudus Tauranus, Psalmum unum ita cecinit, ut ab omnibus audiretur: & quanquam erat adhuc iuuenis, non minore tamen constantia quàm reliqui excelluit: Deum magno ardore & uoce firma orauit: deinde mortem obiuit. hæc Crispinus

LOCARNENSIVM plurimi unà cum familijs religionis causa in exilium missi. 1555.

CVm Euangelij prędicatio hinc inde disseminaretur, factum est ut etiam ad Locarnenses, qui trans Alpes in finibus Insubrum habitantes, & Heluetijs subiecti sunt, peruenerit. Hi itaq; uerbi dulcedine allecti, mutata religionis forma Euangelium susceperunt, atq; Ecclesiam instituerunt, certis quibusdam ministris ordinatis. Quinq; autem Pagi cum reliquis pontificijs apud Heluetios, hanc mutationem ferre non poterant, putantes hac ratione suæ existimationi atq; iurisdictioni aliquid decedere. Propterea censebant authores huius mutationis grauiter plectendos esse. Cæteris uerò qui Euangelium profitebantur, æquum uidebatur, ut liberis conscientijs Magistratui suo debitam obedientiam præstarent. Cùm itaq; huius rei gratia aliquoties Comitia celebrassent, nec tamen conuenire possent, adeo ut magnus motus timeretur, tandem seniorum & prudentum consilio, ob maius malum uitandum, extra eam regionem cum familijs, & omnibus bonis ablegati sunt. Qui etiam sub initium ueris, magna patientia hanc sententiam suscipientes, atque in uera fide constantes permanentes, patrium solum mutarunt, atque maiori ex parte in Tigurinorum urbem & agrum sese receperunt.

Anglorum exilium. Hoc eodem etiā anno, cū horrenda persecutio in Anglia orta esset, de quo in prima parte à Ioāne Foxo copiosè tractatū, magnus numerus Anglorum exulum inter quos Ioannes à Lasco Polanus, Richardus Morisinus, Ioannes Ponetus, Martinus Micronius, Ioānes Baleus, & multi alij generis nobilitate & doctrina

& doctrina insignes uiri una cum familijs suis in Germaniam adeoq; ipsam Heluetiam usq; peruenerunt, ut exularent. ubi etiam à magistratibus pijs humaniter susceptí fuerunt.

POMPONIVS Algerius Capuanus Romæ crematus Anno 1555.

POmponius Algerius Capuanus magnæ eruditionis iuuenis, cũ esset Patauij studiorum causa, Veritatem Euangelij, quam à Spiritu cœlesti hauserat, occultare non ualens, quoscunq; poterat & uerbo & exemplo ad Christum adducere (quod & in patria fecerat) conabatur. Itaque breui tempore eius nomen hæreseos nomine ad nouum Pontificem Paulum quartum delatum. Hic enim Iulio tertio & Marcello secundo mortuis uicesimotertio die Maij eiusdem anni, septuaginta nouẽ annos natus, ad pontificatum euectus fuerat. id quod alibi in continuatione Ioannis Sleidani, lib. 26, est à nobis expositum. Factum igitur est ut eo petente Patauij à Veneto magistratu caperetur, Venetiasq; adduceretur: ubi in carcere tandiu seruatus est, quoad Pontifex (quod homo Campanus esset) Romã mitti uinctum postularet, quod etiam ei à Venetis concessum fuit. Romam cùm perductus esset, multa & per eius propinquos & per alios tentata sunt, ut sanctum iuuenẽ de sententia dimouerent. Sed cùm uiderent frustra se omnia conari, flammis eum adiudicarunt, ut uiuus comburetur: quas ille omnium admiratione cõstantissime pertulit: atque ita Deo suum reddidit spiritum à quo prius acceperat. Dum autã Venetijs in carcere detineretur, literas ad fratres scripsit, quarũ nos Autographũ à clarissimo uiro D. Cælio secundo Curione nacti, hic subiecimus, ut quanto Christi Spiritu & constantia fuerit præditus sanctus hic martyr, omnes intelligerent, præsertim cũ ea omnia exitus ipse certò cõprobauerit.

Dilectissimis fratribus Christi conseruis, qui à Babilone transmigrarunt in montem Sion. quorum nomina nominare soleo, gratia, pax & salus à Deo Patre nostro per. D. Iesum Christum Dominum & Saluatorem nostrum Amen.

VT temperarem tristitiam quam pro me habetis, nolui uos mea dulcedine non impertiri, ut unà mecum gestiatis, & coram Domino psallatis, gratias agentes: hominibus incredibile dicam. Inueni fauũ mellis in uisceribus Leonis, quis unquã credet, quod referã? quis unquã credet? in obscura fouea amenitatem: in loco amaritudinis et mortis tranquilitatẽ & spem uitæ: in infernali baratro lætitiam: ubi cæteri flent, ibi gaudium: ubi reliqui timent, ibi robur: quis unquam crederet? in infelici statu, maximam oblectationem, in solitudine, commertium proborum, in durissimis laqueis haberi requiem. Hæc omnia conserui Christi Domini dulcis manus Dei mihi exhibet. ecce qui olim longius aberat, mecum est: quem tum quodammodo sentiebam, apertius nũc uideo: quẽ aliâs procul aspiciebã, eum nũc ꝑpius cõtemplor: quẽ sitiebam, en dat mihi manũ: Hic me consolatur & gaudio replet: hic amaritudinẽ fugat, uires & dulcedinẽ exhibet: hic mihi medetur, refocillat, subleuat, & corroborat. ô quã bonus Dominus, qui nõ patitur seruos suos tẽtari supra uires: ô quàm leue & suaue iugum eius. Num est similis altissimo? qui recipit afflictos, sauciatos resanat, & fouet. Num est similis illi? Discite dilectissimi quã dulcis Dominus, quàm mitis & misericors: qui uisitat seruos in tentationibus dignatur esse nobiscum in dura uilíq; Domo, præbens mentem lætã et cor pacatum. Forte credet hæc cæcus mundus? sed potius dicet incredulus, æstum, niues, & duritiã loci diu ferre nequibis: cruces & incõmoda mille, cõuicia & toruos uultus qui feres? Nónne respicis dulcẽ patriam? nónne mundi opes, cognatos, delitias, honores? num obliuiscéris scientiarum solatio & medela omniũ laborũ? nũ ꝑdes omnes quos pertulisti labores, totq; uigilias & sudores, unaq; laudabiles conatus, quos è teneris unguiculis elaborasti?

Tandem nō pertimeſcis mortem, quæ imminet, ſcilicet nullum ob delictum? ô quàm ſtultum & inſipiens, poſſe unico uerbo his omnibus proſpicere, atque necem declinare, & nolle? Quam inciuile à magnificentiſsimis, iuſtiſsimis, piiſsimis, ſapientiſsimis, ac optimis ſenatoribus exorari non poſſe, & uiris tam illuſtribus obtuſas prębere aures? Sed audiant cæcutientes mortales: Quid feruentius igne, qui eſt tibi paratus? quid frigidius corde tuo, quod in tenebris eſt, & lumen non habet? Quid durius & perplexius, & magis agitata uita quam degunt? Quid odibilius & ignobilius æuo, quod extat? Dicant præcor, quæ patria dulcior cœleſtis? Qui maior theſaurus uita æterna? Qui noſtri cognati, niſi uerbum Dei audientes? Vbi plures diuitiæ & digniores honores quàm in cœlis? Dicat ſtultus iſte, ſcientiæ nónne ad Dei notitiam datæ? quem, niſi cognouerimus labores, uigilias, ſudores, & nixus omnes abſque dubiò longè amiſimus.

Reſpondeat miſer homo, Quod ſolaminis & medelæ ſibi, ſi Deo caret, qui eſt omnium uita ac medicina. Qui dicet mortem abhorrere, cùm ipſe mortuus ſit in peccato? quin imò ſic mortem uitæ præponit: ſi Chriſtus uia, ueritas, & uita: num eſt uita ſine Chriſto? æſtus mihi frigus opacum eſt: hyems nouum uer in Domino: qui ignem non timeo, æſtum contemiſcam? angẽt glacie, qui uritur amore domini, locus quidẽ reis durus eſt ſed innocẽti mellifluus. Hinc ſtillat ros, inde nectar effluit: hinc lac ſcaturit, illinc rerum omnium ubertas. locus quidem deſertus eſt et incultus, mihi tamen amplà uallis eſt effectus: hic mihi nobilior pars mundi. Iudicet infelix iſte, ſi amœnius pratum haberi poſsit. Hic Reges uideo, Principes, urbes, & populos: hic prælia cerno, hos confractos, illos uictores: quoſdam detrudi, alios efferri. Hic mons Sion: hic uerſor in cœlis: Chriſtus Ieſus aſtat in fronte: circunſtant antiqui Patres, Prophetæ, Euangeliſtæ, Apoſtoli & ſerui Dei omnes. Hic me amplectitur & fouet: hi hortantur: illi ſacramenta pandunt: Conſolantur iſti, cæteri pſallentes comitantur: Dicar ſolus inter tot & tantos? commertium hinc mihi ſolamen & exemplum: Hos enim uideo crucifixos, obtruncatos, lapidatos hos, illos ſectos, torreri alios, alioſq; in ſartagine & ollis æneis frigi: huic oculos ſuffodi, alteri linguam abſcindi: huic caput decoriari, illi manus & pedes ſecari: alios in caminum ignis mitti: aliquos factos uolatilibus eſcam.

Maximam prouinciam aſſumerem, ſi omnes enumerare uellem: Varios denique uideo uarijs torqueri tormentis: omnes tamen uiuentes, incolumes omnes: unum eſt omnibus collyrium, unum medicamen, omnium plagas ſedens: id quoque dat mihi robur & uitam: ſic anguſtias iſtas momentaneas & diſpendia modica hilari animo patior: maxima nanq; ſpes & mihi repoſita eſt in cœlis: & iniurios & inſectãtes me, nõ trepido. Qui enim habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus ſubſannabit eos. Nõ timebo millia populi circũdantis me: Dominus Deus meus liberabit me: ſpes ſuſceptor meus, conſolatio mea exaltans caput meum. Ipſe percutiet omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, & dentes peccatorum conteret: quoniam ipſe eſt ſolus benedictio, & imperium. Impropería pro Chriſto hilares nos reddunt. Sic enim ſcriptũ eſt: ſi exprobramini in nomine Chriſti beati eritis, quia quod eſt honoris & uirtutis Dei, et qui eſt eius ſpiritus ſuper uos requieſcat. Certiores igitur facti ſciatis noſtra impropería in improperantiam deſpectũ facta. Firma mihi nulla ſedes eſt: in cœlis mihi primam nouam Hieroſalem quæro, quæ obuiã mihi præſefert. En iter arripui ubi dulcis domus poſita eſt, ubi opes, cognatos, delicias: honores non defuturos haud hæſitò. terrena hæc umbratilia, caduca omnia ac uanitatũ uanitas, ſi deeſt futurę ęternitatis ſpes & ſubſtãtia, quibus

donauit

donauit me Dominus ſupremus, factę ſunt mihi comites et ſolatiũ. Iã pariunt dignos fructus. Sudaui, alſi, omniq; nixu die noctuq; euigilaui. En conatus tales iam deuenerunt ad ſummum. Dies, horaq; non fuit mihi ſine linea: ecce uerus Dei cultus cælatus eſt ſuper me: dedit lætitiã Dominus in corde meo: in idipſum in pace requieſcam. Quis audebit huiuſmodi ætatem damnare noſtram, & annos dicere proſtratos? Quis temere proferet tales labores eſſe deperditos? Qui Dominum Mundi ſunt aſſecuti: qui mortem cum uita commutarunt: pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea exquiram eum: ſi ergo mori in Domino, eſt non mori, ſed beate uiuere, quid rebellis adeo mortem obijcit? Letum hoc ô quàm mihi eſſet lætum, calicem Domini guſtare: quæ certior arra ſalutis. Ipſe dixit, quæ mihi, ea etiam uobis facient homines.

Ad patientiam adhortatio.

Ceſſet iam demens, qui hallucinatur in Sole: ceſſet inquam talpa mundus hæc aſtruere. Dicam cum Apoſtolo, Non tribulatio, neque anguſtia, non fames & nuditas, non periculum & perſecutio, nec gladius erunt unquam ſatis ſeparare nos à charitate Chriſti. Mactamur tota die: facti ſumus ſicut oues occiſionis: ſic redolemus caput noſtrũ Chriſtũ, qui dixit nõ eſſe maiorem diſcipulum magiſtro ſuo, neque pluris ſeruum domino ſuo. Iuſsit quoque ut quilibet tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur eum: Conſolamini dilectiſsimi conſerui Dei: conſolamini cùm in uarias tentationes incideritis: ſit patientia ueſtra ab omni parte perfecta. Hæc enim ſunt nobis promiſſa in terris: etenim ſcriptum eſt, Quòd qui uos occident, cogitabunt obſequia præſtare Deo. Igitur anguſtiæ & mors ſunt ſymbolum electionis noſtræ & futuræ uitę. Lætemur & Domino pſallamus, quia procul à crimine tundimur & morti tradimur: Melius eſt enim benefacientes, ſi uoluntas Dei eſt, pati, quàm male facientes: exemplum nobis eſt in Chriſto & Prophetis, qui loquuti ſunt in nomine Domini, quos filij iniquitatis mactarunt. Ecce nunc beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt: Geſtiamus innocentia & iuſticia noſtra, Dominus retribuet perſequentes nos, ipſi uindictam.

Stultitiæ accuſor quòd Dei noticiam legitimam, non effugiam. cùm unico uerbo malis iſtis conſulere ualeam. O pauper homo, qui Solem nõ uides, immemor uerborum Dei: Recordare ſermonis Chriſti, Vos eſtis lux mundi: non poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem poſita: neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: & alibi, Ducemini coram regibus & magiſtratibus, non timeatis eos, qui occidunt corpus, ſed potius qui poteſt occidere animam. Omnis igitur, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Si adeò aperte loquutus eſt Dominus, qua autoritate utitur conſultor iſte tale conſilium nobis probare? Abſit ut iuſſa Dei cõtemnam, & hominum conſilia ſequar. Scriptum eſt enim, Beatus uir, qui non abijt in uia peccatorum, & in conſilio iniuſtorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Abſit ut Chriſtum negem, ubi eum fateri eſt opus. Non faciam pluris uitam meam anima mea: non commutabo uitam futuram cum præſenti ſeculo. ô quàm inſipiens qui hac uia nos ſtulticiæ increpat: nec inciuile duco magnificentiſsimis, iuſtiſsimis, ſapientiſsimis, pientiſsimis, optimis ac illuſtribus Senatoribus, quorum preces mihi iuſſa fiunt, hac in re morem non gerere.

Docemur nanq; ab Apoſtolis, Oportet Deo magis obedire q̃ hominib. Cùm primum Deo ſeruierimus, tunc poteſtatibus huius ſeculi obedire tenemur: quos opto perfectos eſſe coram Domino: Magnifici ſunt, ſed adhuc in

Domino perficiendi: Iusti sunt, at deest sedes iustitiæ Christus: sapiẽtes sunt, sed ubi principium sapiẽtiæ, timor Domini? Pij dicuntur, sed cuperem eos in charitate Christiana absolutiores: boni sunt, at in illis desidero fundamẽtũ bonitatis Deum optimum maximum. Illustres dicuntur, adhuc uerò non recepe runt illustrem Seruatorem nostrum. Intelligite Reges & erudimini qui iudicatis terrã. Seruite Domino in timore & exultate ei cũ tremore. Apprehẽdite disciplinã ne quãdo irascatur Dominus, et pereatis de uia iusta. Quid frendi tis gẽtes? ô populi, quid meditamini inania aduersus Dominũ? Reges terræ & ô principes quid cõuenitis in unũ aduersus Christum & sanctũ eius? Quouscq; quęretis mẽdaciũ & odio habebitis ueritatẽ? cõuertimini ad Dominũ, et nolite esse duri corde. opus est enim fateri, quodqui Dei seruos persequitur, Deũ persequatur: Cũ ipse dixerit. Quæcũq; uobis facient homines, non uobis, sed mihi fient: sed dicãt mihi, quomodo criminis sum reus, si illustrissimis senatoribus & Dominis meis non ad uotũ responderim? Nam quæ loquutus sum, non ipse loquutus sum, cũ Dominus prædixerit quòd coram magistratibus nõ erimus nos qui loquemur, sed Spiritus Patris nostri, qui in nobis erit. si Dominus fidelis & uerax est, ut & uere est, nullã sustineo culpam: ipse dedit mihi, quæ loquerer uerba illa. Quis erã ego, qui possem uoluntati Dei resistere? si quis sermonẽ meum reprehẽdere audebit, arguat Dominũ, qui sic operatus est in me: sin Dominũ nõ arguendũ putet, neq; me accusẽt qui huius immunis sum: qui feci quod nolebã & nõ cogitata. Quę exposui, si male et nõ fideliter dicta, ostendant: Fatebor enim nunc à me & non à Domino exijsse: at si bona & probata & quæ iuste accusari non possunt, uelimus nolimus, & (ut aiunt) inuitis dentibus admittendũ est à Domino processisse: quæ cùm ita se habeant, quis me accusabit? gens sapientissima, quis cõdemnabit? Iudices iustissimi: quod si facient, non ideo uerbũ fiet irritum: nõ ideo Euangeliũ erit insipiens & impedietur: sed regnum Dei tanto charius & dulcius Israelitis: eò properantius deueniet ad electos Christi Iesu: et qui talia faciunt experientur graue iudicium Dei: non erant sine pœna iustorum interfectores. Dilectissimi, leuate oculos, considerate consilia Dei, nuper ostendit Dominus imaginem pestis: hoc ad nostram correctionem factum est: si eum non recipiemus, en euaginabit gladium & percutiet gladio, peste, fame gentem quę insurrexerit contra Christum. Hæc enim in uestram consolationem scripsi fratres, orate pro me, osculor ex corde in osculo sancto Dominos meos Syluium, Pergulam, Iustum, unà & Fidelem à Petra, & qui gerit nomen Læliæ, quem absens noui, atque Dominum uniuersitatis Syndicũ, & cæteros omnes, quorum nomina scripta sunt in libro uitæ. Valete conserui Dei omnes: Valete in Domino & assiduè oretis pro me. Ex delectabili pomario Leonini carceris 12 cal. Augusti 1555. Fidelium obseruantissimus illaqueatus Pomponius Algerius

PAX IN Germania constituta 1555

DVm hæc alibi gererentur, pax tandẽ atque quies Dei misericordia pijs atq; cordatis uiris hinc inde religionis causa in Germania data. Quum enim Rex sapientissimus Ferdinandus, Imperatoris fratris sui nomine An. 1555 Augustæ Vindelicorum cum Germanis principibus & Imperij statibus Comitia celebraret, atque omnes plurimis de causis magna animorum propensione ad pacem inclinarent, tandem omnium consensu decretum, ne in posterum Catholici (ut uocantur) Augustanæ Confessioni adhærentes, nec uicissim hi Chatolicos, aut eorum confœderatos, & subditos nomine doctrinæ

doctrinæ,religionis, aut ceremoniarum, moleſtarent, uiolarent, inuaderent aut contra eorum conſcientiam à cognita & amplexa doctrina,religione, ceremonijs,aut ordinibus in ſua ditione propoſitis et ſeruatis,deficere cogerẽt, aut ipſis alia quadã ratione uim facere præſumerẽt:uerùm ut quilibet alios in diuerſa religione, Ceremonijs, aut ſtatutis uiuentes quieſcere, atque bonis, priuilegijs,& tota ditione pacifice frui permitterent, donec tandem tota illa religionis controuerſia,pijs,honeſtis & pacificis medijs, diuina gratia cooperante in Concilio generali aut Nationis ſaltem cõponeretur. Si qui uerò neq; Catholicæ religioni nec Auguſtanæ confeſsioni adhærere dignentur,uerùm diuerſam ſectam tueantur, in dicta pacis formula comprehendi nequaquam oportere. Hac itaque ratione multis pijs & doctis uiris occaſio data hinc inde per Germaniam diſſeminandi doctrinam Euangelij.

Poloniæ conuentus.

HAc etiam ratione factum ut lux Euangelij ad Polonos quoque deuenerit: Rex itaque Sigiſmundus paulo pòſt cum ordinibus regni Peterſouiæ Comitia celebrauit. Ibi actum de adminiſtratione Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti ſub utraque ſpecie panis & uini,atque de ſacerdotum & miniſtrorum Eccleſiæ matrimonio. plurimi enim ex proceribus iam antea ad Auguſtanam confeſsionem inclinabant,atque miniſtros Eccleſiarum uocarant, ut in ſuis ditionibus annuntiarent Verbum Dei. Nihil tamen eo in conuentu certi concluſum fuit.

RELIGIO in quibuſdam locis mutata. Anno 1556.

QVum etiam Fridericus Elector Palatinus 1556 anno, 26 Febr. uitam cũ morte commutaſſet, atque Otto heinricus ſeptemuiratum inijſſet, ſtatim Religionis formam mutauit, atque Euangelicam doctrinam, ſubditis pleriſque petentibus,ſubſtituit, ſeq; confeſsionis Auguſtanæ ſtatibus coniunxit. Hunc etiam Carolus Marchio Badenſis imitatus, qui & ipſe Auguſtanam confeſsionem amplexus, Verbi prædicationem iuxta Prophetica & Apoſtolica ſcripta in ſua ditione,Miſſa & Papiſticis ceremonijs abrogatis, inſtituit.

Ciues quidam Pariſienſes capti & exuſti 1557.

CVm hinc inde plurimi exules in Galliam quoq; deueniſſent, atq; gratiam Chriſti alijs quoq; communicarent, factum eſt ut hac æſtate ingens numerus nobilium & magnatum Lutetiæ aliquoties in aula quadam conuenerint, & pium quendam atq; doctum uirum de Dei æterno conſilio & miſericordia per Chriſtum cõcionantem audiuerint. Tandem uerò Monachorum quorundam indicio omnes deprehenſi,in publicis uijs luto fædati, atq; incarcerati fuerunt. Cùm autem eodem tempore iuxta Ratisbonenſe decretum Germanorum Theologi Vuormatiæ ad Rhenũ Colloquium inſtituiſſent,ut in quibuſdam articulis Religionis conuenirent, eò quoque pietate & doctrina præſtantes quidam uiri Geneua & alijs locis ſeſe contulerunt, petentes à Theologis Auguſtanæ confeſsionis, ut apud ſuos principes & ciuitates efficerent, quo per Legatos ſuos apud Heinricum Galliæ regem, pro inſontibus illis religionis cauſa Lutetiæ incarceratis humaniter intercederẽt. Id quod etiam magna captiuorum utilitate impetratum fuit.quanquam ante legatorum aduentum aliqui ex captiuis magna patientia & conſtantia ignis ſupplicium iam ſuſtinuerint. Id autem fertur eò facilius à rege impetratum fuiſſe,quod eodem hoc tempore, uigente undique bello cum Philippo Hiſpaniarum rege Caroli quinti Imperatoris filio,memorabili prelio ad Fanum Sancti Quintini, ab eodem ſuperatus fuerit.

RERVM

RERVM IN ECCLE=
SIA GESTARVM, QVAE POSTRE=
MIS ET PERICVLOSIS HISCE TEMPORIBVS EVENE=

tunt, maximarumq; per Europam, præsertim uerò Germaniam, Galliam, & Italiam persecutionũ, ac sanctorum Dei martyrum Commentarij.

LIBER DVODECIMVS.

THEOFREDVS VARAGLIA PEDEMONTANVS

Taurini strangulatus & exustus 29 Martij Anno 1558.



THeofredus qui et Iafredus, cognomẽto Varaglia, Pedemontanus uerę relegionis causa captus & in uincula cõiectus fuit. Cùm ei purpuratorum unus, mortis sententiam nuntiasset, admirabili quadam animi uultúsque constantia respondit, se mortem minimè formidare. Post cũ è carcere teterrimo educeretur ad supplicium, sacrificulus quidam ei sese adiunxit, ac sanctum uirum hortari cœpit, ut sese conuerteret, ac resipisceret. Cui Theofredus arridens, tu uerò potius inquit amice ab ista uestra immunda uita, & idololatria, ad uerum Dei cultum tete conuerte, & pœnitentiam age: nam me sua misericordia Deus iamdudum conuertit, & sibi consecrauit. Cum eo ducebatur alius quidam bonus senex, qui & ipse multa eandem ob causam passus est. Ea enim in eum lata sententia fuerat, ut Theofredi supplicium spectaret: deinde ipse flagris cæsus, & Regia inustus nota, in exilium cõiceretur. Hunc sanctus martyr Theofredus consolari non destitit, usque ad supplicij locum. Cùm autem eò processissent unde supplicij locus iam pyraq; conspici poterat, cœpit clara uoce canere, In te Domine speraui, non cõfundar in æternũ: et eius Psalmi reliqua: ac ad socium conuersus: tu inquit, hic manes frater, at ego ad mei patris gloriam uocor. Quamobrem te oro ut fratribus quos uidere & ecclesijs, quas adire contigerit, meo nomine salutem pacemq; Domini dicas. Vbi autem in pyram capistro è collo pendente, quo erat suffocandus, cõscendisset, in hunc modum loqui est orsus.

Concio Theophredi.

Fratres charissimi, primum omnium, omnibus ijs ignosco atque condono, qui meam mortem procurarunt: quoniam reuera ex ignorantia hoc faciunt: Deumq; ut eos lumine collustret suo, rogo. Vt autem uobis mortis meæ causam, si forte nescitis, patefaciam, ea est, & non alia, quæ Petro & Paulo, cæterisq; Apostolis, sanctis, & Christi martyribus fuit: nimirum eiusdem ueritatis & Euangelij Christi confessio, & propugnatio, quam illi omnes susceperunt. Iam Euangelium, aliud est nihil, quàm lætum & faustum nuntium, quo credentibus remissio, & uenia delictorum omnium per Iesum Christum nuntiatur. quem solum constituit Deus aduocatum, mediatorem, & deprecatorẽ apud se miserorum hominum, qui peccatis inuoluti sunt. Quum cæcitatis meæ tempore Diabolo seruirem, quotidie peccatis & delictis moriebar, Deum eiusq; sanctissimum nomen contumelijs afficiendo. quo tempore si mortuus essem, pœnis fuissem æternis mancipatus. Nunc uerò moreor ut in æternum in regno cœlorum cum Deo Patre & Filio eius Iesu Christo uiuam.

Non

Non quod exſtimem, meam hanc mortem, ſalutis eſſe cauſam, cùm eã in Dei erga me ſummo amore, & Ieſu Chriſti ſanguine repoſitam habeam. Quod ſi qui hic ſunt, quib. hæc Euãgelij ueritas nota ſit, hos hortor, alioſq; uniuerſos, ſacros ut Ieſu Chriſti Domini & magiſtri noſtri, libros euoluant & inquirant: atque ex eo præſcripto Deum colant, uitámque inſtituant: Nam ſola Dei oracula, bene uiuendi, Deiq; colendi, regula ſunt certiſsima, quam qui ſequuntur illi idololatriam auerſantur, uitant ſtupra, detractiones fugiunt, oderunt mendacia, furta deteſtantur. Hanc ego regulam, ex quo me Deus ſua miſericordia & Spiritu illuſtrauit ſemper ſum ſecutus, & nunc morte comprobo mea, ab eo præmium expectans, qui promiſit gloriam immortalitatis: quiq; me tanto honore dignatur, ut & antea ſui Euangelij præconem fecerit, nuncque inter ſuos martyres uelit adnumerari. Vt autem quæ ſit mea fides intelligatis, ſcitote me ſanctam eccleſiam catholicam confiteri, omniaq; toto animo amplecti quæ libris ueteris & noui Teſtamenti continentur: Hominum autem inuenta ac decreta ſine uerbo Dei, deteſtari, quibus ne fidem habeatis, oro: euertunt enim Dei doctrinam, atque præcepta, atq; ſe ſequentes in exitium trahunt. Hæc atq; alia quædã cum per horę quadrantem magna cum multitudinis attentione, locutus eſſet, omnes orauit ut Deũ una ſecum precari uellent: ac poſitis in pyra genibus, ſanctam Domini precationem, & ſymbolum Apoſtolorum uoce clariſsima, hilari fronte, nullam præ ſe ferens formidinem, pronuntiauit. Hoc uidens populus, mirari ſatis non poterat: dicebántque ſanctum uirum, non ad mortem, & ſupplicia, ſed ad exoptatum conuiuium uideri proficiſci. Quum autem fidei ſymbolum diceret, murmur exortus eſt, dicentium, Quid eſt quod hic homo in Deum credere negabatur? quódque de Maria uirgine tam aliena, & contumelioſa diceret? quæ nunc falſa eſſe uidemus. Quid hæc ſibi uolunt? Hæc populus: uerùm ſanctus martyr, cuius animus iam cum Chriſto in cœlo erat ad carnificem conuerſus fac inquit, officium, quando cunque placet. Sed carnifex, ei poteſtatem fecit, iterum Deum precandi, & dicendi, quę uellet: ac ſanctum martyrem orauit, ſibi quæ facturus eſſet, ignoſceret. Cui Theofredus, iam tibi, inquit ignoui amice mi, atque nunc etiam ex animo, ignoſco. Nam ipſe cùm hodie ad Deum meum uado, cum eo cœnaturus in regno ſuo. His dictis, cùm ſpiritum ſuum Deo commendaſſet, eum carnifex laqueo ſuffocauit, deinde flammis abſumendum curauit. Ac ſtatim pyra ſuccenſa, candida columba ex aere bis terue ſupra pyram uolitauit: quod quidam ex circumſtantibus obſeruantes, pro diuino prodigio, lætóque nuntio accepere. Hæc acta ſunt Taurini xxix. Martij *M. D. LVIII.* Reliquas huius ſancti martyris actiones, & certamina (nam multa ſunt, eaq; ſcitu digna) cùm plus erit ocij, deſcribemus. Hæc D. Cælius.

ANGLICANAE PERSECVTIONIS FINIS SVB pijſſima regina Eliſabetha Anno 1558.

QVemadmodum hoc anno magnæ mutationes hinc inde in Germania poſt regum & principum funera, ita etiam in Anglia ſubſecutæ ſunt. Mortuus enim eſt in Hiſpania ad Sanctũ luſtũ inter monachos Carolus quintus Imperator uictoriis inſignis 21 Septembris. Quum uerò hic fortunæ ſuæ mutationem (quæ occulto quodam Dei conſilio inciderat) paulo antè ſenſiſſet, ſeſe à negotijs omnibus retraxit atque in portum contulit. Itaque primò Philippo filio hereditaria regna tradidit, atque Electoribus Imperium per legatos reſignauit. Propterea Francoforti ad Mænum 8 Martij eiuſdem anni frater eius rex Ferdinandus, princeps pacificus, omnium conſenſu Imperator electus fuit. Ante Carolũ mortua eſt 2 Septemb. Eleonora eius ſoror quam Franciſcus rex in matrimonio habuit, nec multò poſt eum ſecuta eſt altera

altera soror Maria Ludouici Panoniæ regis quondam uxor, quæ longo tempore Belgis præfuerat. Eodem uerò tempore mortua quoque est Caroli nurus Maria, regina Angliæ Philippi uxor, una cum Reginaldo Polo Cardinale Pontificis Romani à latere in Anglia legatus. Vt autem antea Eduardi regis Angliæ luctuoso interitu per Mariam reginã grauissima facta erat regni mutatio pontificis Romani restituta auth oritate, ita mortua eadem eiusdem pontificis authoritas denuo abrogata, exules restituti, atque prior Ecclesiarum forma hoc tempore publicè recepta fuit. Vnica enim erat reginæ ex patre soror Elisabetha, quam Heinricus Octauus ex Anna Bolenia secunda uxore susceperat, puella literis religione, pudicitia, & forma excellẽs. Hæc post regis Eduardi fratris mortẽ, quod conscia eius seditionis, quę contra Mariã fuerat, putaretur, tum quod de religione nollet sorori acquiescere, custodiæ erat tradita. Verùm ea de suspicione Viatus, qui post capitis supplicio affectus est in quæstione prorsus liberauit, ita ut sub Mariæ gubernatione huic pacifice uiuere concessum fuerit. Ea autem defuncta Elisabetha ad regnum Britannicum legitima successione, omnium ordinum consensu elígitur, atque solenniter corona inauguratur. Habitis itaque totius regni comitijs pontificia doctrina cum humanis traditionibns & ceremonijs, per Polum Cardinalem introductis abolentur, & proscribuntur, atque regis Eduardi religionis formula omnium incolarum summo desiderio restituitur. Decreto etiã publico facto, persecutio illa Mariana cessat, exules hinc inde per Germaniam & Galliam dispersi reuocãtur, atq; ijs aditus ad paterna aut prius attributa bona cõceditur. Hacq; ratione factum ut hac hyeme Angli, inter quos etiam Ioannes Baleus olim Hiberniæ Episcopus & Iohannes Foxus, qui res Martyrum Anglicorum in priori parte literis celebrauit, amici mei integerrimi, magna inuicem gratulatione in patriam reuersi sint.

Elisabetha regina Angliæ.

FRANCISCVS secundus rex Galliæ electus 1559 Mense Iulio.

Quum Heinricus Galliæ atq; Philippus Hispaniæ reges per aliquot annos sese mutuo magnis cladibus affecissent, tandem honestis utrinque conditionibus pax & fœdus sancita fuit, quod prior Philippus nonis Aprilis Bruxellis, Heinricus uerò Lutetiæ 14 calendis Iulij sacramento confirmauit. In eodem uerò fœdere uterque Pontificem Romanum atque sanctam Romanam Ecclesiam comprehensum esse uoluerunt: interq; conditiones pacis (quæ in continuatione Io. Sleidani apposuimus) præcipua erat ut Reipublicæ Christianæ commoda uterq; promoueret & damnum auerteret, atq; unicè in id incumberet, quo Concilium Vniuersale celebretur. Quo etiam arctiori uinculo fœdus confirmaretur, statutum ut Philippus Elisabetham Heinrici regis natu maximam filiam matrimonio duceret: id quod etiã paulo pòst Philippus per legatos expediuit. In ipso autem nuptiarũ apparatu ludi equestres instituti, in quibus rex à Lorgeo equite fortuito ictus & uulneratus undecima die post, quæ erat duodecima Iulij, uitam cum morte cõmutauit. Funere eius peracto Franciscus eius nomine secundus filius Heinrici natu maximus rex Galliæ electus atq; inauguratus fuit. Quum autem annis hic inferior esset quam qui regnum commodè administrare posset, princeps Guisius atq; Cardinalis Lotharingus constituti, ut hac regis ætate consilia eius moderari, atq; omnia diligenter administrare uelint. Quæ quidem causa extitit ut persecutio piorum hinc inde in Gallia subsecuta sit.

ANNAS

ANNAS à Burgo 23 decemb. 1559 Lutetiæ martyr factus.

ETſi à gubernatorſbus Gallici regni graui pœna interdictũ eſſet, ne quis pontificiorum traditiones negligeret, atque doctrinam illam de uera ratione ſalutis per unicum mediatorem Chriſtum amplectaretur: multi tamen inuenti ſunt, qui minas has contemnere, & Euangelij prædicationem ſuſcipere uoluerunt. Inter hos erat egregie cordatus Dei martyr Annas à Burgo ſupremæ Pariſienſis Curiæ ſenator. Cùm igitur in cognita ueritate is conſtanter pergeret, capitis damnatus fuit. Itaque 23 menſis decemb. Anno 1559 ibidẽ magna patiẽtia admirabilem martyrij coronam accepit. Quoniam autẽ hoc tempore Sol iuſtitiæ, & lumẽ ueritatis ad ulteriores quoque regiones peruenerit, factũ eſt ut aliquot docti & pij uiri in Hiſpania & Scotia religionis cauſa ſublati fuerint, qui ſuo ſanguine agrum domini irrigare, atq; multis uiam ad Chriſtum præparare non dubitarunt

IN CALABRIA CIRCITER 88 MARTYRES VNO DIE facti, 11 Iunij 1560.

QVum ſuperiori anno pontifex Paulus fatis ceſsiſſet, atque Ioannes Angelus Mediolanenſis pluribus ſuffragijs 2 die Ianuarij Papa electus eſſet, qui mutato (pro more) nomine ſeſe Pium quartum dixerat, cœpit hinc inde in Eccleſiæ Romanæ territorijs eos qui de Lutheraniſmo ſuſpecti erant perſequi. Potiſsimum uerò grauis perſecutio in regno Neapolitano orta eſt, ita ut paſsim plurimi illuſtres uiri una cùm uxoribus magna crudelitate occiſi eſſe dicantur. In Calabria quoque uno die circiter 88 homines, porcorum inſtar, ſanguinolento cultro mactati fuerunt. Id autem ut rectius intelligatur, ſubijciã partẽ epiſtolæ D. Simonis Florilli, Clauennæ apud Rhætos uerbi miniſtri, quam ad clariſsimum uirum Vuilhelmum Gratarolum Medicinæ Doctorem 21 Auguſti Italico idiomate Baſileam ſcripſerat. Hanc enim D. Vuilhelmus Latinitate donatam mihi pro ſua humanitate communicauit.

QVod ſupereſt, quantũ ad eos qui de me malè loquuntur, parũ curo, modo habeã bonam cõſcientiam coram Deo & bonis ac pijs hominibus. Spero enim me ſumma patientia ſuperaturum omnes linguas, & omnes ſimul inferorum potentias: detectumq; tandem iri hypocriſes, fictiones, & omnes malitias, maximè falſorum fratrum & hæreticorum: ita Deum oro citò faciat ob gloriam ſuam & bonum ſuæ eccleſiæ, quæ eo ualde indiget. *Epiſtola Florilli.*

De rebus autem nouis non aliud habeo quod ſcribam, quàm quod mitto exemplum literarum impreſſarum Romæ aut Venetijs de martyrio nouiter patrato per Calabriã in duobus oppidis ad octo Italica milliaria Cõſentię uicinis, quorum unum uocatur Sanctus Sixtus, duobus paſſuum millibus iuxta Montaltum, quod Duci Montalti paret: alterum uocatur Guardia, ſitum ſupra mare, ac 12 miliariaribus uicinum Sancto Sixto, quæ duo oppida deſtructa iam ſunt, & interfecti habitatores ad numerum octingentorum, uel eorum fuerunt circiter mille, ut alius ſcribit ex urbe Roma 21 Iunij: qui uerò ſcripſit erat famulus Aſcanij Caraccioli. Gẽtes illas ego cognoui, ex Valdenſium origine, bonę doctrinæ, & melioris uitæ. Nam antea quàm Geneua diſcederem, miſimus ad eorum inſtantiam duos miniſtros Verbi, & duos ſcholæ literariæ magiſtros: miniſtri anno præterito fuere martyrio affecti, unus Romæ, qui uocabatur Ioannes Aloiſius Paſcalis, ex Cunio ciuitate: alter Meſſinæ, Iacobus Bonellus, ambo Pedemontani: hoc anno autem reſiduum pio rum illorum hominum martyrio ibi deletum eſt. Spero futurum hoc bonum ſemen Italiæ, ut producat bonum & copioſum fructum. Sequitur ergo exemplum prędictarũ literarum ſcriptarum ex Montalto Calabrię oppido à Cõſentia 8 paſſuum milibus diſtante, ſub xi Iunij 1560. At qui ſcripſit (ut uidere- *Ioannes Aloiſius & Iacobus Bonellus Martyres.*

est)ex eorum numero est qui se Catholicos uocant,atq; Papam sequuntur.

Literæ Romæ datæ à Romanista.

Permagnifice domine, hactenus scripsi quantum indies peractum est hic circa hos hæreticos. Nunc dicere occurrit quemadmodum hodie quæ est xi Iunij,summo mane cępta sit fieri horrēda iustitia contra hos Lutheranos: qua in re solum cogitans, horreo ac tremo. Et ita uobis affirmo horum omnium mortem fuisse ueluti ueruecum seu castratorum,ut uocamus:Hi omnes in una domo clausi erant ueluti in caula:atq; ibat carnifex,& singulos arripiens ligabat instita seu benda eorum oculos, & deducebat in amplum locum,parū distantem ab ea domo:ibiq; genua flectere iussos,cultro iugulabat,sicq; examines relinquebat. Deinde fasciolam illam(bendam Italice uocatam) sanguinolentam & sanguinosum cultrum capiens ad aliū pergebat, eumq; simili ratione mactabat. Postea lanienam talem secutus est usq; ad numerum hominū octuagintaocto. quod quidē spectaculū quàm miseratione dignū ac lugendum fuerit,uobis cogitandū & considerandū relinquo:nā scribendo uix à lachymis tēpero mihi:neq; aliquis fuit ex spectatoribus, qui uno moriēte uiso, aliū itidem uidere sustinuerit:tam enim humiliter ac patienter ad martyriū & mortem eunt, ut creditu sit impossibile. Ex illis morientes aliqui asserunt se credere idem quod nos. nihilominus magna ex parte moriūtur cum illa ipsorum maledicta obstinatione. senes omnes eunt ad mortem alacres:sed iuuenes eunt perterrefacti: horresco uidens carnificem sanguinolentum cultrum in ore tenentem, cum fasciola illa sanguinolenta in manu,cruentatisq; omnino brachijs, ac uenientem ad domum illam, & unum aliquem capientem,ita ut lanio uideatur,qui ueruecem interficere uelit.

Ordinatum est, & iam hic sunt plaustra,ut omnes illi iugulati scindantur singuli in quatuor partes, quibus plaustra onusta deuehantur usq; ad initium prouinciæ Calabriæ,& statis locis in compitis ponantur & cursoria in uia,usque ad Calabria confines.

Nisi Papæ sanctitas & Dominus uicerex Neapolis mādauerint Domino Marchioni Buccianici prædictæ prouinciæ gubernatori, ut manum auferat ac tandem cesset, perget equuleo examinare alios, & numerū augere ut omnes perdat.

Hodie quoque decretum ut centum seniores mulieres ueniant,quæ tormentis & examine afficiantur,deinde morti subijciantur, ut mixtura fiat perfecta, quo melius sonet in ore uocabulum, fuisse supplicio affectos tot uel tot,partim uiros partim fœminas. hoc sit quantum dicere possum de hac iustitia. Iam sumus in hora huius diei 14 atque mox audiemus de aliquo istorum obstinatorum quid dixerit, cum ad supplicium iuit. sunt aliqui adeò obstinati,seu pertinaces,ut nolint crucifixum uidere,nec sacrifico confiteri, & hi uiui comburentur.

Hæretici qui in Calabria capti sunt,numerum.1600 complent,qui omnes condemnati sunt. Qui uerò hactenus supplicio affecti,fuerunt 88. Gentes istę originē habent ex Valle Agronia prope Sabaudiam: & in Calabria uocantur Vltramontani. In Regno Neapolitano supersunt alia quatuor loca horum populorum,de quibus tamen ignoratur an malè uiuant:nam sunt homines simplices, idiotæ, ligonizatores & agricolæ:& in morte obeunda,ut audio,se benè religiosos ostendunt. Vale ex Montealto.xi Iunij.Hactenus Romanista ille.

VIdemus ergo ex literis etiam aduersariorum, inauditam Tyrannidem quam erga sanctos illos homines ijs in locis exercent. fertur autem Marchionem illum Buccianicum filium aut fratrem habere, cui Pontifex Cardinalatū promiserit,si omnes Lutherani ea in Prouincia fuerint extirpati. Præterea-

terea cognoscimus piorum miram patiẽtiam, qui spe uitæ æternæ omnis generis tormenta & crudelem mortem constantissime perferunt, atque uictoriam glorioſam ſecum ad agnum immaculatum reportant. Faxit Deus ut tandem omnes populi Iesum Christum mundi ſaluatorem agnoſcant, confiteantur, & innocenti uita celebrent. Amen.

RELIGIONIS forma in multis locis mutata, Anno 1560.

Dum hæc in Italia à nouo pontifice fierent, Multæ nationes hinc inde Euangelij doctrinam cognoscere, atque Christum ueram & unicam spẽ ſalutis noſtræ amplecti cœperũt. Præſertim uerò Scoti in id unicè incumbebant ut Eccleſias ſuas omni ſuperſtitione repurgatas, Anglorum uicinorum exemplo, inſtituerint. Quanquam enim idem aliquoties multi docti & boni uiri efficere conati ſint, ſemper tamen ab aduerſarijs impediti fuere. hoc itaque tempore multò ardentius cœptam religionis mutationẽ ad exoptatum finem perducere conati, pleriſque in locis Miſſam cum pontificijs ceremonijs & humanis traditionibus abolerunt, & puram Euangelij prædicationem induxerunt. Eadẽ ratione Glaronenſes, qui Pagus Heluetiorum eſt antiquiſsimus ſub autumni initium religionis formam mutarunt, atque publicam Euangelij doctrinam ſuſceperunt. Cùm autem eius ditionis indigenæ non omnes idem ſentirent, atque reliqui Heluetiorum quique ſuæ religionis partes tueri uiderent, reſque non procul ab armis eſſent, Glaronenſes in magno periculo fuere. Tandem habitis hinc inde comitijs, atq; prudentibus & pacificis uiris ſeſe interponentibus, ne pax patriæ inter confœderatos maxima omnium iactura turbaretur, Dei beneficio, hæc controuerſia ad tempus amicè tranſacta atq; ſublata fuit. Nec etiã Gallia hoc tempore quieuit, plurimis enim ex proceribus Euangalij doctrina ſummopere arridebat. liberam tamẽ uerbi prædicationem ſibi permitetndam nequaquam petere audebãt, præſertim cùm hinc inde etiamnum ſuæ religionis homines ad ſupplicia raperentur. Itaque ſeſe intra priuatos parietes continentes, atque Deum glorificantes, fœliciora tempora exſpectabant, atque quieſcebant.

Glaronẽſe Euãgelium ſuſceptum.

CAROLVS NONVS REX GALLIAE ELECTVS, 1560 in Decemb.

CVm paſsim per Galliam magnæ authoritatis homines inuenirẽtur, qui Euangelij doctrinam amarent, & Eccleſiarum reformationem exoptarent, Franciſcus Rex, ne maior ſeditio aut tumultus in regno oriretur, quorũdã ſuaſu Aureliæ omnibus ordinibus cõuentũ indixit, eo animo ut noua hęc doctrina extirparetur, atque uiciſsim publico decreto ſtabiliretur antiqua regni huius religio. Ibidem autẽ cùm de ijs rebus ſeriò agitatur, ecce rex 16 Nouemb. in grauiſsimũ morbum incidit, ingentem cruciatum capitis, præſertim ad aurem ſiniſtram ſentiens, ubi etiã prius aliquoties Apoſtemate laborarat. Morbo itaque illo paulatim increbreſcente, nec ullo Medicorum remedium præſens inueniente, tandem quarto Decembris, rex iuuenis & magnæ expectationis conſilia ſua cum morte commutauit. Huic etiam paulo pòſt ſolẽnibus ceremonijs exèquiæ peractæ, omniſq; religionis tractatio eò tempore intermiſſa eſt. Rege itaque defuncto Carolus eius nominis nonus Franciſci frater, optimæ indolis adoleſcens omnium ordinum conſenſu Rex Gallię declaratus. Quoniã autẽ 12 tãtum annorũ eſſet, atq; tot oneribus ferendis ætate impar, pceres Galli Antoniũ ducẽ Vãdomiũ & Regẽ Nauarrę ex regio Gallorum ſanguine oriundũ, Gubernatorẽ & totius regni Vicetenentẽ elegerũt, donec rex reb9 agẽdis fieret maturior. Eo ergo tẽpore Perſecutio piorũ ad tẽpus in Gallia deſiit, atq; Euãgelij ueritas paulatim incremẽta ſumpſit. Cùm enim rex Nauarrę gubernator regni, à multis iam annis, uxoris ſuę lectiſsimę

fœminæ admonitionibus, Euangelicis fauere uideretur, atq; Guisiani fratres non amplius ea authoritate qua prius existerent, effectum ut multi ex procerum atq; nobilium turba nũc demùm animi sui cogitationes exprimere, atq; suam fidem confiteri ausi fuerint.

VVALDENSES IN TAVRINIS oppugnati 1560.

QVum Philibertus Sabaudiæ dux in auitam ditionem restitutus esset, quorundam adultorum suasu in Taurinis Vualdenses, suæ ditionis homines grauiter oppugnabat. Hi enim à multis iam annis Euangelij doctrinã amplexi, eandem retinere, atq; principi nihilominus in ciuilibus obedire proposuerant. Cùm itaq; Allobroges finitimi aliquoties ijs uim inferre atq; pontificis traditiones obtrudere conati sint, ab ijsdem fortiter repelluntur, ita ut consuetam hactenus religionem ipsis permittere uel inuiti coacti sint. Hac ergo ratione utrinq; aliquot interfectis tumultus ille sedatus est. Cùm autem Vualdenses illi ualles & montes incolant nec magnos redditus percipiant, atque etiã ea persecutione opibus & bonis suis quasi exhausti essent, à Germanis principibus & ciuitatibus Euangelicis subsidium aliquot in usus pauperum petierunt. Propterea ab ijsdem liberaliter eorũ legati auditi, atq; auro & argento donati in patriam remissi fuerunt.

TRIDENTINVM CONCILIVM restauratum 1561.

HOc anno Pontifex pius eius nominis quartus, dum multæ mutationes passim per Europam fierent, nec sibi cessandum ratus. Propterea apud omnes ferè reges & principes indesinenter sollicitauit de Concilio Tridentino restituendo & producendo. Sperabat enim post pacem per totam rempub. Christianam factam, sese facilime omnes eò pellicere, atq; doctrinam suam, antiquo more ibidem stabilire posse. His itaq; peractis sub Autumni initium legatos suos Tridentum misit, qui sui generis hominibus quædam capita proponere, atq; more usitato omnia constituere deberent. Consilio uerò inchoato comparuere statim quatuor Cardinales, octogintaocto Episcopi, plurimi Abbates, Doctores, & prælati, qui iam antea pontifici Romano iurati erant. Aduersæ autem religionis proceres, certis de causis, suos domi continere uoluerunt, donec huiusmodi conuentus alio ordine susciperetur. Idem & Galli fecerunt.

COLLOQVIA RELIGIONIS nomine in Gallia habita 1561.

IN Gallia partium studia magis atque magis indies inualescebant: ne itaq; maior aliquis tumultus oriretur Rex cum suis gubernatoribus hoc tempore omnibus ordinibus conuentum indixit, atque diuersarum partium Theologos hinc inde ad liberum Colloquium euocauit, quo tandem aliquid certi in Religionis causa statui, atq; omnis Procerũ Galliæ cõtrouersia tolli posset. Inter hos præcipui erãt Petrus Martyr Italus, qui primus ob ueram religionẽ in Mariana persecutione ex Anglia pulsus atq; Tiguri receptus, ibidẽ sacras literas interpretabatur, deinde Theodorus Beza. Etsi autem ob rerum grauitatem in ijs Colloquijs nihil certi concludi poterat, tamen regio edicto cautum fuit, ut in posterum neutra pars uerbis aut factis alteram iniuria afficeret, ipsiq; Euangelici certos cœtus haberent ad prædicationem diuini uerbi audiendum, donec aliquid aliud ad gloriam Dei & regni Gallici honorem & utilitatem decerni posset. Quanquam uerò hac ratione pax sancita esset, atq; ordinibus regni certæ leges uiuendi præscriptæ, tamen priuatorum quorumdã hominũ libidine in quibusdam locis seditio excitata, præsertim in Vasconia: Prouincia atq; finitimis regionibus, ita ut magnus numerus piorũ ab aduersarijs de improuiso oppressi fuerint. Propterea rex Carolus sub principium futuri anni, quũ aliquot Episcopi suas functiones sponte resignassent, denuo

graui

graui pœna interpoſita pacis ſanctionem repetijt, atq; ſtatibus regni ordines certos præſcripſit, iuxta quos omnes regni Gallici incolæ poſthac agere deberent. Adhortatus præterea publico ſcripto proceres atq; omnes alios ſibi ſubditos, ut omnibus priuatis affectibus ſepoſitis, in primis gloriam Dei atq; patriæ honorẽ & utilitatem ſpectare uelint, ne Dei iram iuſtiſsimam, & regis pœnam ob uiolatum edictum incurrere, atq; hoſtium loco haberi malint.

Vt autẽ id cõmodius fieri poſſet, ſanciuit, frequẽti ſenatu, ut omnia templa, quę hactenus per totã Galliã ab Euangelicis eſſent occupata, & prædicationi Verbi deſtinata prioribus ſuis dominis ſarta tecta reſtituerentur. Quod ſi uerò ijdem aliam religionis formam amplecti mallẽt, ſibi ipſi nouis ædificijs & templis ubi uiſum eſſet, proſpicerent, hoc enim ipſis liberum fore. Quo factũ ut diſſidentes partes hac hyeme quieuerint, atq; in plurimis locis Galliæ, præſertim Lutetię, ſepius aliquot millia hominũ ſub dio extra urbes collecti, Euãgelij prędicationẽ magno animorũ ardore ab Eccleſiarũ miniſtris audierint.

EVANGELICORVM IN FLANDRIA perſecutio 1561.

SVb finẽ huius anni magna perſecutio piorũ in Flandria, Tornouiæ præſertim ab Epiſcopis finitimis cœpta fuit. Cùm enim uiderent doctrinam hanc Euãgelij paulatim in ſuis quoq; ditiõibus radices agere, ſtatuebãt eã ſumma ſęueritate funditus extirpare, atq; pontificiã religionẽ hac ratione ſtabilire: propterea multi homines in ijs locis partim occiſi partim exilio mulctati, q tamẽ conſtãter in cognita ueritate ad finẽ uitę uſq; magna patiẽtia pſeuerarunt.

CENTVM circiter martyres in oppido Vaſſeio Galliæ facti 1 die Martij 1562.

QVum Guiſiani duces per Chriſtophorũ Piũ & prudentẽ ducẽ Vuirtẽbergicũ Regi Gallię eſsẽt ad Alſatię tabernas recõciliati, adeò ut certa ſpes hominũ animos inuaſerit, recõciliatis principũ magnã trãquillitatẽ in Gallia ſubſecuturã, res tamẽ lõgè alter cecidit. Multi emim hiſce ducib. uſi, animi ſui cupiditates ſatiare, atq; pijs inſidias ſtruere cœperũt, principio in oppido Vaſſeio facto: cũ aũt hiſtoria illa publicè in lucẽ ſit ædita, eandẽ ſubijcere placuit.

ANno 1562. Cal. Mart. Frãciſcus Lotharingius, Dux Guiſiacus, ex oppido Dãmartino, quod eſt in Lotharingiæ finib. pfectus eſt Vaſſeiũ oppidũ lũ duob. paſſuũ millib. à Dãmartino diſtãs: unaq; ſecũ eqtes circiter ducẽtos duxit, fiſtulis oẽs ferreis partim minoribus, partim etiã longioribus inſtructos.

Quum aliquantũ iam itineris confectũ eſſet, & Guiſiacus Eſclaronũ (quod uicinũ oppidũ eſt) ſeſe proficiſci ſimularet, quũq; iam proximè Vaſſeium peruenisſent, auditũ eſt cãpanæ ſignũ: de quo Guiſiacus percontatus eſt, reſponſumq; illi paratũ fuit, dari ſignũ cõcionis Eccleſię reformatę, quę Vaſſeij ſtatis diebus ad preces & concionẽ audiendã cõueniebat. Nõnulli etiã hęc addiderunt, Eſt ſignũ cõcionis Hugonotorũ: quo nomine Guiſiaci Eccleſias Galliæ reformatas appellant. Hoc audito, tũ qui apud illũ gratia & authoritate pluri mũ poſſe exiſtimãtur, Enimuerò, inquiũt, mox longè aliter Hugonotabũtur: alij uerò aſſeclæ nonnulli, Quid? an nõ nobis prędа, inquiũt, & direptio dabitur? Vix audita hæc erant, quũ Guiſiacus iter rectà Vaſſeiũ inſtituit: quò quũ peruenisſet, ipſe unà cũ primarijs, ac ſummis quibuſq; dimiſsis equis, & tantiſper in pediſſequorũ cuſtodiã traditis, templũ ingreſſus eſt, Sacerdote, qui ei templo præfectus eſt, comitatus: ubi quũ aqua ſe luſtrali aſperſiſſet, iter proximè ſorum inſtituit: unde aſcitis militibus quadraginta, quos ex turma cataphractorũ equitũ (quæ illi pro Galliæ conſuetudine attributa eſt) euocarat, quiq; unà cũ alijs quibuſdã illius aduentum cũ ferro ac telis expectabãt, rectà ad Eccleſiã reformatã, præeunte iuniore Broſſęo Capitaneo, militari inceſſu, ſeruatoq; ordine perrexit. Habebatur ille cõuentus nõ in tẽplo (neq; enim id per regis edictũ licebat) ſed in amplo quodã loco leuiter tecto, & parietibus circũdato, qui horrei uſum antea præbuerat. Quũ haud ita procul ab illo loco peruenisſent, Broſſęus unà cũ alijs ſeptẽ iuſſus eſt ingredi. Aderãt in concio

ne homines circiter mille ducenti: ex quibus qui militibus illis proximi erãt quũ eos aliquãtisper stãtes uidissent, honoris illorũ causa assurrexerũt, modestęq; quęrere ex ijs cœperũt, ecquid in subsellijs proximis placeret assidere. Illi nihil omnino responderũt: sed quũ inter se aliquãtulũ admurmurassent, audita est unius uox, qui ferociter mortẽ Christi deierans, indignabũdus in hæc uerba prorupit, Enimuerò omnes ad unum trucidãdi sunt: statimq; unà cũ illorũ comitũ suorũ parte eo ex loco excesit. Nã quũ plebs uocẽ illã audisset, non pauci etiã id quod res erat paratas sibi insidias suspicarent̃, alij uerò Guisiacũ foris aduentantẽ animaduertissent, repẽtè ianuã qua illi ingressi erãt, recludere cœperũt: sic ut reliqui eo in loco intercluderent̃. Verùm ea ianua facile à primis militũ impulsa, uulneratisq; ijs qui primi eo loco globulis tormẽtarijs obiecti fuerãt, pauore omnes & metu exanimati, facilẽ Duci Guisiaco, ipsiusq; cateruæ aditũ reliquerũt, qui repẽtè multis cinctus sclopetarijs, confertos ut fors ferebat, quàm plurimis plũbeis glãdib. quasi grãdine, eminus cõ nulnerabat: ceteri qui exitũ quãuis periculosum euitare, q̃ stãtes trucidari malebãt, inter lõgos militũ utrinq; sęuientiũ ordines effugere cœperũt, quos amplexę cũ paruulis liberis cõiuges difficiliorẽ fugã faciebãt: sic ut à Duce Guisiaco, et ipsius satellitibus strages tũ in tẽplo, tũ in ipsius uestibulo miserãdũ in modũ fieret. Qui uerò primũ illũ ordinẽ uel incolumes uel saucij effugere potuerãt, repẽtè in alios p uias oppidi dispositos incidebãt, à quib9 uel necabãt̃ uel plurib9 uulneribꝰ crudeliter cõcidebãtur: nõ pauci etiã, qui in illi9 se horrei tectũ difficili ascẽsu subduxerãt, quũ à militib9 animaduersi fuissẽt, globulis tormẽtarijs feriebãt̃. Miserãda planè fuit ea trucidatio, cui9 modũ uix post unã dimidiatãq; horã necãdis cõcidẽdisq; uiris, mulieribꝰ, plurisq; paruulis facere potuerũt. Tãdẽ uerò signũ buccinę quasi iã parta uictoria, datũ est: domusq; aliquot direpte, ac fundit9 exinanitę, captiuiq; abducti quasi in triumphũ nõnulli, quo in numero Pastor siue cõcionator Ecclesiæ grauiter sauciatus et oppidi prefect9 fuerũt. Guisian9 autẽ se in pagũ proximũ Alãcurtiũ ad cibũ capiẽdũ, reficiendosq; milites recepit, secũq; cõcionatorẽ illũ sanguine cruẽtũ, uulneribus nõ obligatis, quia stare in equo exanimatus, ac plagis illis debilitat9 nõ poterat, p quatuor oppidanos in scalis, quasi in ferculo, ad ponpã asportari iussit. Eo ipso tẽpore quo iã milites propẽ omnes in equos ascẽderãt, ac se in uiã dabãt, erat mulier quędã, quę uirũ suũ (mercatorẽ inter illos oppidanos honestũ, et grauit̃ in illa trucidatiõe uulneratũ, cui Nic. Vausseio nomẽ est) domũ ad medicinã faciẽdã, & obligãda uulnera reducebat: ea paruulũ filiũ su inũ macello animaduertit, quẽ miles quidã stricto gladio mediũ trãsuerberabat. Quo aspectu statim relicto marito, ad puerũ aduolat, & sublata uoce militis misericordiã implorarat. Verũ alter quidã, qui iã in equũ ascẽderat, repẽtè ex equo desiluit, & districto gladio miserã mulierculã, crudelẽ in modũ confodit, eiusq; mortuę cingulũ ex argẽto factũ, & crumenã, cęteraq; pręterea quę pretij alicui9 fuerũt eripuit: ijsq; spolijs onust9, iterũ in equũ ascendit. Quatriduo pòst numerati sunt mortui quinq; & quadraginta, q̃ à suis sepulti sunt: sauciati autẽ circiter cẽtum, quorum plericq; mortifero & insanabili uulnere affecti putabantur.

Horrendũ facinus.

Nomina eorum qui ipso Calendarum die mortui sunt.

Robertus Portillius, Ioannes Mongroti9, Claudi9 Guichard9, Nicola9 Bassonet9, Ioãnes Collin9, Nicola9 Magn9 Prouinci9, Nicola9 Mouissieri9, Guillem9 Droeti9, Claudi9 Faber, cui crumena erepta est argẽto plena: Ioannes Logę9, Ioãnes Bucheri9, Simõ Cigine9, Ioãnes Pussien9, Nicola9 Malart9, Dionysius Iaqueuarti9, Guilelm9 Bruiati9, Magister Daniel Thomas, Iacobus Iollin9, Claudius Iuuenis, Ioãna Nicolai Fontẽsi uxor, Ioãnes Baudessonius, Claudi9 Maillart9, Petr9 Arnold9. Duob9 insequẽtib9 dieb9 reliqui ad quinque et quadraginta, uti superius dictũ est, uulneribꝰ acceptis mortui sunt. Cæteri qui plagis mortiferis sauciati erãt singulis ferè diebus singuli moriuntur.

EVAN-

EVANGELICORVM apud Senones persecutio, mense Aprili 1562.

CVm apud Senones multi præstantes uiri essent, qui Euangelij dulcedinem iam degustarant, cõmunicatis consilijs Verbi ministrum elegerunt qui statis diebus extra urbem, iuxta regium edictum, Cõcionẽ haberet: quãquam uero Canonici una cum Prętore & Prefecto urbis sedulò Lutetiæ instabant ut ꝓpositum hoc impedirent, factum tñ ut per septem septimanas pacificè Verbum Dei annunciaretur. Cum itaq; hac ratione aduersarij nihil efficerent, aliud tentarunt. Nam prætor conuocat plebem, eamq; admonet Galliæ statũ esse periculosum, adeo ut opus sit portas urbis custodire & uigiles cõstituere, id q & in alijs locis, pſertim Lutetiæ fieri soleat. Cum ergo hęc sententia specie honesti habere uideret, populus annuit & cõsensit. hac ergo ratione die 7 Aprilis urbs custodiri cæpta, ne qs pijs Senonẽsibus subsidio esse posset, tormẽtaq; in muro collocata, quę etiã omnino ad eũ locũ dirigebãtur, ubi hactenus Euãgelici festis dieb. ad audiendũ uerbũ Dei cõuenerãt. Cũ aũt Euãgelici intelligerẽt hęc omnia cõtra sese excogitata, adeoq; timerẽt ne urbe egressi excluderent, ad dies aliquot cessarũt, & Ministrũ extra urbẽ ablegarunt ne uiolaretur, atque ipsi sese intra priuatos parietes continuerunt.

Quũ hac ratione partes qescerent, tandẽ 10 Aprilis inẽ horã decimã & undecimã noctis uigiles ad Typographi Richeboi ædes accurrũt, petẽtes ut regis nomine actutum ianuã aperiat. ꝑuit bonus homo, atq; Deo gratias egit quod magistratus legitimè ipsorũ causam examinare uelit. Ibi uerò statim quidam uigilũ acuminata lancea, quã Hallẽbardã uocãt, eũ petens ferè transfodit, hisce uerbis additis: Eas tã cubitũ. etsi aũt grauiẽ fuerit uulneratus, non tñ statim est mortuus. Euãgelici uerò cũ facinus tale audiuissent statuerunt corã Regio pfecto criminali iudicialiẽ cõtra huiusmodi pacis uiolatores progredi. simulabat autẽ pfectus sese alijs modo negotijs occupatum, ita ut nulla eis audiẽtia fuerit data. Moti itaq; pij homines cõsilia inẽ se cõferebãt quidnam agendũ esset ut in posterũ quieti uiuere possent. dũ autẽ collecti inter sese cõsultarent subito à quodã admonentur, ut cõuentu soluto quisque domum suam sese reciperet, ni omnes una opprimi uelint. Id quòd etiam factum est. *Vis pijs illata.*

Hisce rebus peractis Papistæ 12 Aprilis inusitatã Processionẽ (q̃ uocant) instituerũt. Propterea nouitatis cupida plebs unà cum prefecto & prętore ex omnibus tẽplis extra urbẽ magna pompa in Abbatiã S. Petri dictã progressi sunt. Abbatia autẽ illa non longe ab eo loco distabat, in quo pij antea ad audiendas cõciones aliquoties cõuenerãt. Rebus itaq; alijs peractis magno impetu ædificium piorũ destruxerunt, adeoq; in eũ locũ debachati sunt, ut nec uineis circumiacẽtibus pepercerint, sed cum radicib. extirparint. Eo cõfecto furibunda plebs sese in urbẽ recepit atq; publica cõuiuia instituit. Aprandio statim Hondenarti regij cõsiliarij pij hominis ędes infesto agmine circundãt. itaq; placidè admonet, ne hac ratiõe pgant, sed qete rẽ cognoscãt, ne fortè regium edictũ uiolasse dicantur: sed omnia frustrã. Itaq; uix sese intra ædes recipere & ostium claudere dabat. hac autẽ ratiõe magis ignobile uulgus insaniebat, atq; domũ magno impetu oppugnare adorit. Tandẽ itaq; domus illa expugnata, ipseq; Hondenartus captus atq; in Cardinalis Guisij Senonũ Archiepiscopi (cuius cõsilio hæc omnia facta dicebãt) carcerẽ cõiectus est. Omnia deinde eius bona direpta, atq; multa cũ alijs quæ auferri nõ poterãt effusa. Postea uerò ulterius ꝓgressi, ad domũ Bulangier, qui & ipse regis cõsiliarius erat, oppugnãdum ꝓgunt. is aũt cũ furorẽ eorũ intellexisset illico aufugit. Filius itaq; q domi permansérat ab ijs occisus, domusq; ipsius, cum omnibus bonis direpta. Simili ratiõe expugnat domus Mallarti cõsiliarij, & ædes ꝓcuratoris M. Ioannis Balthasari, quibus etiã omnia bona uastata aut adẽpta.

Hac ratione cum insana plebs, quorundam instinctu, seditiosè pgeret, aliq; Euãgelici sese in munitã quandã domum recepêre, atq; generosum dominũ de Monbault sibi ducẽ elegerunt. Eo cognito agmen illud accurrẽs tormentis quibusdã maioribus ianuã destruere, atq; domũ illũ oppugnare aggredit. Pij itaq; cum suo duce fortiter erumpẽtes plebẽ longe de loco illo sub moue- *Seditio ciuilis exorta contra Euangelicos.*

runt:cùm autẽ desuper ex proximis ædibus lapidibus obruerẽtur,sese in tutũ receperunt.Cùm autẽ post ad oppugnationem redirent dominus Mõbault denuo erupit,atq; eo usq; turbam illam propulit, donec ad habitationem suã peruenerit:eam autem quoq; direptam & destructam magno dolore deprehendit. cùm uerò hac ratione plenus irarum longius à suis recessisset,à hostibus undiq; circundatur, atq; tandem desuper lapide in fronte ictus concidit:sicq; cum fideli ministro occiditur, atque corpus eius per lutum contumeliose tractum,tandem in profluentem abijcitur.

Interea tumultuatur undiq;, reliquiq; ciues per cantum classicum atque campanarum pulsum ad arma conuocantur.Agmine itaq; facto pars ad uulneratum prius Typographum tendunt, eumq; infirmum & lecto decumbẽtem,unà cum grauida uxore misere interficiunt, domũ diripiunt,atq; filias eius puellas in aquis submergunt. Tandem ad urbis Syndicum Michaelem Forcentum itur, qui tamen per tectum in uicini ædes, qui etiam aduersæ religionis erat,aufugiens, uitam conseruauit: huic autem omnia monilia quæ octingentorum florenorum censebantur, magna iniquitate aufferunt.Simili insania ad Iacobum Vthierum urbis Archiatrum tendunt: hunc autem cùm non inuenissent,uxorem eius interficiunt, atq; corpus nudum, horrendum dictu,magna contumelia afficiunt. Nec contenti intra urbem seuijsse, uerùm etiã ad pij pistoris ædes in suburbio diripiendas festinant:quem etiam unà cũ uxore uita & bonis spoliant.sicq; dies illa multorũ clade & interitu transijt.

Sequẽti die 13 Aprilis seditioli homines ad reliqua peragenda conueniũt, atq; primo lignifabri ædes, qui cathedrã, è qua Verbum Dei Ecclesiastes populo annuntiarat confecerat,inuadunt, occupant,& diripiunt,ipsumq; patrẽ familias interficiũt. Postea uerò in ædes Penonis regij Procuratoris aliorũq; nobilium,qui Euangelio fauebant,irrũpunt, eorumq; bona magna petulantia diripiunt. Tandem hac ratione cùm insanijssent hora diei decima publica præconis uoce edictũ ne qua domus amplius diripiatur,sed ut omnes Euãgelij fautores capiantur & magistratui tradanẽ: quod si uerò aliqui resistere ausi essent,interficiãtur.Propterea 14 April.nouus tumultus & noua persecutio orta:inter captiuos etiam illos aliqui inuenti sunt,qui statim à furente populo lapidibus sunt obruti.Sic demũ Ecclesia illa ab ijs,quibus Euangelij doctrina proculdubio erat incognita,magno furore apud Senones dissipata fuit.

LVDOVICI BORBONII DVCIS CONDENSIS & quorundam Procerum Galliæ fœdus Aureliæ initum 11 Aprl.1562.

CVm hæc hinc inde contra edictum regis in Ianuario promulgatũ in Gallia fierent,Ludouicus Borbonius princeps Condensis cum multis uirtute & authoritate præstãtibus uiris & proceribus Aureliæ conuentũ habuere,& inter sese certis capitibus fœdus inierũt,quod etiã ædito scripto omnibus publicarũt,cuius hęc ferè summa erat:Quoniã post Dei gloriã atq; honorẽ,regia maiestas materq; eius unà cũ incolumitate regni Gallici maximę nobis curę sit,quæ ab alijs plane negligũt et cõtẽnuntur,dũ cõtra regiũ decretũ eos qui pios cœtus ad uerbũ Dei audiendũ instituêre occidũt,atq; hac ratiõe contra alios nostræ religionis pergere cupiunt,testamur Deũ omnipotẽtem, nos prẽter uolũtatẽ cogi ut cõiunctis animis fœdus inter nos inierimus.Hoc autem in nullius perniciem aut detrimentũ nec in priuatũ cuiusq; cõmodum factum,uerũ primò ut Dei saluatoris gloria promoueat, authoritas regis atque reginæ conseruentur,statuta & edicta regia confirmentur, atque legum transgressores puniantur. Idq; tantisper dum rex ipse matura ætate regnum administrare,atque subditis præesse poterit. cui etiam parati sumus fœderis huius nostri exactã rationẽ reddere.Secundo uerò præsentibus testamur nos nihil facturos quod regio statuto in Ianuario huius anni frequẽti senatu facto aduersetur,nec etiã aliquid q̃ Deo aut regi displiceat admittemus: caue bimus enim

Cõditiones fœderis.

enim Ecclesiarum & templorum direptiones, bonorum alienorum publicationes, imaginum demolitiones, furta, rapinas, scortationes et huiusmodi alia scelera: quòd si etiam aliqui transgressores inuenti fuerint, hos summa seueritate puniemus. In huius rei gratia ministros uerbi Dei elegimus, qui peccata populi corripiant, & ueritatem iuxta Biblica scripta exponant. Tertiò nostri fœderis ducem primarium elegimus illustriss. principem Ludouicum Borbonium, regio Francorum sanguine prognatum & regis Nauarræ regni gubernatoris fratrem. Cui etiam in hac rerum cõfusione diligenter obediemus. Quòd si uerò ipse infirmus fuerit, aut alia quadam ratione officio huic pręesse nequeat, parebimus æqua ratione ei, quẽ is semper substituerit aut nominarit. Hanc etiam administrationem clementiss. dux in sese haud grauatim suscepit, suam fidem & operam nobis pollicitus. Quartò huic fœderi includimus oẽs pios atq; regis cõsiliarios, q̃ edictũ in principio huius anni à ꝓceribus Galliæ promulgatũ seruãt ac custodiũt. Qui uerò aliter agũt atq; regia decreta cõtẽnunt, hos tanquã publicæ pacis uiolatores hostium loco habebimus. Si quis præterea nostrũ lædatur cõtra cõuentionis puncta in Ianuario prius facta, eũ pro uirili nostra fortiť defendemus. Quod si uerò aliquis etiã nostrũ post hac aperte fœdifragus, aut clã cum hoste sentiat, hunc ueluti sceleratũ & periurũ grauiter puniemus. Actum & datum Aureliæ 11 Aprilis Anno 15 62.

Hisce reb. cõfectis Cõdẽsis princeps aliud scriptũ ędidit, in q̃ sese diligenť excusat, q̃ sibi huiusmodi officiũ imponi passus fuerit: hoc.n. nequaquam ob priuatũ suum cõmodum, sed ad Reipublicę utilitatẽ & honorẽ susceptũ. Nã aliquos esse inuentos qui cõtra edictum regiũ piorum ecclesias inuaserint & impune crudeliter deuastarint. Quamuis etiã edictum illud in plerisq; regni Parlamentis publicatũ sit, tamen id Lutetiæ ab ijsdem pacis perturbatoribus impeditum fuisse, ita ut nec Regina ipsa promulgationem eius impetrare potuerit. Cùm itaque timeat ne hac ratione aduersarij contra sese & suos confœderatos insanire pergant, statuisse iusta defensione illis resistere, Deiq; gloriam & regni tranquillitatem conseruare. Quod si uerò Guisiani cum suis assecl̃s regem & reginam angustis limitibus circumscriptam liberent, atque arma deponant, paratum quoq; sese idẽ facturũ, atque in loco quodam omnibus opportuno compariturum, ut tandem exoptata pax cunctis restituatur, atque quisque libera conscientia Deum colere & Reipublicæ utilitatem promouere queat.

Condẽsis principis excusatio

LVTETIAE aliquot millia martyrum facti, mense Aprili Anno 1562.

DVm hęc alibi fierent, Franciscus Guisius magno apparatũ atque armata manu sub initium Aprilis Lutetiam ingreditur. Cui etiam Momerantius magister equitum, quem Connestabilem uocãt, princeps Niuernensis, & D. S. Andreæ, cum multis alijs Galliæ proceribus obuiam progressus, honorificè excepit. Eo tempore rex & regina in Monceaurum quieti uiuebant, omnem occasionem expectantes, qua nam ratione animorum hæc dissensio tolli, atque pax publica conseruari poterat. Interim uerò Guisiani Senatu conuocato aliquoties conueniunt, multaq; deliberant & inter sese statuunt, quæ postea euentus declarauit. Publicato præterea scripto, ostendunt aduersarios suos non Dei gloriam & publicam tranquillitatem, uerùm priuatum commodum & regni interitum spectare: multos etiam esse qui affectibus indulgentes sacra prophanis misceant: alios uerò esse hæreticos, Anabaptistas, sectarios, & qui pro sua libidine religionem sibi fingant, quos quidem punire diuinæ & humanæ leges permittunt. Hæc cùm Lutetiæ fierent magna animorũ mutatio secuta, maiorq; pars plebis Guisianas partes secuta, aduersę religiõis partes ꝑsequi cępit. Factũ itaq; ut Cõnestabili hortatu ciues

Guisius Lutetiam ingressus.

alij

alij hinc inde ad supplicia raperentur, alij in propriis ædibus interficerentur, alijq; proscriberentur ita ut paucis diebus aliquot millia hominũ magna crudelitate sublati esse dicantur.

LVGDVNI atq; in multis alijs locis Galliæ Euangelij doctrina suscepta, bellumq; inter partes dissidentes initum

Anno, 1562.

INterim dum hęc Lutetię & Aureliæ à partibus disidentibus perpetrarentur Senatus populusq; Lugdunensis Euangelij doctrinam susceperunt. quum enim uiderent Euangelici aduersarios suos per aliquot menses arma parasse, atq; certum quendam diem expectare, quo animi sententiam expedire atque Hugonotos, quos uocant, opprimere possent, ipsi collatis inter se consilijs 26 Aprilis compita uiarum armati occupant, templa omni Idolorum cultu purgant, & unanimi consensu puram Euangelij doctrinam, Missa papistica cum alijs superstitionibus abolitis, suscipiunt. quod si uerò aliqui ex sacrificulorum, Monachorum, aut ciuium numero erant quibus hæc religio nondum cognita displiceret, ijs permissum ut intra certum temporis spacium sese extra urbem ad suos reciperent. Hisce omnibus constitutis urbem suam muniunt, præsidium in muro collocant, atq; aliquoties extra urbem armati erumpentes, hostes suos in uicinis oppidis collectos fortiter opprimũt, & uictores in urbẽ remuertuntur. Hoc Lugdunensium exemplum multæ aliæ urbes per Prouinciã præsertim & Northmaniam secutæ sunt. Cùm itaque Guisius intelligeret Euangelicorum numerum indies augeri, non cunctandum sibi ratus, sed ab externis populis subsidia petenda existimauit. Propterea per legatos suos apud Heluetios suæ religionis maximis precibus & promissis impetrat ut certæ copiæ ei destinarentur. Idem etiam apud Reingrauium & Rogendolphum Germanorum militum peritissimos duces effecit. Idcirco Heluetiorum quatuordecim signa duce Guilhelmo Frœlichio Veterano fortissimo, in Galliam profecti, eo tamen titulo ut ueluti regis confœderati, ei periculoso hoc tempore essent subsidio. Paulo pòst etiam alia octo signa Heluetiorum subsecuta sunt. Adduxit etiam Reingrauius & Rogendulphus non contemnendum numerum equitum & peditum ex Germania, quibus persuasum erat, nequaquam hoc bello Euangelicos, uerùm seditiosos quosdam & rebelles puniendos esse. Hacq; ratiõe bellum intestinũ passim per Galliam inualuit, ita ut hinc inde multi cordati & pij uiri occubuerint. Quum autẽ Lugdunenses in magno periculo essent, Bernatum Vicinorum opem implorarunt, quò urbem præsidio munire, & hostem procul à mœnibus arcere possent. quanquam autem Senatus prudentissimus sese huic bello implicare nollet, inuenti tamen sunt multi Bernenses, Vualleſiani, & Nouocomenses ciues qui sua sponte nomina dare, atque periclitantibus succurrere proposuerunt, Itaque 12 Iulij patria discedentes Geneuę conueniunt, atq; duce Nicolao Diespachio forti & strenuo, decem signis instructissimis Lugdunum petunt: cùm autem extra mœnia hinc inde castra mutarent, atq; hostis ad alia loca deflecteret, ita ut nihil memorabile ab ijs fieri posset: tandẽ 26 septemb. à Magistratu suo, graui pœna transgressoribus constituta, domũ reuocati, Lugdunensium permissu in patriam incolumes reuersi sunt.

Heluetij & Germani in Galliam prouocati.

Bernensium in Galliam profectio.

ROTHOMAGO CAPTO MVLTI MARTYRES facti, 26 Octob. 1562

QUum bellum ingens hac æstate multa sanguinis effusione in Gallia arderet, atq; multæ urbes Euangelij prædicationẽ (inter quas & Rothomagum nobile totius Normanię emporiũ esset) publico decreto admisissẽt, Guisius easdẽ, uel promissis & premijs, uel ui tandẽ ad suas partes trahere conatus est. Iam enim Rex iuuenis cum regina matre & rege Nauarræ regni gubernatore

bernatore(qui tamen antea uerã doctrinã agnouerat,atq; Euangelicis fauere credebatur)Guisio atq; eius confœderatis adhærebãt,& Cõdensem principem, qui Aureliæ desidebat, hostem declararant. Primò itaq; Bituricenses tentarunt,qui etiam magnis pollicitis persuasi, certis conditionibus se dediderunt, atque Reingrauij & similium interceſsione,ueniam adepti sunt. Postea uero Rhotomagum profecti, similem rei euentum expectabant. Cum autem ciues nec religionem mutare,nec inscijs aut inuitis suis confœderatis urbem dedere uellent, Guisiani eandem oppugnare atq; summa ui inuadere statuerũt. Idcirco 14 Octob.urbs omnib.ferè copijs regis obsessa & maximo apparatu oppugnata fuit.Cum etiam primus impetus non succesisset,secundò atq; tertiò idem frustra tentarunt. In eo conflictu fortissimi quiq; Gallorũ ducum tormentis è muro petiti aut interfecti,aut grauiter uulnerati fuêre.Inter hos etiam erat Rex Nauarrę ducis Condẽsis frater & regni Gubernator, qui etiam post dies aliquot ui uulneris mirabili Dei consilio uita functus est.

Aliquot dies postea cæptum est agi de pacis conditionibus.Inter alias uero petebant Rhotomagenses ut & sibi & alijs ciuitatibus Galliæ libera prædicatio Euangelij permitteretur, id quòd etiam in Ianuario frequenti procerum conuentu decretum fuerit.Regem etiã cum matre regina & aulicis intra mœnia recipere parati,si qua spes daretur,Euangelij doctrinam omnibus futuram liberam.Cum autẽ Regij duces sibi nihil præscribi uellent,atq; omnes copias intra mœnia cum rege admittendas cupiebant,re infecta inuicem discessum est.Tandem itaq; 26 Octob.omnibus copijs collectis Guisiani duces denuo fortunam Martis dubiam tentarunt. tum demum utrinq; acriter pugnatum,atq; noui milites subinde defessis & uulneratis extra urbem succesſerunt.Rex interim & regina cum Momorantio Comestabile in Monasterio S. Catherinæ,quòd in monte situm & prius expugnatum erat, spectatores erant prelij, omniaq; perspiciebant, quæ intra & extra mœnia peragerentur. Cum itaq; sensissent ciues ad pugnã remissiores esse, per tibicines suis signũ dedêre,ut prelium redintegrarent,atque nouum militem prioribus submitterent, qui rectà, muro ascenso, magno impetu in urbem irrumperent. Tum demum clamor utrinq; auditus, atq; horribili armorum clangore & tormentorum sonitu omnibus auditus ferè ademptus. Quisq; enim unice eò respiciebat ut hostẽ læderet,nulla suæ salutis ratione habita.Propterea utrinq; optimi quique milites occisi. Tandem ergo Guisiani multitudine fræti in urbem uenerunt,atq; sequẽtibus locum dederunt. Cum autẽ ciues cum præsidio suo diu hosti restitissent,atque numero uincerentur, per alteram portam sese extra urbem aliò receperũt.Multi quoq; nauib. ascensis secundo flumine incolumes euaserunt.In ea tamen expugnationis angustia aliquot uiri & mulieres inuenti,qui se sponte potius in aquam præcipitare, quàm uiui in hostium potestatẽ uenire maluerunt.Victor enim hostis in omnis generis homines nulla ratione sexus aut ætatis habita crudeliter sęuijt, atq; opulentã urbẽ diripuit. Tandẽ tamẽ rege & regina iubente reliquæ multitudini quæ supererat parsum,atq; urbs Rhotomagus in gratiam recepta est.

Rhotomagum expugnatum.

ANGLI ET GERMANI equites Condensi principi suppetias ferunt sub autumnum 1562.

QVum princeps Condẽsis atq; eius confœderati intellexissent Guisiũ externo milito frętũ aliquas urbes recuperasse & pontificiã religionẽ ijs imposuisse, nec ipsi sibi cesandum rati. Itaque ab Elisabetha regina Angliæ impetrant,ut exercitum in Galliam mittat, atq; fratres religionis nomine periclitantes adiuuet.Deinde etiam à Germanis principibus obnixè petunt, ut militem certo stipendio concedant, quo huiusmodi hostium conatus reprimere,atq; sese cum liberis & uxorib.salua religione defendere queãt. Regina

itaq;

itaq; Anglię eũ aliquoties antea fruſtra pro Euãgelicis apud Guiſianos interceſsiſſet tandẽ luſtratis copijs Anglorũ aliquot millia trãsfretare iuſsit. Hi qui dẽ portum Diepẽſem multaq; alia loca occuparũt, atq; hoſtẽ in Nordmania uarijs modis afflixerunt. Quanquam uerò nullus Germanorum principum, ob pacem publicam in Imperio conſtitutam, ſeſe huic bello implicare, atq; ſuum militem in Galliam ablegare hoc tempore uellet, inuenti tamẽ ſunt inter Saxones & finitimos populos plurimi, uirtute et arte bellica clariſsimi uiri, qui uel uitæ ſuæ diſpendio afflictis Chriſtianis in Gallia ſuccurrere, atque hoſtem à piorum finibus propulſare ſtatuerunt. Hac itaq; ratione circiter tria millia equitum & duo millia peditum Germanorum collecti, per Lotharingiam hoſtium fines depopulãtes, ſub autumni tempus in Galliam inſtructiſſimi peruenerunt. etſi autem Guiſiani omnibus modis impedire conabãtur, ne hoſtium exercitus coniungerentur, tandem tamen Germani impetu facto per medias hoſtium hinc inde ſtationes, Aureliam ad principẽ Condenſem penetrarunt: ſiccq; uiribus utrinq; redintegratis, bellum crudeliſsimum inter Gallos reſtauratum fuit.

EXPLICATIO BELLICORVM, QVIBVS GALLIA MISERrime conflictatur, tumultuũ, Reuerendiſsimis & illuſtriſsimis Germaniæ Principibus, Sacri Imperij electoribus propoſita ab Illuſtriſs. Principis Condæi legatis, in publico ſacri Imperij conſeſſu, Francofurti Prid. nonis Nouemb.

Anno 1562.

CVm inuictiſsimus Imperator Ferdinandus atq; Imperij Germanici electores cum multis alijs principibus Francofurti ad Mœnum ſub initiũ Nouẽb. cõueniſſent, ut ſereniſsi. & pijſsimũ Bohemorũ regem Maximilianũ, hac patris ſui ſenectute, quod felix & fauſtum ſit, regẽ Romanorum pro more eligerent, corã ipſis frequenti ſenatu 4. Nouemb. Gallici legati comparuerunt, atq; ſtatum regni miſerrimum luculenta oratione propoſuerunt, ſuppliciter petentes, ut tandem huic malo ſuccurratur. Cùm autem oratio illa publicè fuerit ædita, placuit eã ordine hic ſubijcere, ut uideamus quæ cauſa fuerit, quod Gallia tanto tempore tam miſerè afflicta, atque paſsim tot Martyres facti fuerint.

Legati oratio. QVod in cæteris omnibus cauſis manifeſtum eſſe ſolet, Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Electores, potentiſsimiq; Principes, ut imprimis intelligant omnes apud quos agitur, pro quo & in quem dicatur: id uobis uideo poſitum eſſe in controuerſia, dum diſceptatur utri eorum qui in Gallijs contendunt, Regis partes tueantur & foueant. Oſtendemus autem, dum dicimus apud uos in hoc ueſtro ſacri Imperij conuẽtu pro Illuſtriſsimo Principe Ludouico Borbonio (qui primum ordinem unà cum fratribus inter agnatos ſtirpis Regiæ Francorum tenet) non tam ipſius quàm Regis Chriſtianiſsimi, Regniq; cauſam agere. Nihil enim adferemus, quod ad Principis Cõdæi propriam peculiaremq; cauſam, authoritatem, aut dignitatem pertineat: ſed miſeram Regis noſtri cõditionem, ac totius Populi Gallici triſtes & acerbos caſus, quos utinam, ut merentur, huic ſacratiſsimi conſeſſui depingere & ob oculos ponere poſſemus. Nam ut miſerandum eſt imprimis, ita inauditum noſtro ſeculo, Regem iurę naturæ à Deo optimo maximo conſtitutum, dum impuberem ætatem agit, eò redactum, ut in mediis potenſsimi regni penetralibus tutò conquieſcere non poſsit, eorum improbitate, qui regnum affectant, innocentemq; puerum in regni ac uitæ diſcrimen uocant, eiuſque fratres ac matrem ijſdem calamitatibus inuoluunt: ſed ijs artibus, ut interim ſe nihil magis

gis cogitare prædicēt, quàm Regi & Reipublicæ adesse in officio, quibus uel optimos quosque uel prudentissimos se fallere posse existiment. Quæ dum spargunt in uulgus, id agunt, ut Principis Condæi famam, quæ semper Dei beneficio integra futura est, criminentur & calumniētur. Quod ut intelligāt uestræ Reuerendissimæ & Illustrissimæ Celsitudines, petimus ut pro uestra humanitate, Germanoq; candore, iudicia uestra tantisper suspendatis, donec causa audita, liqueat unde tanti mali fomes & origo prodierit. Tum demum pro uestra æquitate & prudentia expendatis quisnam istis Gallici regni dilacerationibus causam præbuerit. Quod si nos cogant inimicorum criminationes in uos tela reijcere unde fuerunt emissa, cum acrimonia ueritatis, id ad causam pertinere existimetis, atque ad innocentis Principis Condæi defensionem, qui à culpa longissimè absit, semperq; abstinuerit ab omni Reipublicæ perturbatione atque tumultu. Sic fiet, ut dispersis depulsisq; tenebris & nubibus quas aduersarij nostri congerunt, ueritas ipsa nuda de se testimonium probatissimum reddat.

Principio itaque sic à uobis statuendum est, Regnum Populumq; Franciæ suis proprijs legibus semper stetisse, quas à maioribus Germanis acceperunt. Sed ut sunt naturâ suarum legum tenaces Galli (quod de Massilienſibus antiquitas testatur) quod semel suis legibus cautum esse sciūt, uix fieri potest ut reuelli patiantur. Eas leges à Maioribus suis acceptas ante Caroli illius Magni Germanorum Imperatoris Regisq; Francorum augustissimi tempora, Salicam legem nominarunt: quę cùm non immeritò semper habita fuerit neruus & fundamentum nostræ Reipublicę, hactenus nephas esse duxerunt nostri Maiores, quicquam in ea uel mutare, uel antiquare. Eius autem legis prę- *Salicæ leges.*
cipua sunt duo capita: uidelicet, Edictum de successione in Regno: Alterum, quod præsentis est instituti, respicit personam Regis constituti in pupillari ætate, aut errantis mēte. Ait enim tunc cōuocandos esse ordines Regni, quos Status uocamus, & ex eorum sententia constituendam esse gubernationem. Rege enim nondum adulto penes ipsos ordines est summa Reipublicæ, ac ius belli & pacis.

Igitur Rege Francisco secundo ad regnum uocato, diu multúmque dubitatum est, quatenus post puberem ætatem ordinum consilio atque authoritate Reges indigerent. Sed hanc litem Regis mors immatura diremit. Deinde coactis rursum ordinibus propter Caroli Regis puerilem ætatem, omnium ore atque consensu, qui comitijs intererant, has leges constituūt, decernunt, & publicant. Ad quas ut diligenter animaduertatis, etiam atque etiam contendimus à uestris Reuerendissimis & Illustrissimis Celsitudinibus. In illis enim constitit totius negotij prora puppisq;, & uertitur totius contentionis cardo. Illarum autem legum quatuor fecerunt capita. Primum, omnium applausu, Principúmque Regiæ stirpis consensu, exemplis causisque grauioribus propositis, decreto publico, regis tutela Regniqúe administratio Reginę matri regis defertur. Quam monuerunt, ut quantum in se esset, honesta parcimonia æs alienum (quo grauiter Respublica premebatur) dissolueret: populum uix respirātem oneribus leuaret: collapsam Rempublicam restitueret, & pacem quietémque populi domi foriſque procuraret. Hoc itaque Legis capite soli Reginæ (interea dum Rex adolescit) Regni competit administratio, frustra q;in alijs quæritur & desideratur:

Alterum caput decernit, repurgandum esse Regium Consilium ijs hominibus, à quibus plus metuitur damni, quàm speretur auxilij. Atque ab illis imprimis qui alieno Principi suam fidem obstrinxissent. In quorum numero habendos esse uoluerunt Ecclesiasticos omnes, quòd Romano Pontifici sint iuramento deuincti, qui Regi plerumque est inimicus, aut cum ipsius inimicis

confœderatus: nec licet Regi prius eorum defensionem suscipere, quàm ab ipso Pontifice approbati fuerint. Præterea, absurdum est Cardinales aut Episcopos in aulis uersari, cùm sit muneris illorum perpetuò adesse Pontifici, horum uerò præesse suis Ecclesijs, & earum curam gerere. Quod ipsum cùm ad ius diuinum pertineat, à Regibus temperari non potest. Insuper, exemplo Senatuum Regni non possunt duo, pluréue fratres, sicut nec patres cum filijs, in Regium consilium admitti, nisi illi quidem ex Regia stirpe fuerint, & sanguinis, ut uocamus, Principes, quos natura ipsa non sola hominum prudentia, ad Regis Consilium uocat. Qui autem Regio fisco præfuerunt, aut sacram pecuniam attrectarunt, interim dum id muneris exercent, ac donec iustas rationes reddiderint inter Regis secretiores Consiliarios non sunt habẽdi. Quod etiam pertinet ad eos quibus immensæ & inofficiosæ donationes à regibus præter regni statuta factæ sunt. Eos enim repetundarum reos leges constituunt. Ab hoc autem legum articulo pendet coniurationis & conspirationis Guisiæ cum Conestablio & Mareschalco fomes & origo, quia se repetundarum crimini obnoxios esse intelligunt, & à Regis consilio depulsos. Quod prius ne fieret, ui minisq; grauioribus frustra attentauerant.

Tertium caput est, ne, interim dum Rex pubescit, absque ordinum Statuúmque sententia quicquam quod ad bellum, aut grauiores sumptus faciendos pertineat, attentetur: ad arma Regis subditos nemo prouocet. Qui contrà ausi sunt, in eos damna belli populari actione repeti possunt, tanquam ab inimicis pacis, quietisq; publicæ.

Quarto capite religionis causam à seditione separari placuit, adeò ut nemini liceat propter alterutrius religionis causam quenquam pro seditioso & rebelli damnare. Item cautum est, ne imposterum eadem causa cuiquam uis fiat publica aut priuata, utque ludices prouinciarum non patiantur quemquã sectari eorum qui Euangelicam reformationẽ profiterentur. Verùm illis ubique templa ad suæ religionis exercitium concedantur, in quibus liberè audiant uerbum Dei, & Sacramenta administrentur ab Euangelicæ doctrinæ Ministris. Ad hæc statuta, placuit uetera omnia edicta Religionis causa publicata reduci & temperari.

Tumultuum causa.

Has leges ægerrimè tulerant coniurati. Quibus constitutis solutóque Statuum conuentu cùm extricare se non possunt, ab ordinum sententia atque iudicio, quibus & excluduntur à Regis consilio, & ad calculos, & repetundarum examen uocantur, quærunt modis omnibus explicandæ coniurationis uiam. Interià, magna cura & diligentia unitatem Ecclesiarum procurat Regina (ut sagaci & maturo in omnibus rebus est ingenio) conuocatis undique Ecclesiarum Præsulibus cum aliquot Theologis Scholæ Parisiensis, & Monachis quos Româ adduxerat, Ferrariensis Cardinalis legatus. Aderant præterea Euangelicæ professionis Ministri duodecim, qui de doctrina sua cum Pontificijs placidè absque amarulentia & contentione litigiosa dissererent, ut piæ concordiæ rationem aliquam inirent. Sed hæc cuncta consilia perturbauit suis factionibus insignis ille Cardinalis, qui dum hoc agit, ut Romano Pontifici suam operam probet, & honestos Reginæ conatus impediat, effecit, ut ille conuentus sine ullo fructu solueretur. Cùm uerò de confessione Augustana sermo incidisset, sciscitatus est, an illi subscribere in negotio cœnæ uellent nostrarum Ecclesiarum Ministri. At uerò rogatus ipse, quid de reliquis eius confessionis articulis sentiret, magna uocis animiq; asperitate & contentione respondit, se totam confessionem improbare & detestari. Nostri contrà, illam modis omnibus se laudare & se approbare dixerunt, à qua suam nihil ferè dissentire ex utriusque collatione (utranque enim habebant in manu) facilimum esset probare. Quòd si uideãtur in ar-

Augustana confessio.

in articulo de Cœna utcunq; dissentire, id quidem esse leuius quàm multi existiment, sed quorundam ambitione & clamoribus in immensum exaggerari. Constat enim utramq; partem idem religionis fundamentum ac Sacramenti Cœnæ fructum, finem & effectus eosdem constituere. Tantùm caueatur, ne ueritati corporis Christi in aliquo derogetur. A uobis autem, Reuerendissimi & Illustrissimi Principes, magnis precibus contendit Princeps Condæus nomine omnium nostrarum Ecclesiarum, ut alicubi in ipsa Germania Synodum indicetis, ad quam promittit se effecturum, ut ueniant præcipui Ecclesiarum nostrarum Pastores, qui placidè animis compositis, facilibúsque cum uestris, de rebus controuersis different omnésque controuersias coniunctis suffragijs puro Dei uerbo decident, ita ut in omnibus constet utramque gentem eadem fidei ac religionis puritate & sinceritate Deum colere.

Tandem cùm uiderent nihil sibi fœliciter succedere qui legibus ordinum damnati erant: persuadent Reginæ & Nauarro noua iniri consilia, quibus sperant ut ordinum regni decreta pereant & reuellantur. Quare consulunt, ut aliam rationem ineant componendi istas controuersias, & eam ad rem deligant eos quos sibi & Regni multis beneficijs deuinctos esse scirent. Ne tamen horum consiliorum authores publicè haberentur, putant antè sibi esse è Regia discedendum quàm coeat hoc consilium. Verùm cùm multa animo uersarent Guisij, tentarunt facinus, quod si successisset, maximis alijs motibus initium dedisset. Pridiè enim quàm Guisius discederet ex aula (re ita composita) Dux Nemorsi compellat Aurelianum Illustrissimum Ducem, in ipso Regis cubiculo, tanquam iocans, an uelit in Lotharingiam usque expatiari cum Guisijs. Ibi enim esse apparatos ludos & spectacula quibus delectetur. Ducem uerò Lotharingiæ, simul cum coniuge maximo ipsius desiderio teneri. Proponit postea pericula quæ Regi fratri & sibi ab Hugonotis imminerent: (sic enim contumeliæ causa nominant eos qui nostram Religionem profitentur:) Aitque ueluti ex oraculo, non esse dubium quin Rex Nauarrę, Condeúsque Princeps de occupando regno cogitarent istius nouæ, quam dicunt, Religionis prætextu. Cúmque non persuasississet, cedit Guisio, qui alijs rationibus puerum aggreditur & rorquet. Sed eodem euentu succedit patri Guisio Ginuilla, qui etiam ostendit qua ratione abduci posset: nimirum ut media nocte è fenestra demissus imponeretur rhædæ, & sic uelocibus equis in Lotharingiam abduceretur. Sed ne is quidem plus proficit apud sodalem, quam aut parens aut Nemorsus. Cùm hæc emanassent, rogatus Aurelianus in ipso Regis consilio, hoc ipsum negotium aperuit Regi fratri, Regina matre ac Nauarro præsentibus. Habetur & Nemorsi confessio, è Sabaudia transmissa, in qua hoc fatetur quidem, sed ipsum prætendit. Quis autem ludos esse putet, unde tot crimina oriuntur? Quid autem ea re molirentur, facile est cuilibet iudicare, qui Regni Gallici rationes, & statum utcumque nouerit. Guisij uerò ea spe deiecti, secedendum esse existimauerunt, quousque aliquantum ea inuidia deflagraret, & ad eos accendendum, qui ipsorum artes ignorarent. Nota est omnibus uirtus & pietas Illustrissimi illius Principis apud quem diuerterunt, proxime Germaniam ad tabernas Alsatiæ, cui suis simulationibus conati sunt imponere, dum fingunt se professores Augustanæ confessionis à qua uix ita pridem abhorruerat Prothæus ille Cardinalis. Eorum sanè discessus ex Gallia magnam spem pacis, & quietis nobis præbebat. Interim ubique in Gallijs Verbum Dei resonabat, atque adeò in ipsa Regia in Primatum Magnatúmque domibus. Impura omnia, & ludicra, blasphemiæ, rixæ, odia, & cætera eiusmodi, quæ facilè irrepunt in animos eorum qui de Deo, & de sua salute parum diligenter cogitant, uidebantur ita compressa, ut eam mutationem nemo satis

Aurelianus dux ferè abductus.

Euangelium in Gallia prædicatum.

mirari posset. Nulla tũ ferè urbs, nullus pagus ex præciputis absque Dei uerbo, magna etiã aduersariorum tolerantia, qui quamuis sanctã Dei doctrinã non satis probarent, pios tamẽ mores, & sanctã mentẽ nunquam nõ satis laudare & cõmẽdare poterant, summa Dei gloria, & magna omniũ admiratiõe.

Interim è Parlamentis & Senatibus, qui frequentes sunt in Gallia, cõuocati condicto die & loco, præsentibus Regiæ stirpis Principibus, atq; ueteri uniuerso Regum Consilio, cõsultant. Adest Conestablius, adest & Mareschalchus, qui nouã tragœdiam nouosq; tumultus læti expectabant. Instabãt Ordinum actores, monentes nouandũ nihil esse: sed in Ordinum sententia standum, repurgandumq; prius esse Regis consiliũ, quàm quicquam cõstituatur. Contrà, sibi non licere putabant illi quos Ordines à cõsilio Regis depulerãt, et reos peculatus fecissent. Verùm, cùm nullis ignota esset Ordinũ Gallicorũ potestas, nemini in mentem uenire potuit, constitutas ab Ordinibus leges dãnari, antiquari, ac abrogari, ac in uniuersum refigi à quoquam posse. Sed ut cũ Guisijs absentibus, & socijs præsentibus in aliquo consentirent, nouũ edictũ mense Ianuario constituunt, quo libera Verbi, Sacramentorũq; potestas Ministris Euangelicæ doctrinę cõceditur: id modò fiat extra urbiũ septa, & abstineatur à templis Romano cultui dedicatis. Integrũ sit præterea cuilibet impune ac libere, quã uolet ex duabus, Religionẽ sectari. Quod decretũ cùm ingratum esset Euangelicæ doctrinæ sectatoribus, præsagirentq; inimicorũ dolos, quos exitus ipse statim aperuit, nimirũ hęc ideò sic decerni, ut inermes & procul à suis ædibus, procul auxilio, magis essent aduersariorum iniurijs obnoxij, atq; illis faciles prędæ fierẽt. Noluerũt tamẽ Reginæ, Nauarro Regi, cęteris q; tanti consessus hominibus, repugnando molesti esse. Verùm propositis cõditionibus acquieuerunt, hoc tantùm petentes, ut bona fide obseruarẽtur, & tutæ essẽt & absq; fraude pacis cõditiones. Hoc edictum singulorum sacramentis cõfirmatur, atq; imprimis à Nauarro, Conestablio, & Mareschalcho, qui postea illud idem sacramentum apud Reginã repetunt: addunt etiã iurati, se nunquam eius qui in edictum incurreret, gratiã petituros esse. Publicatur edictum in foro: Per Prouincias Ministris authoritas præstatur: edificãtur in suburbijs ligneis tabulatis loca publica: abstinetur à templis. Et excrescente indies singulos magis atq; magis per uniuersam Galliã populo, ad uerbi Dei auditionẽ concurrente, atq; adeò Lutetiæ Parisiorũ: ubi continuò tanta auditorum copia affluxit, ut ad triginta hominum millia conuenirẽt incredibili modestia, necesse fuit sub dio populum conuenire, qui apparatis locis contineri non poterat.

...um edictũ

Guisius in Gallã reuocatus.

Tantũ populi consensum & Euangelij progressum cùm ferre nõ possent lucis Christianæ hostes, à Conestablio monetur Guisius, ut statim in Aulam redeat, & crescẽtibus malis, maturè occurrat. Reuocabat etiã Nauarri literis, quẽ, facta spe regni Nauarrę recuperandi, & quibusdã uanis, inanibusq; promissionibus, Pontificij in suas partes pertraxerãt. Redit itaq; Guisius, qui inermis discesserat fugiẽs, cum magna satellitũ armatorum manu, ac in ipso ueluti limine, dum ostiũ cœpit apertũ esse uerbo Dei, quod magnis uiribus adolescebat, dũ sibi nihil metuunt Ecclesiæ, tutásque se putant Edictorum ac Senatusconsultorũ authoritate, nulla accepta iniuria omnes Ecclesias uastat, & ab eo suisq; crudeliter trucidãtur Vassij, quos in precibus publicis, pietati operam dantes offenderat, occisis etiã fœminis & infantibus ab uberibus matrum pendentibus. Regina ubi resciuit Guisiũ aduentare, uerita ne contingerent ea quæ postea acciderũt, obtestatur ne Lutetiam accederet. Ille uerò cõtemptis eius mandatis, uel potius precibus, eò uenit, stipatus pleriscq; suæ factionis proceribus ac aliquot cẽturijs Equitũ armatorum. Et qui prius temerario ausu leges patriæ uiolasset, dum armatus hostilicq; animo fines Galliæ attigit

tigit & ingressus est (quod iure gentium capitale est) sic non dubitauit Lutetiam, regni præcipuam urbem progredi, ut ab illa magnifico apparatu armatus exciperetur, neglectis Regni legibus. Ob eam rē Carolus Imperator Maximus cùm iter faceret per Gallias, noluit armatus ingredi Lutetiam in apparata solenni pompa, etiāsi magnopere rogaret Rex Franciscus, ut id faceret: quod sciret ad solos reges id pertinere. Exceptus est ergo Guisius magno cū applausu & gratulatiōe populi Parisiensis, incitati à Sacrificulis, cuius magna multitudo, audito eius aduētu, effusa est extra portas, ut eum faustis acclamationibus exciperet: qui honor solis regibus tantùm præstari solet. Accessit & ad eū Præfectus urbis, & illi suam operā, & sua officia detulit. Quod sanè nō iniustam metus suspitionisq; causam nostris præbuit, cùm præsertim recens esset memoria patratæ Vassianæ crudelitatis. Verùm cùm sub aduentu Guisij in Gallias, literas Regina accepisset ab Hispanijs, Lusitania, & Sabaudia, in quibus tota conspirationis series perscribebatur, animaduertēs, in quātis periculis uersaretur, accersit ad se Principem Condæū in arcem de Mōceaux, Reginæ peculiare castrū, & ostendit quid coniurati moliantur. Monet, & magnis precibus contendit, ut conuocatis amicis collectoq; milite se nepharijs istorum conatibus opponat. Postea uerò cōspiratione ita patefacta, ut iā dissimulari non posset, Regina crebris literis & nuncijs Condæum monet non amplius esse differendū, sed Guisij, reliquorumq; coniuratorū conatibus maturè esse occurrendū. Eumq; Regina constituit exercitus ducē, defensorē Regiæ, suæq; libertatis. Illic aderant plerique primariæ & antiquæ Nobilitatis uiri, quibus etiam ipsa imperauit, ut Regios subditos hortaretur ad sequenda signa Condæi, & ad se opponendum Guisiorum coniurationi. Extant literæ ipsius Reginæ manu scriptæ, quæ de Principis Condæi uera erga Regē & ipsam obedientia testimonium ferant, quibus se ei, ac liberos cōmendat, pollicetur q; Regē officiorum eius memorē fore. Alijs literis iubet, ne prius arma deponat quàm ab aduersarijs posita uideat. Præcepit etiam Amirallio, Soubizę, alijsq; ordinis Regij Equitibus, ut unà cum Condæo Regē iuuarent, quò facilius Guisianam conspirationē opprimere posset. A qua uoluntate ipsam nō amplius destitisse testabūtur, ea quæ uix ita pridē Principi Cōdæo reliquisq; exercitus eius Principibus ad oppidū Bogenciacum dixit: cùm seriò falsa est, se uitam, ac dignitatē illis debere. Quæ longe diuersa sunt ab ijs literis, quas nostri aduersarij ui, metuq; ab ea extorquere solent. Ne autē uobis in hac re imponi existimetis, En, proferimus quaternas literas ipsius Reginę manu scriptas, quas Argentorati Generorissima Socrus Condæi Principis ipsius mandato nobis tradidit, quas certè à uobis legi & uideri magnopere cupit Condæus Princeps. Reliquas apud se seruat, quas propter itinerum pericula, nō est ausus nobis concredere: quas Latinas ad uerbū fecimus: illarum archetypa post huius orationis finem conscribi curauimus. Earum est hæc sententia:

Lutetiam solis regibus armis ingredi licet.

Regina Cōdæum monet ut Guisio resistat.

Mi cognate, significauit mihi Baro de la Guarde, quæ ipsi dixeris: quibus, mi cognate, tantam fidem habeo, & habui, ut mihi ipsi maiorē non habeam. Nūquam obliuiscar eorum, quæ Regis, filij mei, ac mei causa facies. Quoniā autem ad te is redit ob causas quas indicabit, plura non scribam. Tantùm peto, ut ipsi fidem habeas in ijs, quæ tibi dicet nomine eius, cui nō minus quàm matri fidere potes. Ea est Catharina tua cognata. 1

Exemplaria literarum Reginæ.

Mi cognate, non minus liberè cum Yuoy sum loquuta, quàm tecum fuissem, de eius fide non dubitans, & certò credens eum nemini præterquam tibi, ista indicaturum: teq; nunquam dicturum ea à me esse profecta. Memineris autē incūbere tibi curam conseruandi liberos, matrem & Regnum tanquam ei cuius plurimum interfit. Non dubito has literas à te statim exurendas. 2

Mi cognate, habeo gratiam, quòd non graueris de tuis rebus tam sæpe ad 3

me ſcribere. Et quoniam ſpero me uiſuram te breui, iam minus prolixè ad te ſcribam. Tibi autem perſuadeas, quòd nunquam obliuiſcar eorum quæ mea cauſa facis. Quòd ſi Deus me ex hac uita euocauerit, antequã mihi detur occaſio animi mei gratitudinẽ erga te oſtendendi, dabo tamẽ operam, ne liberi mei eius rei olim ſint immemores. Huic qui reddet literas aliquid concredidi tibi ſignificandum. Quare peto, ut ei fidem habeas. Intelliges ſine dubio me quicquid facio, ideò facere ut omnia paci, & tranquilitati reſtituam. Quod ſcio te non minus expetere quàm tuam cognatam Catharinã. Saluto tuam coniugem, Socrũ & Auunculum.

Mi cognate, tam multa uideo quæ mihi diſplicent, ut uix poſſem me colligere, niſi me ſolaretur ſpes, quã in Deũ repono, & fiducia qua mihi perſuadeo te certò mecũ coniuncturum omnes tuos conatus ad conſeruandum hoc regnum, & Regis filij mei authoritatem, & ſubditorum erga eum obſequia, etiamſi rumpantur, qui omnia conantur euertere. Sed ſpero me tuo cõſilio & auxilio fretam, adhibituram remedium iſtis malis. Et quia huic, qui has literas reddet, prolixè explicaui de ijs rebus meam ſententiam, eam iam nõ repetam. Peto ut ei fides habeatur in ijs quæ utrique ueſtrum ſignificabit nomine tuæ cognatæ Catharinæ.

Cõdæus armis iuſſu reginæ ſumpſit.

Ex his quæ iam dicta ſunt, Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimiq; Principes, ſatis liquere uobis putamus Principem Condæũ nõ priuata aliqua cupiditate, ſed inſtante mandato Reginæ arma ſumpſiſſe, ut eorum conatibus ſeſe oppone-ret, qui ui, & audacia leges Regni uiolabãt, pacẽ & tranquilitatẽ publicã perturbabãt, ac ſummum Magiſtratũ nobis à Deo conceſſum in ſeruitatẽ redige re conabantur. Siquid à Cõdæo Principe peccatũ eſt, in eo eſt peccatũ, quòd initio aduerſarijs par, aut forſan inſtructior, nõ ſtatim eos inuaſit & oppreſsit. Verũ optimus Princeps noluit eſſe author eorũ ingentium malorũ quæ iã in Gallia cernuntur. Nõ enim exiſtimauit iſtos homines adeò exuiſſe omnẽ humanitatis affectũ, quin tandem mouerentnr pietate erga patriã, & reuerentia erga optimæ ſpei Regẽ, à cuius auo & parente ex non magna fortuna euecti ſunt ad illas ingentes opes, quibus iam ad omnia perturbanda abutũtur. Sed plus potuit in animis eorũ immoderata ambitio, quàm hæc omnia. Dolebãt enim ſe excidiſſe ea authoritate, qua ſuperiorũ Regũ & præſertim Henrici tẽpore pollebant, cùm omnia pro ſuo arbitrio adminiſtrarẽt. Et exiſtimabãt iã ſibi dari occaſionem eam recuperandi, quæ non facile eſſet è manibus dimittenda. Id enim non potuerunt ſperare. Regina, ſumma cum prudẽtia Regnũ adminiſtrante, quę de filij incolumitate, ac Regni proſpero ſucceſſu ſollicita, ut uitaret occaſiones tumultuum, ambitioſos à gubernatione remouere tentabat, & Regnum frugaliter adminiſtrare cœperat, paulatimq; diſſoluebat illud ingens æs alienũ à Rege Henrico conflatũ. Itaq; cùm iſti animaduerterẽt hæc eſſe minime oportuna ſuis conſilijs, putauerũt eam cũ Rege & Aureliaꝰ nenſi Duce redigendam eſſe in ſuam poteſtatẽ, ut eorum nomine ad ſuas cupiditates abuterentur. Multis igitur armatis ſtipati profecti ſunt ad fœminã, duosq; pueros imbelles, ſine uiribus, quos omni præſidio deſtitutos facilè in ſuam poteſtatem redegerunt. Degebant tum temporis in Regia illa domo Fontisbleaudi, quæ unius diei itinere abeſt Lutetia, nullis arcibus munito loco. Neq; ignotum illis erat Condæum non laturum tantã indignitatem. Repugnantes eos, & multis obortis lachrymis iniuriã deprecantes, Melodunũ abduxerunt, & incluſerunt arci, quam quis carcerem uerius quàm arcem dicere poſsit. Rex emiſsis multis lachrymis, conquerebatur ſe abduci à loco amœniſsimo, ad caſtrũ, à quo maximè abhorrebat. Sequebãtur Reginæ, eiulatus immodici, quę etiã negabat omnino ſe eò iturã. Verùm reſpõderũt, licere quidẽ ipſi manere ſi uelit, ſed ſe planè conſtituiſſe Regẽ abducere. Hoc egregio faci-

Regina Galliæ cum rege circũ ſcripti.

gio facinore perpetrato, prẽmiserũt Lutetiã Conẽstablíũ, q̃ populũ iã sua spõte furentem aduersus nostros magis concitaret, quod sanè pulchrè præstitit. Non enim puduit hominem pene decrepitum & tantæ dignitatis ab ipsa prima adolescentia, prẽbere se ducem stolido populo ad exurẽda illa ædificia in quib. nostri religionis causa cõuenire solebãt. Lutetiã sanguine replet: populum ad arma, ad prædã, ad laniẽnã cõcitat. Mareschalchus à Sancto Andræa sibi Senones delegit, in quos sæuiat per suos, & Cardinalis Guisij, Senonum Archiepiscopi auxiliaribus copijs: in quos crudelẽ tyrannidẽ exercet, & barbarè debachatur. Sæuit in fœminas, pueros, puellas q̃ omni genere mortis. Ex quib. secũdo flumine deducta sunt Lutetiã innumera corpora natãtia, quæ oculis Regis oblata sunt, dũ agit ad fluminis Sæquanæ ripã Lutetiæ. Atq; illorum exẽplo per uniuersam Galliã omnia miscẽtur cædibus ad mõtes usq; Pyrenæos, per totã Aquitaniã. Quorũ facient fidẽ Tholosa, Castrũ Dary, Burdegala. Illinc ad Britones usq; pcurrit testis Andegauia, Saumurũ, Turonia, Pictauia, Blesa, Biturix, Issodunũ, Burgundia, insuper atq; Prouincia, & Delphinatus, adeò ut qui huius crudelitatis calculos tenent, ad triginta hominũ millia cæsa fuisse mensib. quatuor ex his qui Euangeliũ profitẽtur, referãt, misera locorũ omniũ calamitate, quos tutos esse oportuit ordinũ iudicio, postea edicto Regio, atq; etiã sacramentis Principũ Cõsulumq; atq; adeo Senatusconsultis. Vbi nũc nobis miseris afflictissimisq; Gallis sacrosanctũ ius Patriæ? ordinũ nostrorũ olim incõcussa potestas, ubi iurisiurandi toties repetita religio? ubi sacramentorũ dignitatas & põdus? Quid ab illis speretur quos Dei omnipotẽtis Sacrosanctũ nomẽ, fidei dignitas, iurisiurandi uiolati metus nec mouet, nec urget? Si omnis cõtrouersiæ finis est iuramentũ, quõ sperabimus horũ tumultuũ faciles exitus cũ illis qui nullo Dei honore & gloria tanguñ? *Senonum persecutio.*

Susceptis armis cõpositoq; aliquãtum exercitu Cõdęus Princeps Aureliã deligit, in qua se, suosq; recipiat, & Guisijs iampridẽ instructis se opponat. Ne tñ hoc bellum multa secum traheret incõmoda, uisum est Cõdęo iustissimas pacis conditiones offerre reginæ, Nauarroq; fratri, se discessurum ab armis, à regia, aq; etiam à regno ipse sanguinis regij Princeps, modò easdẽ conditiones suscipiãt aduersarij. Monet Principes uicinos succurrãt regi pupillo, pacicq; publicę. Quod cùm agit apud uos, Principes Illustrissimi, factum est uestra humanitate ut eo fini legatos uestros in Galliã decerneretis. Verùm Guisius cõsilio Cardinalis turbulentissimi, conditiones spreuit. Legatos impediunt officio defungi. Interim externas copias euocant, Heluetiorum, Hispanorum & Italorum, atq; etiam Germanorum, ducibus Rochendolpho, & Ringrauio. Atque istos tres Coniuratos non puduit regi & reginæ scriptum exhibere, in quo dicerent cõiuratione facta, se non prius ex Aula discessuros, quàm in uerba Pontificis Romani iurarent omnes regis subditi, Officiales præsertim, qui munus publicum gerunt aut magistratum. *Condeus pacis cõditiones aduersarijs offert.*

Quanta est ista arrogantia, tres homines decreto Ordinum exclusos à regio consilio uelle & regi & toti regno in tanta re præscribere? Sed hæc ideò faciebãt, ut omnia turbarẽt, ne institutas aduersus ipsos repetundarum & peculatus actiones Ordines regni pſequi possent. Nã si liberũ iudiciũ de ijs reb. i ustituerẽt, sciunt se nõ posse pœnã euadere, nec posse retinere ingentes illas opes quas undecunq; rapiendo sibi collegerunt. Exẽplo sit illis Conestablius de Clisson, q̃ ex eo quod sexdecim cẽtenis millibus librarũ auctus fuisset, omni dignitatis honore muneribusq; publicis destitutꝰ, miserã posteà & priuatã uitã agere iudicio dãnatus est. Nemo ignorat q̃ tenues fuerint Conestablij fortunæ, cùm primum â rege Francisco Primo in regiam acceptus est. Quid ex facultatibus paternis Guisio successione contigerit? Quàm miseris algentibusq; parentibus ortus sit Mareschalchus Andræanus, antequam ad Au- *Tres homines Galliam turbant.*

læ delicias & parum honesta officia uocaretur: Quomodo autem ab ipsis sit administrata Respublica, atq; eo imprimis tempore quo Rex Hēricus regnauit, uel eo cōstare potest quòd Rex Henricus duplo plus insumpserit illis duodecim annis quibus regnauit, quàm Franciscus tribus & triginta annis quibus maxima bella gesserit, & in maximas calamitates inciderit. moriens Franciscus, non exiguam summā numeratæ pecuniæ reliquit. At Henricus æris alieni ducenties & uicies centena millia aureorum Germanicorū, seu, ut loquimur, tres & triginta milliones Francorū reliquit. Quo nā tanta pecunia peruenerit, æquum est istos dicere, cùm eius procurationē habuerint, & eam pro suo arbitrio unà cum Cardinali erogarint.

Gallia æs alienū contrahit.

Ex ijs quæ dicta sunt, satis cōstare putamus Reuerendissimis & Illustrissimis Celsitudinibus uestris, quęnā pars præbuerit causam istis ingentibus calamitatibus, quibus tota Gallia ardet, ac planè euertitur. Nulla est enim illius inclyti Regni pars quæ non redundet sanguine innocentiū hominū. Lutetia iam uerius dici potest piorū hominū laniena, quàm ciuitas, in qua iussu Senatus corruptissimi concessa est plebi libera potestas rapinarū & cædiū, armantur in seipsas eiusdem corporis partes: præcipuas Regni urbes ab aduersarijs crudeliter direptas nemo ignorat: imò totas prouincias ita deuastatas, ut iam Gallia uideat tantùm esse cadauer illius nō ita dudū florētissimi regni, quod à uestris Maioribus tāta indole & uirtute constitutū est. Nullū certè extitit in toto urbe pulchrius monumētū ueteris gloriæ Germaniæ. Nō dubitamus autē uestras Reuerēdissimas & Illustrissimas Celsitudines istis nostris malis grauiter affici: sed hoc parū remedij nobis adfert. In tātis calamitatib. deceret uos pro insita animis Principū Germanorū generositate in hoc incūbere, ut istorū malorū causę tollātur, & miseras reliquias Gallici regni cōseruare, & tāquā naufragij tabulas colligere. Ad quę etiā si uos nō impelleret memoria uirtutis maiorū uestrorū, digni certè sunt uestra cōmiseratiōe afflictissima Regina uidua, & Rex pupillus, cuius eximia indoles omnibus summæ uirtutis spē prębet, si Deus (ut speramus cōfidimusq;) ei uitā longiorē concesserit. Quod si ab omnibus negligātur (pręter id quod metuendū uobis est, ne fax ista contēpta latius prętet incendiū) nos tamē Deus nō negliget, ad quē quotidie clamat innocentiū sanguis crudeliter effusus: cuius se uindicem fore sanctè pollicitus est, qui iustis oculis nostras calamitates cernit.

Principes admoniti ut Galliæ succurrāt.

Nos itaq; à uestris Reuerēdissimis & Illustrissimis Celsitudinibus magnis precibus cōtendimus, ut in Regis, Reginęq; libertatē fauentibus animis inclinetis, ius populi atq; Ordinū, Regni potestatē atq; Edictorū publicorū authoritatē cōseruetis, eosq; à Guisianorū sociorūq; cōspiratione, manifestoq; scelere liberos securosq; reddatis, qua ualetis potestate & cōsilio, reuocatis ex Gallia copijs, quę sub Rochēdolfo, et Ringrauio mœrēt falso Regis adscripto nomine: sed illis interpositis minis quibus in grauioribus causis cōminari soletis: diserteq; phibeatis, ne quisquā ex uestris ad Guisiana castra progrediat. Quod à uobis petimus, Illustrissimi Principes, per antiquā beneuolētiā qua semper Regnū Gallię pśequuti estis: per illud studiū pietatis quo uerę & Christianæ mētes affectæ esse debēt: per Deū optimū maximū cuius honos hic agit: Per unicū ipsius Filiū Iesum Christū qui suā Ecclesiā, cuius hæc causa est, suo sanguine redemit: Per Christianiss. Regis impuberis orbitatē: Per Serenissimæ matris uiduitatē ac solitudinem: Per uicini Regni salutem, et incolumitatem: Denique per antiquam Galliæ & Germaniæ necessitudinem, ac propinquitatem: Per sancta Illustrissimi Principis Condæi in uos amicitiæ & beneuolentiæ iura: Ne in tantis Germanici Imperij opibus tam multa Gallorum hominum millia, totúmque adeo regnum quōdam florentissimū propter triū hominum cupiditatem opprimi & interire patiamini. Deum autem oramus unà cū Filio eius Domino nostro Iesu Christo, ut suę causæ adsit, nec

patiatur

patiatur ſuam gloriam pollui, aut eos opprimi qui ipſum ita colunt, quemadmodum ſe uelle coli per Filium toti mundo reuelauit: Qui ueſtrum Imperium Celſitudinesq; ueſtras ad ſuam gloriam diutiſsimè conſeruet. Diximus.

FANCIS CVS Vuarlut & Alexander Dayken, Tornaci in Flandria decollati ob Euangelij confeßionem, menſe Octob. Anno 1562.

FRanciſcus Vuarlut natus Tornaci in ciuitate Galliæ Belgicæ ſeu Flãdrię, & educatus ab infantia in timore Dei erat: illi fuit adiumento non paruo habuiſſe patrẽ & matrem uocatos ad Euangelij cognitionem in lucem his ultimis temporibus reductã admirabili Dei bonitate: cum ætate iuſta creuiſſet Vuarlutus iſte, magis ac magis media querebat, quibus augmentum eius cognitionis adipiſceretur, utq; frueretẽ pietatis exercitijs, quorum praxis eſt in Eccleſijs iuxta uerbũ Dei reformatis. Neq; ſuo fruſtratus eſt labore, poſteaquam curſus eius finis honorificus admodũ fuit, ut paulo pòſt breuiter uidebimus. Is ergo, parentũ aſſenſu, relicto natiuo ſolo, profectus eſt in Flandriæ oppidũ Hontſcot uocatũ, ubi aliquandiu negociatus, uidensq; omnia diſſolutionis & lubricitatis plena, ſe Francofortũ contulit. Ibi parũ moratus, paulo pòſt Argentinam peruenit, & tandem Geneuã: ibi ut uictũ acquireret, conficiendo panno eo ſe dedidit, quem Galli uocãt Sarges drappees. Sed cõtinua ordinariarum precũ frequentatione ſuperabat omnes difficultates, quas omni tempore Sathan ob oculos eorum ponere conſueuit, qui in aliena ſunt regione, ut eos à bono diuertat & perturbet. Cùm uerò aliquot annos magno animi fructu ibi egiſſet, conſtituit aerem mutare ob ægritudines quibus corpore infirmatus erat, atq; Aureliam profectus eſt circa annum 1559: quo in loco inſtructus perſeuerantia, fidelium conſortio fruebatur: in quorum congregatione Vuarlutus ſuæ fidei confeſsionem magno omnium cõſenſu, habuit. Huius autem ſocietatis uiri præcipui cùm uiderent in hoc iuuene utcunq; literato exquiſita dona, inſtanter hortati ſunt, ne talentũ à Domino acceptum in terram defoderet: non ut ob hoc uocationẽ ſuam relinqueret, uerũ ut ſuæ regionis homines ſolaretur. Hic ergo firmo ſpiritu ductus, acquieuit his hortationibus: & intelligens credentium numerum Tornaci augeri, illuc ire conſtituit, ut ædificationi auxilium ferret indies creſcenti. Cùm ergo illuc peruenisſet, & ſeſe fidelium corpori adiunxiſſet, non ceſſauit ſpacio ſesquianni pauperes ignaros ad Ieſum Chriſtum conducere. Cumq; eſſet in ſuæ ætatis flore, maior pars iuuentutis Tornacenſis ſuo exemplo ipſiusq; adhortationibus non modò inſtructa fuit, uerùm etiam ex ſtatu uel ritu uanitatis & ſtultitiæ pleno perducti ſunt ad talem uitæ mutationem, ut quiſque admiratus ſit: Quod in cauſa fuit, ut paulo pòſt inimici ueritatis eũ odiſſe ceperint, ac perſequi cogitarint: ſed dum non ſufficientem occaſionẽ mouendæ perſecutioni reperirent, timentes populum, quieſcere permiſerunt, donec enata eſſet perſecutio in ea ciuitate anno 1561. Cùm enim populus magna multitudine congregaretur in foro atque Dauidicos Pſalmos caneret, queſierunt Vuarlutum capere, ut ſeditioſum & huius motus reum. quem cùm non inueniſſent, tubæ ſonitu (ut fieri ſolet) proſcripſerunt à ditione regis Hiſpaniæ, idque ſub uitæ pœna: abſens factus, in Gallias ſe contulit, tunc cùm libertas data fuit edicto Regio, publicè annũciandi uerbi Dei. Illic cùm ageret, pluries à miniſtris adhortatus eſt tam Rothomagi quàm Aureliæ, ut ſe totum dederet ſtudio ſacrarum literarum, quo Verbi miniſterio inſeruiret, quandoquidem meſsis ubique multa poſtularet tales idoneos ſpiritus ad ignaros docendos. Conſtituit uerò ac concluſit, non obſtante proſcriptione, reuerti in inferiorem Germaniam ſeu Flandriam ut eos reuiſeret, quos Deus, ipſius medio, ad ueritatis cognitionem traxerat: plures autẽ alij, ut honeſtus frater, ſoror, & amici eius, qui ex eadem perſecutione Aureliam ſe contulerant, proponentes

Belgarum eccleſia indies aucta.

illi

illi discrimen in quod se cõijciebat, tale ab eo responsum tulerunt: quod se ad hoc faciendum impelli sentieret, neque posse Dei Spiritui resistere. Aurelia discedẽs uisitatum fratres profectus est tã Tornacũ quàm ad alia loca, ut sunt Isle, Ipre Hontscot, Armentire. & eos Verbo Dei consolatur spacio quatuor aut quinq; mensium: sed cũ tandem Tornacum eadem causa uenisset, captus est à ueritatis hostibus, ut fusius ac melius ipsius literis in carcere cõscriptis et postea lingua Gallica ẽditis cognosci potest: nos enim breuitati studẽtes sum mã tantum huius historię excerpere atq; Martyrologio nostro inserere uolui mus. Sed interea scribã quid fideles testes de Alexãdro Daykẽ referãt, qui illi us socius fuit & in eadẽ causa reus. Is Brabãtus erat: qui in sua adolescentia se-

Alexandri cõuersio.

cutus est aulam Bruxellis: cuius aulicæ seruitutis pertesus Romam iuit, ibiq; spacium trium annorum cõmoratus, didicit caligariam artem in Iesuitarũ ẽdi bus, cum adhuc in summa ueritatis ignorantia esset: Sed Dominus Deus illũ hisce alijsq; medijs ad se cõuertit. Cùm enim Epicurismũ aliaq; passim uitia Romæ uideret & audiret, præsertim apud illos hypocritas Iesuitas, ita ei in contemptũ adduxerunt doctrinam Papę, ut relicta illa urbe uenerit in Rhæ torum regionẽ, ubi etiam Verbũ Dei audiuit: inde Geneuã profectus ut ma iorem nimirũ instructionẽ adipisceretur: atq; ita paruo tẽpore profecit in uia Dei ut longũ foret fructus recensere, qui ab eo præsertim in patria sua produ cti sunt. Tandẽ, cùm ambo iã dicti essent Tornaci alijs doctrina & uitæ exem plo instruẽdis intenti, semel circiter centũ quendã uerbi ministrum comitan tes, exierũt in nemus, ut Verbũ Dei audirẽt, & cãtu Deum laudarent: id quod in ciuitate nõ licebat. At inimici ueritatis et ministri sacrificorum hoc clam sci entes exierunt armati, & supra triginta ceperunt atq; cũ his hos duos ut præ cipuos, qui à magistratu & assessoribus monachis & alijs examinati & equu-

Martyrum pa tientia.

leo torti semper intrepidè respõderũt, et ueritatẽ Scripturis sacris tutati sunt: omnes autẽ eorum responsiones & acta excusa superiori anno seorsim quo dã libello extant (quæ ut diximus) hoc loco omittimus. Igitur die supradicto mense & anno cũ ambo intrepidè perseuerarent in fidei syncera cõfessiõe, at que præsentirent se pro more cõburendos esse, ambo cœperunt psalmum ca nere: sed complere nõ potuerunt, impediti à rumore astantiũ & ludicum. Po stea multis ac omnino solidis admonitionibus alloquebãtur eos qui cõtra se se sententiam mortis tulerant. cũ uerò illi ambos hortati essent ad supplicium citò transeundũ, deductus est Varlutus prior ad locũ ubi capite truncandus erat, genua flectẽs in sabulũ, quod paratum erat sanguini recipiẽdo, orauitq; Deũ, ut in sese cõpleret promissiones factas per filiũ suum Iesum Christũ, om nibus eius humilibus & inutilibus seruis, qui uirtute Dei usq; in finẽ perseue rauerint: Deoq; suũ Spiritũ commendãs, cœpit symbolũ enarrare: Credo in Deũ Patrẽ omnipotentẽ &c. sed antequã compleret, carnifex gladio percus sit atq; caput abscidit. talis fuit laudabilis exitus Vuarluti.

Statim postea adductus est ad locum eundẽ Alexander, qui interea spe ctatores docere ac monere nõ destiterat, ita ut omnes eius constantiã & gra tiam mirarentur, & stuperent: positis igitur genibus, orauit, omnibus audien tibus, solidis præcibus Deũ: & cùm finiens cœpisset orationem Dominicam, uix ea cœpta obtruncatus est. fuit autem eorum mors sacrificiũ boni odoris coram Deo & angelis eius, adeoq; magnæ cõsolationi pauperi & afflictæ Ec clesię. Nã cùm decreuissent iudices cadauera ipsorum publica in uia affigere, factum est uel metu populi, uel potius Dei prouidentia, ut eadẽ illico magna circunstantium commiseratione terrę mandata sint. Sic pergit Dominus De us electos suos in æternam requiem pertrahere, cui sit laus honor & gloria in hoc & futuro seculo. Amen.

HORREN-

HORRENDVM prælium in Gallia inter diſſidentes partes commiſſum 19 Decemb. 1562.

EO tempore dum principes Germani Francoforti comitia celebrarẽt, diſſidentes partes in Gallia quas potuerunt maximas copias peditum atq; equitum hinc inde collegerunt. Propterea ex multis nationibus Germanis, Gallis, Anglis, Hiſpanis, & Italis exercitus conflati ſunt. Cùm autem utriuſq; exercitus duces timerẽt, ne tandem in tanta rerum caritate cõmeatu laborarent, extra urbes progreſsi, atq; ſub dio caſtra metati ſunt: ſperabant inſuper funeſtum hoc bellum unico prælio finiri poſſe, præſertim cùm pecuniarum inopia à uictis non facile nouæ copiæ conſcribi poſſent. Idcirco Condæus princeps Aurelia cum ſuis confœderatis diſcedens, Lutetiã uerſus profectus eſt, ut itineribus obſeſsis eos cõmeatu intercluderet. Guiſiani uerò magnis ijsq; inſtructiſsimis copijs, Helueticoq; peditatu fortiſsimo, obuiã progreſsi, certam ſibi uictoriam pollicebantur. Sic tandẽ inter Carnutes & Pariſios in loco campeſtri Meſiers exercitus cõſedêre. Etſi uerò uterq; exercitus copioſo eoq; optimo milite conſtabat, tamen Guiſiani peditatu, Condenſes uerò equitatu Germanico præualebant. In eo loco per dies aliquot excurrentes uelitationes quędam habitæ. Tandem uerò in uigilijs S. Thomæ 19 Decembris acies inſtructæ atque propius ad hoſtem adductæ ſunt. Tum demum quiſque ducum ſuos adhortando nihil intentatum reliquit, quò alacriores ad pugnam progrederentur. Poſt meridiem itaq; tormentis agi cœptum, deinde infeſtis animis concurſum fuit. Equites Germani pro more fortiſsimè dimicabant, atque quocunque ruebant, hoſtem ſuo loco mouebant. niſi etiam Heluetiorum phalanx fortiter inſtar muri ſeſe ijs oppoſuiſſent, certe Guiſianorum res in ſummum diſcrimen adductæ fuiſſent. etſi enim Condenſes illi aliquoties ordines eorum perrupiſſent, nihilominus tamen ſeſe mox denuo coniungentes, comínus equites haſtis ſuis de equis perturbabant. Idem & Hiſpani factitarunt. Pedites uerò Germani Condenſes, metu perculſi, ſtatim armis abiectis, ſeſe turpiter hoſti dedidere. Sic toto die diuerſis animis pugnatum, & aliquoties Germanorum equitum peditumq; Gallorum uirtute prælium reſtauratum fuit. Multi utrinque cadebant, pluresq; uulnerabantur, ita ut quęlibet pars per aliquot horas certam uictoriã ſperaret. Hacq; ratione perrexerunt, donec tandem noctis interuentu prælium diremptum fuerit. Tum enim Condenſes ſeſe in ſua caſtra receperunt, Guiſiani uerò ibidem, ubi pugna commiſſa eſt pernoctarunt. Aliquot millia utrinque deſiderata dicuntur, ſed multo plures Guiſianorum ut cæteros taceam. Nam ex 21 centurionibus Heluetiorũ, quindecim eo die interiêre. antea uerò Frœlichius ſummus eorum dux fatis conceſſerat Lutetiæ. præterea dominus Mareſchalckus de Sancto Andrea, Comeſtabili filius & princeps Niuernẽſis cum multis alijs generis nobilitate & dignitatib. clariſsimis uiris interfecti, ipſeq; Momorantius Comeſtabilis cum alijs captus fuit. Hiſpani etiam magna ex parte cæſi ferũtur. Ex altera uerò parte optimi quique milites ex diuerſis nationibus occiſi, præterea Condenſis princeps ſui exercitus Imperator, cum longius excurreret, captus eſt. In huius locum ſtatim D. Amiraldum, hominem magno loco natum & militem ſtrenuum, cui præfectura claſsium maritimarum hactenus commiſſa fuerat, confœderati ſibi ſummum ducem elegerunt. Cùm itaque hac ratione acriter pugnatum, ita ut neutri uel uictores uel uictos eſſe re uera cenſeantur, uterque exercitus ſeſe in tutum recepit, atque per dies aliquot milites uulneribus curandis occupatis quieuerunt.

Heluetiorum fortitudo.

LVGDV-

LVGDVNENSES IN magno periculo 1563.

QVum hac ratione in Gallia ubique bellũ ferueret, atq; quælibet factio alterius partis duces in ſuam ſententententiam adducere conaretur, tandem factum eſt ut præter omnium expectationem Baro Sadreſsius Lugdunenſium dux ſtrenuus, qui hactenus multa præclara facinora circa urbem peregerat, magnis promiſsis & pollicitationibus perſuaſus, ad Guiſianos tranſire ſtatuerit. Vt autem magno quodam ſcelere ſibi hoſtem reconciliaret atq; fidem ſuam comprobaret, propoſuerat Lugdunum cum circumiacenti agro proditione inaudita, hoſti tradere. Proditio tamen hæc in tempore detecta, atque proditor Sadreſsius Valentiæ captus, atque in cuſtodiam traditus fuit. qui etiam poſtea, meritas pœnas luens, capite plexus eſt. Interim tamen Nomorenſis dux, qui ijs in locis Guiſianis copijs præerat, ſtatuto die, qui erat 16 Ianuarij, ante ſolis ortum cũ ſuis copijs Lugduni comparens, fortunam tẽtare auſus eſt, ſcalas enim muro admouit, atque urbem magna ui oppugnare cœpit. ſperabat enim hanc proditionem nondum detectam, aut hac ratione ſuos fautores aliquid noui in Vrbe incepturos. Verum ciues atq; milites qui in præſidio erant, atque hoſtium conſilia antea norant, fortiter ſeſe coniungentes, hoſtem magna clade affecerunt, atque procul ab urbe repulerunt.

PARTES DISSIDENTES denuò in Gallia congreſsi menſe Ianuario 1563.

Angli Galliam inuadunt.

CVm uideret Eliſabetha regina Angliæ Guiſianorũ copias indies in Gallia augeri, atque hiuc inde plurimos martyres fieri, nec ipſa ſuæ religionis confœderatos deſerendos eſſe rata eſt. Itaque nouas copias in Galliam miſsit. Cùm autem hi aliquot loca in Nordmania occupaſſent, atque unicè eò reſpiciebant ut ſeſe cum equitatu Admiraldi coniũgerent, Guiſiani eos impedire atque Germanos, Anglis obuiam progreſſos, inuadere ſtatuerunt. Loco itaque opportuno menſe Ianuario eos inuaſerunt. Verùm equites Germani pugnam haud quaquam detrectantes hoſtem fortiter exceperunt. res primò bombardis minoribus eminus, poſtea comminus gladijs acta fuit. Itaq; magna ſtrages paſsim ædita, atque ex parte Guiſianorum circiter mille equites deſiderati eſſe dicuntur. Cùm autem illi eſſent inſtructiſsimi & peditatu muniti etiam ex Admiraldicis multi occubuerunt. Hac ratione uiam armis patefacientes Anglis ſeſe coniunxerunt, atque in ſua caſtra reuerſi ſunt.

GALLIA NOVO MILITE à factionibus inſtructa in Feb. 1563.

ETſi infeſtis animis factiones Galliæ aliquoties magna utriuſque partis iactura congreſsi eſſent, adeoque nuper Guiſiani denuo in portus alicuius oppugnatione infecta re diſcedere cogerentur, ita ut copiæ paulatim utrinq; diminuerẽtur: licet etiam Lutetię maxima moles tormentarij pulueris de improuiſo incenſa circumiacentes ædes cum multis hominibus ingenti terrore abſumpſerit, ut niſi mens cæca eſſet, fatendum ſit Deo huiuſmodi cruẽta Chriſtianorum bella diſplicere, nihil ominus tamen ſub initium ueris nouus militum ubique delectus haberi cœptus. Guiſius enim apud ſuæ religionis ſocios diligentiſsime egit, ut ſubſidia mitterẽtur. Reingrauius etiam cognitos aliquot Centuriones ex finibus Germaniæ cum peditatu ad ſeſe conuocat.

Simili ratione Admiraldici hortantur cõfœderatos, ut ſtrenuè Verbo Dei inſiſtant atque Euangelij doctrinam fortiter tueri pergant. Effecerunt quoque per D. Andelotũ uirum ſtrenuũ & per Germanos equites, ut nouæ turmæ eæq; inſtructiſsimę equitum, unà cũ peditatu hinc inde ex Germania in Galliam proficiſcerentur, adeò ut non immerito timendum ſit hac animorũ offenſione magnam humani ſanguinis effuſionem breui ſubſecuturam.

PAX

PAX GALLIAE OMNIBVS Christianis exoptanda

IN huiusmodi Gallicorum bellorum tumultibus inuenti sunt homines quidam magna authoritate, prudentia, & potentia præditi, qui Martio mense non destiterunt pacis aliquas rationes excogitare: quamuis enim hactenus iniquissimę conditiones Euãgelicis fuerint propositę, sperandum tamẽ Dominum pro sua misericordia tandem principum & magnatum corda emollieturum, ut belli cogitationibus depositis toto pectore ad diuturnam pacem inclinent. quod quidem ut fiat omnibus Christianis summe est necessarium. Propterea optimè factũ à pijs quibusdã & doctis uiris, qui rationes & media Gallicæ pacis, orationibus æditis, luculẽtissime explicarũt, quas etiã (nisi breuitati studeremus) hoc loco subiecissemus. Quod si enim Galliæ proceres eo furore animorum inuicem sęuire pergant, uerendum est ne alij reges & principes, dũ quisq; alterius partis causam tueri cupiunt, paulatim sese etiam crudelissimo huic intestino bello implicent, hacq; ratione alios Monarchas & regionum præsides ad iram prouocent.

Hoc autem quam periculosum & calamitosum esset Ecclesiæ atque Christianæ Reipublicę, nemo mente præditus ignorat. Dum enim omnes illi sese mutuis cladibus atterent, proculdubiò Christiani nominis ex cõfesso crudeles hostes Turcæ, Moscouitæ, Tartari, Arabes, Mauri, aut similes Machumetani & Idolorum cultores, ex diuersis partibus mũdi ingruentes, quic quid adhuc in Europa Christianis supereſt, diripient, expugnabunt, atque in miseram seruitutem conijcient, id quod Græcis etiam & alijs potentissimis populis terrarum factitatũ legimus. Quin potius per uiscera Domini nostri Iesu Christi, cuius nos omnes filij, fratres, & membra esse exoptamus, & per Christianæ reipublicę tranquilitatem, atq; uenturos Posteros, omnes Christianorum reges, principes, & Magistratus hortamur, rogamus, & obtestamur ut omnia sua consilia eò dirigant, atq; collatis sententijs efficiant, quò tandẽ crudelissimum hoc Christianorum intestinum bellum tollatur & cõponatur, ne tot martyres, tot Christiani sanguinis profusiones indies conspiciantur. Supersunt multę rationes quibus hæc fieri possunt, dumodo cæca illa ulciscẽdi libidine sepositа, animus re uera ad pacẽ respiciat. Sicq; tãdẽ fiet ut collatis opinionibus & sententijs, atq; sacris literis diligenter inspectis Deum unanimiter inuocemus, colamus, et honoremus, Christum q; filium eius unicũ mediatorem, salutisq; largitorem agnoscamus, ut in hac terrena uita Dei donis pacifice fruamur, & tandem cũ Deo patre, filio, & spiritu sancto, omnibusq; Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Confessoribus, & Martyribus in regno cœlorum uiuamus, gaudeamus, & triumphemus per omnia secula Amen.

Christianorũ periculum.

ERRATA INTER EXCV-

dendum commissa

Lege fol.8 lin.41 nostram f.20.l.19 separabit.Ibid.l.23 suam f.26.l.42 scatebat.f.30.l. 15 eundũ.f.30. l.3 curauerũt.Ibid. l.10 est.f.33.l.26 historias.f. 34.l.7 cõflarat. Ibid.l.10 in officio.f.34.l.4 inter quos. Ibid.l.6 Sic quoq;.f.36.l.27 adornatas.attulerunt . f. 38.l.28 crederent.f.45,l.3 perseuerantiam.f.49.l.2 Quum Ibid.l.41 iuramenta.Ibid,l.47 excitare.Ibid.l.52 uestrum.f.60.l.12 luctuoso.f.83.l.12 minas et preces.f.85.l.28 nec possem.Ibid.l.35 Cui ego.Ibid.accipiunt.f.100.l.30 plecteretur.f.105.l.26 exercitatus.f. 142.l.19 præsidis.f.143.l.48 curaturos.f.16.l. fraudes nectere atq;. f.162. l.14 indicaretur.f.165. l.15 honore.f.172.l.8 aduocatos.f.179.l.41 ut ibi.f.18.l.3 proclamationem.Ibid.l.11 contrario.f.181.l.37 inuenerint.f.183.l.45 perduci.f.184.l.36 captiuis . f.185.l.25 Lutetiæ.f.186.l.30 obstupefactus.f.187.l.42 causa charißimi.f.189 l.2 tutò.Ibid.l.13 sententia.f.192.l.20 celebrationem,f.195.l.34 oraturos.f.197.l. 40 ex historia.f.198.l.22 nolebãt enim.f.210.l.18 quis ipsos.f.213.l .33 exhibete.f.216.l.52 pro Ioãnes pone, Duæ f.219.l.4 olim subita consternatione.f.220.l.8 acceperam,tu.f.224.l.36.2 cap.f.232.l. 27 mercmur.f.233.l. 45.differentia f.238.l.15 studentes.f.248.l.25 adiudicaturi essent.Ibid.l.46 incendi actutũ.f. 261.l.3 cœperint.f.268.l.9 quumq;.f.273.l.34 uitæ .f.279.l.44 remissus . f.280.l.46 aduersarijs. f 289.l. 6.susceptæ. f.290.l.9 satisfactio.Ibid.l.48 sententiam.Ibid.l.50 annuntiarent.f.292 Ecclesiam.Ibid.unquam.f.393.l. 16 afferat.f.296.l.9 itinere.Ibid.l.33 animum.f.298.l.14 affectum.f.300.l.34 populo.f.302.l.6 consiliarijs.f.304.l.47 traducti.f.309.l.36 ubi senatusconsulto.Ibid.l.47 sed.f.310.l. 51 canunt.f.316.l . 43 prorsus.f.327.l.51 cõsolationi.Ibid.l.25 etiam f.328.l.51 Polonus.f.330.l.9 cœlesti.Ibid.l . 48 improperantiũ. f.331.l.1 & quæ factæ.f.34.l.51 morior.f.337.l.12 peruenit.f.340.l.7 adulatorum f.345.l.40 Monceaux. f.346.l.20 reuertuntur..f.351.l.31 torquet.Ibid.l.42 accedendum. f.342.l.36 suum in, f.358,l.2 sentiret.f.355.l.22.dignitas.f.360.l.22.hinc inde.Reliqua dili gens lector facile emendabit.

INDEX

PERSONARVM ET RERVM
copiosissimus Index.

A

Abominatio in Pontificijs 19
Adauctus unde dictus 150
Adolphus Clarenbach Coloniæ exustus 66
Aegidius Bruxellensis exustus 101
Aegidij pietas erga proximum 102
Alba uestis adamata 253
Alencij cum Papistis disputatio, de senatusconsulto contra Merindolienses 114
Alexander Canus Lutetiæ exustus 76
Alexandri morituri concio 77
Alexander Dayken Tornaci decollatus 356
Alfonsus Viues Hispanorum dux occisus 200
Alphonsus fratri Diazio insidiatur 163
Alphonsi parricidæ astutia 168
Alphonsus parricida se ipsum suspendit 173
Ambrosius Blaurerus in exilium missus 200
Anabaptistarum furor in Vuestphalia 73
animarum purgatorium ubi sit 251
anglia Missam abrogat 199
anglorum calamitas 249
anglorum exilium sub Maria regina 328
anglicanæ persecutionis finis 335
angli sub Condæo Principe militant 347
anglicus sudor 67
anna Audeberte Aurelijs exusta 185
anna Gilloti pia uxor exusta 214
annas à Burgo Lutetiæ martyr 337
antonius princeps Lotharingiæ contra Euangelij doctrinam 54
antonius Laborierius Cameriaci exustus 310
antonij Laborierij epistola ad fratres 316
antonius Magnæus Lutetiæ crematus 284
antonius rex Nauarræ gubernator Galliæ 339
antonius rex Nauarræ interijt 347
antonia uiua defossa 97
Apocryphis non fidendum 225
appellationis martyrum causa 278
aresti exemplum 179
argentorati Euangelium susceptum 68
arma carnalia pijs non usurpanda 212
articuli pijs obiecti in carcere 210
aruernia pijs repleta 180
Aue maria, an dicendum 43
auenione consultant episcopi contra Vualdēses 118
augusta uindelicorum Euangelium susepit 81
augustana confessio ædita 72
augustana confessio Gallis proposita 351
augustana armata comitia 199
augustinus tonsor exustus 188
aureliæ dux ferè à rege separatus 351
auricularis confessio mala 89 uide confessio
Aymondus à uia Burdegali exustus 103
aymondi constantia in tormentis 105

B

Bambergenses duæ puellæ interfectæ 217
baptismus quid 88
baptismi ratio 133
barthelotus Milonus exustus 79
basilcæ Euangelium susceptum 68
bassinetus defendit Auenione Lutheranos 120
Bedda insidiatur pijs Lutetiæ 70
belgarum ecclesia aucta 357
belloiocius excusat Vualdenses 115
belloioci zelus contra scortum 117
bergibani inconstantia 99
berna euangelium recipit 63
bernensium in Galliam profectio 346
bernardus Seguinus Lugduni exustus 227
bertrandus Blasius Tornaci martyrizatus 307
bertrandus Batallius Cameriaci exustus 310
Biblia auenione exusta 123
Blasphemi à pijs notantur 187
Bohemorum amor erga Hussum 9
Bohemorum in doctrina Euangelij constantia 30
Bohemorum ministri in exilium acti 309
bona opera quæ 87
bonauentura prouincialis Lotharingiæ accusat pios 57
Bremensibus Euangelium prædicatum 36
brulij epistola ad fratres periclitantes 90
brulij martyrium 96

C

Cabellionēsis episcopi furor contra Vualdenses 138
cabriere excidium 111
cabrierenses à Sadoleto admoniti 137
cabrierensium excidium 144
Cœlius secundus Galeazium instituit 246
cœnæ institutio 268
cœnæ dominicæ explicatio 77
cœnæ domini explicatio 256 & 262
cœnæ dominicæ ratio 113
cœnæ domini usus 221. uide corpus.
Calabriæ persecutio 337
caliga hippocratica tormenti genus 184
candiensis nobilis combustus 32
canes contra pium sacerdotem incitati 80
canonicorum uita depicta 176
cantionis piæ solatium 280
capita Georgio Carpentario obiecta 61
captiuorum in S. spiritu gaudium 235
carceris Tornaci impuritas 98
carceris miseria 242
carcer schola filij dei 236
carcer fidelium paradisus 176
carcer martyrum pro palatio habetur 211
carnis infirmitas à deo corroboratur 327
carnifex à martyre cupit aufugere 204
carnifex à martyre osculatus 328
caroli imperatoris clementia 144
carolus imperator officij sui admonitus 154
carolus cæsar officij admonitus 188

Carolus nonus rex Galliæ electus 339
Caspar Thauber Vuiennæ decollatus 39
Catharina regina Galliæ Condæo scribit 354
Conradus Lutetiæ Christum prædicat 79
ceremoniarum usus 230
certitudo gratiæ Dei 314.& 323
chagnardi qui 111
charitas hodie defecit 212
chartæ penuria laborant martyres 325
Christus solus caput Ecclesiæ 231
christus martyribus sit exemplo 93
christi abnegationem sequitur pœnitentia 59
christi corpus ut in cœna 134.& 250 Vide corpus
christianus Dei beneficia quotidie sentit 243
christiani multi in Rheno submersi 37
Christiani non prodendi 109
Christiani impijs non prodendi 207.& 210
christianorum iniqua conditio in hoc mundo 237
christianorum hoc tempore ab ethnicis periculum
cibus cur pijs sumendus in periculis 214 (360
ciborum abstinentia quæ 136
Claudius pictor Lutetiæ exustus 82
claudius Senarcleus Diazij amicus 169
claudius Thierrius Aureliæ exustus 199
claudius Monier Lugduni exustus 208
claudij Monerij mira constantia 214
conciliorum authoritas 314.& 322.
condemnationis formula 179
Condæus princeps à regina monitus ut Guisio resistat 353
condæi principis excusatio 345
condæus princeps captus 358. Vide Ludouicus
confessio fidei uera 85
confessio Merindolienſium 130
confessio fidei à Godefrido ædita 220
confessio à Petro scriba ædita 228
confessio fidei à Peloquino ædita 250
confessio Marsaci 254
cofessio Dymoneti 262
confessio G. Neeli 268
confessio auricularis an bona 250
confessio auricularis confutata 292
confitendum uni Deo 229.& 232
confessionis tria genera 64.& 89
confessio fratrum quæ requiratur 277
coniugij usus pijs non interdicendus 252
coniugij laus 223
coniuges in martyrio se mutuo hortantur ad patien/
conscientia mille testes 190 (am 190
Constantiense concilium Hussium uocat 3
constantienses ciues aliquot occisi 199
constantiæ memorabile exemplum 308
constantinus Northmanus cum tribus socijs Rothomagi interfecti 83
contiennti æ donum non aspernandum 244
corona papiracea Hussio imposita 22
corona triplex Antichristi 136
corpus christi quomodo in Sacramento 229
corpus christi ut in cœna 269.& 270, 301. 303 313.& 325. Vide cœna
costa ui expugnata 144
Crœsus pius concionator occisus 218
crudelitas Iudicum 76.& 81
crudelitas plus quàm Scythica in pios 144
crudelitatis exemplum 309
crux fit Idolum 155
crux non adoranda 182
cruce probantur fideles 91.& 98
cultus Dei quis 134

D

Dæmones insidiantur infidelibus 194
Dauid semper Deo gratus 197
decretum contra pios publicatum 180
degradationis formula 40
degradationis mysteria 41
desperationis memorabile exemplum 193. & 195
Deus pater, filius, & spiritus sanctus 130
deus ligneus sanctis ignotus 56
dies precum cur instituti 293
dietmarenses persequuntur Euangelium 36
Dionysius de Rieux Meldis exustus 66
Dionysius Peloquinus Eleutheropoli exustus 249
Dionysius Vayrus Rothomagi crematus 306
disputatio Badensis & Bernensis in Heluetia 63
disputando martyres superiores sunt 318
doctores Theologiæ ueritatem audiẽtes Euangelium amplectuntur 142
domini erga famulum pietas 218
dominicaster Euangelium perstringens fulmine interijt 218
dominicus à Basana Placentiæ religionis causa suspẽsus 205
ducenti martyres in Belgis facti 102
dymoneti constantia 244

E

Ebrietatis uitia 81
Ecclesia quid significet 7
ecclesia uera quæ 132.& 286
ecclesia sancta quæ 106
ecclesiæ ueræ authores. 280
ecclesiæ authoritas ex uerbo Dei 293
ecclesia semper in paucioribus 276
ecclesiarum dissensio nulla 295
eclypsis solis in Hussi accusatione 12
Eduardi regis Angliæ mors 249
electorum numerus exiguus 314
Elisabetha regina Angliæ 336
Enzinas Burgensis Romæ exustus 177
Episcoporum potestas 39
episcoporum consilia contra Lutheranos 218
episcoporum conuiuia 121
Erasmus non uult piorum causæ immiscerì 69
est, in sacramento pro significat 233
est, pro significat in cœna 335
euangelij authoritas unde 272

Euangelij doctrina defensa 55
Euangelij doctrina calamitates mitigat 202

F

I. Faber insidiatur pijs 71
facultas Theologica non lacessenda 70
Faninus Ferrariensis martyr 200
fanini mirabilis constantia 203
fanini scripta 205
Ferdinandus imperator electus 335
feretus programatis in Missam ædidit 79
festi dies 229
Fides quid 88. & 135
fidei ratio etiam paruulis Merindolij cognita 139
fidei breuis confessio 153
fide aliqui abutuntur 196
fides non armis propaganda 212
fides non seruata pijs 143
Flandrica persecutio 101. & 1
florentinorum tumultus 33
Florentius Venotus Parisijs exustus 184
Franciscus rex Euangelicis iratus 79
franciscus rex fauet Vualdensibus 126
franciscus rex Galliæ mortuus 199
franciscus Vallerius Florentiæ occisus 35
franciscus Bribard in Gallia martyr 84
franciscus Encenas captus & miraculose liberatus 101
franciscus clericus martyr 146
franciscus Sanromanus Burgis exustus 151
franciscus Dryander 154. & 177
franciscus Thiesen exustus 156
franciscj Spieræ horrenda historia 190
franciscus Spiera ueritatem abiurat 192
franciscus Gamba Comi strangulatus & exustus 296
franciscus secundus rex Galliæ electus 336
franciscus Guisius armatus Lutetiam ingressus 345
Vide Guisius
franciscus Vuarlut Tornaci decollatus 356
franciscani non lacescendi 217
fratrum omnia communia 210
Funis pro zona sponsi habetur 185
Funis insigne ordinis Christiani 261

G

Gabriel Beraudin Chamberaci exustus 206
Galeazius Trecius in laude Pompeia exustus 246
Galeazius post cõdẽnationẽ ludibrio expositus 248
Gallia æris alieni magnam summam contrahit 348
Gallia nouo milite instructa 359
galliæ conuentus religionis causa 340
gallica horrenda persecutio 345
gallici belli explicatio 348
gallis Euangelium prædicatum 352
galli legum suarum tenaces 349
gallorum triginta millia in 4. mensibus occisa 355
gallorum prælium horrendum 358
gamaliel nullus hodie 76
Geneuensis ecclesia emittit præcones Euangelij 310
Georgius Carpentarius in Bauaria exustus 61
georgij constantia 62
M. Georgius in Saxonia occisus 63
georgius Scherrerus Rastati decollatus 68
georgius Maurelus Vualdensium legatus 112
georgius Forchemius Erphurdiæ ueneno sublatus
gerardus Lutetiæ Christum prædicat 79 (265
Germaniæ pax in religione 332
germani à Praga recedunt 2
germani equites in Galliam tendunt 347
gerson accusat Hieronymum 26
Gillotus Viuier exustus 214
Glaronenses Euangelium suscipiunt 339
Godefridus de Hamelle Tornaci exustus 219
godefridi confessio fidei 220
godefridi constantia mirabilis 226
Greuæ locus Parisijs supplicio destinatus 70
M. Gribaldi cum Spiera colloquium 195
Guilhelmus martyr 112
guilhelmus Briconnetus uerus episcopus 146
guilhelmus Michant exustus 190
guilhelmus Gardinerus in Hispania occisus 227
guilhelmus Neel Aurimci exustus 268
guilhemus Alencõ cum panni tonsore Monspessuli exusti 284. Vide Vuilhelmus.
guyrandius Tauranus Cameriaci crematus 310
F. Guisius in Galliam reuocatus 35
guisiani in Gallia læsi 359

H

Hasurdus monachus pijs insidiatur 98
hæretici morte mulctandi 319
Heinricus Sudphenus in Dietmaria occisus 35
heinricus Voes Bruxellis exustus 38
heinricus Flander Tornaci combustus 66
heinricus Cuberonensis 80
heinricus Hutinotus martyr 146
heinricus rex Galliæ electus 199
heinricus Galliæ rex à martyre ueritatem audit 180
heliodori horrenda mors 219
Heluetiorum bellum ciuile 72
heluetij in Galliam profecti 346
heluetiorum fortitudo 358
hermannus elector Colonienſis officio motus, relegionis causa 178
Hieronymus Hussij amicus 25
hieronymi accusatio 26
hieronymo saluus conductus negatus 25
hieronymus reuocat suam sententiam 27
hieronymi eloquentia 28
hieronymi martyrium 29
hieronymus Sauonarola errores pontificiorum reprehendit 33
H. Sauonarola accusatus 34
H. Sauonarola cum duobus socijs suspensus 34
hispanorum nota infamiæ 177
hispani constantiam oppugnant 200
Horrendum facinus in Vasseio oppido 342

Hoffmanni infelix exitus 218
hospitij iura uiolata 46
hospiniani Badenis decollati 61
hostiæ consecratio in Missa 289
hostia sacrifico è manibus proiecta & cõculcata 307
hostius aut Georgius de Catilinæ Gãduai exustus 299
Hubertus Cheriet Diuione combustus 198
huldricus Zuinglius interfectus 72
Io. hussus reprehendit errores Romanæ Ecclesiæ 2
huſsi nomen unde 2
huſsi authoritas in Bohemia 3
huſsi conspectus Germanis gratus 5
hussus Constantiam uenit ibidem
In husso uiolatur fides publica 6
hussus male exceptus Constantiæ ibidem
hussus captus Constantiæ 7
huſso articuli obiecti ibidem
huſso iudices ordinati 8
hussus in carcere libros conscribit 9
hussus clamore aduersariorum obruitur 11
huſsi accusatio 8. & 12. & 14
hussus à Bohemis excusatus 10
hussus ad Palinodiam solicitatur 13
hussus hortatur Bohemos ad constantiam 16
huſsij constantia 16
huſsi amici in Concilio 17
huſsi libri exusti 17
huſsi somnia 19
hussus se excusat 21
hussus in tẽplo degradatus & condẽnatus 20.21 & 22
huſso silentium indictum 21
huſsi uestes & omnia alia exusta 24
huſsi martyrium 24
de huſsio diuersa iudicia 23
huſsi uaticinium de Luthero 31
huſsitica moneta ibidem
hypocrisis memorabile exemplum 303

I

Iacobus Pauane Lutetiæ crematus 59
iacobus Chobardus in Lotharingia exustus 103
iacobus Bauchobecus Martyr 146
iacobus Bouleani exustus 109
iacobus Bretanus exustus 190
iacobus Faber exustus 214
iacobus Bouellus Martyr 337
idolomania publice confutata 300
idola à clerico confracta 43
idola à martyre contempta 307 317. & 324
idolatria contempta 282
ieiunium uerum quod 135.256. & 273
Iesus Christus est Deus 131
ignis nequit accendi 37
imagines ubi ferendæ 88
imagines cur faciendæ 157
infantes baptizandi 88
inscriptorum annus in Gallia 78
institutio ad pietatem quæ 102
Interim, noua doctrina 199
inuocatio sanctorum an licita 86
Ioannes de Chlum amicus Huſsi 4.11
ioannes Pontifex condemnatus 18
ioannes Castellanus Doctor degradatus 40
ionnnes Castellanus exustus 42
ioannes Clericus Metis martyrizatus 43
ioannis Pistorius in Holandia exustus 44
ioannis pistorij doctrina & pietas 44
ioannes Heuglein Merseburgi combustus 60
ioannes Kloperey ad perpetuos carceres dãnatus 67
ioannes Cadurco in Gallia exustus 72
ioannes Ponitet Lutetiæ exustus 72
ioannes à Burgo exustus 79
ioannos à Pisis Atrebatensis martyr 80
ioannes Cornon Matisconе crematus 81
ioannes Becus Trecis crematus 85
ioannis de Buck martyr 100
ioannes de Roma crudelitas 112
ioannes Durândius hortatur Merindolienses ad ab-
ioannes Briselanus Martyr 146 (iurationem 140
ioannes Flechus martyr ibidem
ioannes Marteslonus Martyr ibidem
ioannes Baudonius Martyr 146
ioannes Biquerius martyr ibidem
ionnes Diazius à Maluenda accusatus 160
ioannis Diazij martyrium 158
ioannes Diazius interfectus 169
ioannes Bruggerius exustus 178
ioannes Bruggerius solatur carnificem 183
ioannis Friderici electoris in cõfessione cõstantia 183
ioannes Seraphinus Lutetiæ crematus 190
ioannes Taffigon exustus ibidem
ioannes Anglus apud Senones exustus ibidem
ioannes Camus exustus 190
ioannes Brentius in exilium relegatus 200
ioannes Godæus Chamberiaci exustus 206
ioannes Andreas piorum Lutetiæ proditor 207
ioannes à Puteo strangulatus 219
ioannes Ioerus Tholosæ exustus 217
ioannis Chamboni latronis conuersio 240
ioannes Mollius Romæ exustus 265
ioannes Frisius Abbas in Bauaria officio semotus 283
ioannes Filiolius in Gallia martyr factus 302
ioannes Trigaletus Cameriaci crematus 310
ioannes Vernutius Cameriaci exustus 310
ioannis Vernutij epistola ad fratres 315
ioannis Vernutij infirmitas corroborata 317
ioannes Aloysius Pascalis martyr 337
ioanna Bayli exusta 190
ioanna Seiurna exusta ibidem
iodocus Louerinus inquisitor in Holandia 44
Iudices piorum puniti à Deo 57. & 142
iudicium triplex de martyre 72
iudicium hominum de martyribus 78
iudicium de parricidis dilatum 172
iudicium Dei de reprobris 198
Iulianus Leueille Sãpetri in Gallia martyrizatus 302
Iulius tertius Pontifex 203

mentum ob ueritatem dicendam datum 317. & 324
Iustus Imbsbergerus decollatus 101
iustitia duplex 196
iustificatio fidei 87
iustificatio non ex operibus sed fide 232
iustificatio uera sola fide comparatur 155
iuuenis pius tormentorum globulis petitus pro scopo 143

L

L. Kentzingensis scriba occisus 65
Lalamus piorum persecutor 214
Latomi horrenda mors 218
latro donatur beneficio 81
Laurentius Crucerus Lutetiæ exustus 76
Lausanna studijs floret 209
Leonhardus Kefer in Bauaria exustus 63
Leonhardus Galimardus Lutetiæ exustus 184
Leonardus Pratensis Lutetiæ exustus 189
lex cur data 234
legis Mosaicæ usus 135
liberi ut instituendi 244
liberum arbitrium an sit 87
liberum arbitrium an sublatum 232
libertate Christiana non semper utendum 224
libri sanctorum ab impijs exusti 18
libri suspecti inquisiti in Auernia 181
librorum propagatorum usus 284
Librarius Auenione exustus 122
D. Licentiatus Ponitet per tres horas degradatus 72 (102
ligna martyrio piorũ absumpta pauperibus danda
limbus patrum an sit 296
lingua cognita orandum 288
linguarum excisio quando in Gallia cœpta 77
lingua excisa martyr loquitur 206
lingua excisa martyres loquuntur 305
Locarnensium aliquot in exilium missi 328
Lolardi qui 2. & 111
Lucas Euangelista notatus 257
Louanij fideles perturbati 96
Ludouicus Perquinus Lutetiæ crematus 68
L. Berquinus sæpius seruatus 69
Ludouicus Marsacus exustus 254
Ludouici Borbonij Cõdensis ducis cum alijs Galliæ proceribus confœderatio 344 uide Condæum
Ludouica regis Francisci mater fauet pijs 69
Lugdunum Euangelium recepit 346
Lutetiæ Euangelium prædicatum 78
Lutetiam solis regibus armis ingredi licet 353
M. Lutherus superstitiones reprehendit 35
Lutheranum nomen 111
Lutherani an pij dicendi 74
Lutherani qui dicantur 207
Lutherani ut ab alijs dignoscantur 126
Lypsensis Academia 2

M

Macæus Moreau Trecis combustus 106
magistratuum usus 136
Magdenburgensium constantia 206
Magnus Ioannes Chamus exustus 190
Mailardus doctor Sarbonicus 208
Manginus excisa lingua loquitur 150
Marchio Badensis Euangelium suscipit 333
Marcus Euangelista notatus 257
Margarita Nauarræ regina Euangelij doctrinam amat 78
Maria non inuocanda 69
Maria semper uirgo 89
Maria uirgo ut honoranda 224. & 251
Maria uirgo ut colenda 230
Maria Becaudella Essaris exusta 80
Maria regina Angliæ 249
Maria regina Angliæ mortua 336
Mariona Tornaci uiua sepulta 100
Mariona alia uiua defossa 188
Marquina excusat Diazium 160
Marranismus quid 210
Martialis Albus Lugduni exustus 227
Martinus Gouin in Gallia submersus 73
Martinus Gonin clàm supplicio affectus 75
Martinus Hourbloch Gandaui martyrizatus 108
Martinus Bucerus Ecclesiastes Argentinæ 84
Martini Buceri prudentia 167
Martinus Bucerus in Angliam tendit 200
Martinus Frechtius 167
Martinus Frechtius in exilium actus 200
martyr illæsus per horam in igne 82
martyr solatur suam uxorem 95
martyr ligna quibus exurendus erat persoluit 249
martyres gaudentes confitentur ueritatem 224
martyrum patientia 36
martyrum mors Ecclesiæ utilis 245
martyrum in cruce solatium 329
martyrij causa in pijs 38
martyrij pœna leuis 157
Mathias Vueybel circa Campidonum suspensus 58
Matthæus Orrius inquisitor fidei in Gallia 181
Matthei Gribaldi epistola de Spiera 191
Matthæus Dymonetus Lugduni exustus 261
Matrimonium non est sacramentum 321
matris constantia in filij martyrio 43
Mauricius Scenat Nemausij crematus 215
Maximilianus rex Romanorum electus 348
Meldensis ecclesiola 147
mercator ob iocum in Monachos suspensus 217
mercatura bona conscientia usurpanda 154
Merindolienses damnati 113
Merindolienſium commendatio 125
Merindolensium confessio 130
Merindolienſium actio forensis de religione 141
Merindolij excidium 111
Merindolium solo æquatum 143
Michael de Causis accusator Hussi 5
Michael Cailotus martyr 146
Michaelis Piquerij pœna 150

michael Mareſthal exuſtus 190
michael Tornacenſis crematus 199
michael Faber exuſtus 214
michael Herpffer parricidas perſequitur 170
michella Caignoncle exuſta 215
michelotus Serra martyr 112
minerius piorum perſecutor 142
minerij horrendus exitus 145
miocij conſtantia ad ignem uſq; 100
miraculorum uſus 255
miraculum in lingua mota 54
miraculum ingens in morte martyris 68
miraculum Dei in pijs liberandis 71
miraculum ingens circa ignem 83
miraculum ſine lingua loquentis 206
miraculum circa corpora ab igne illæſa 110
miſericordia Dei ampla 193
miſſæ abominandum ſacrificium 75
miſſa an cœna Domini 86
miſſa in ſcriptura non eſt 221
miſſa Chriſtianis uitanda 250
miſſa an à Ioanne celebrata 259
miſſa & cœna differunt 325
miſſarum pompa notata 58
Molinus & Morinus Iudices in Gallia 77
monachus confeſſor conuerſus 109
monachorum ſtupiditas 52
monachi dictum de Chriſtianorum ſcientia 57
monachi Franciſcani increpati 153
monachi duo ob religionem Romæ occiſi 265
mors piorum cur læta, & Chriſti triſtis fuerit 204
mors piorum gratus odor 205
morte fidelium Deus glorificatur 258
la Moite Aurelatenſis chirurgus 145
Mulieris Auguſtanæ periculum 208
mulieris inconſtantia pij proditi in Hannonia 187
mulieres quadraginta exuſtæ 144
mulierum fidelium in Flandria pœna 100
mulieribus non reſiſtendum 116
mures condemnati 124

N

Naſo accuſat Hieronymum 27
nauiculam Chriſti qui turbent 100
Neapolitana perſecutio 337
neeli in martyrio conſtantia 280
Nicolaus Antuerpiæ ſubmerſus 15
nicolaus Valleton us exuſtus 79
nicolaus ſcriba Atrebatenſis martyr 80
nicolaus de Poule martyr 110
nicolaus Thieſen exuſtus 156
nicolaus Gallus in Hannonia exuſtus 186
nicolaus Nailus Lutetiæ crematus 282
Nobilium proteruitas 51
nobiles à ſacerdotibus non laceſcendi 118
noribergæ Huſſus gratus 5

O

Opera bona quæ 135
oratio ardentiſsima 102
oratio piorum ardens 238
orationes in cognita lingua habendæ 288

P

Pagi piorum deleti in prouincia 142
palatinatus Euangelium ſuſcipit 333
panis cœnæ in quo differat à quotidiano 235
papa an Petri ſucceſſor 107
papa an antichriſtus 153
papa an Antichriſtus 323
papa an Eccleſiæ caput 231
papa non caput Eccleſiæ, ſed uerus Antichriſtus 251
papæ authoritas quæ 274
papæ poteſtas quæ ſit 290
paradiſus ubi 106
Paris Panier Dolæ decollatus 269
pariſienſes accuſant Huſſum 13
parricidis aduocati dati 171
paſtorum in eccleſia officium 136
pater noſter ut pronunciandum 62
pater hortatur filium ad conſtantiam 45
patientiæ commendatio 93
patientia commendata 331
paulus Apoſtolus notatus 257
pauli epiſtola ad Romanos explicata 264
pauperes de Lugduno qui 111
pax in Germania conſtituta 332
pax omnibus Chriſtianis exoptanda 360
Peccatorum remiſſio unde 132
peccatorum remiſſio à ſolo Deo 221
pediculorum copia in captiuis 242
peregrinatio uera quæ 277
perſecutio ſanctorum fidem probat 91
perſecutoris horrenda mors 112. & 113
perſecutores piorum puniti 216
Petrus an caput Eccleſiæ 231
Petrus Spenglerus ruſticos in tumultu caſtigat 49
petrus Fliſtedem Coloniæ exuſtus 66
Petrus Viretus Geneuæ miniſter 74
petrus Gaudet eques Rhodienſis martyrizatus 81
petrus Brulius Belgarum Eccleſiaſtes, 84
petrus Brulius Tornaci exuſtus 84
petrus Mioce Tornaci exuſtus 97
petrus Latomus Valdenſium legatus 112
petrus Biquerius martyr 149
petrus Clericus martyr 146
petrus Libertus præſes Pariſienſis 149
petrus Maluenda collocutor 157
petrus Nauiherus Lugduni exuſtus 227
petri Scribæ Confeßio 228
petrus Scribæ Lugduni exuſtus 227
petrus Bergierus Lugduni exuſtus 240
petrus Bergierus ſolatur literis uxorem 143
petrus Denochæus Carmiti exuſtus 280
petrus Serra Toloſæ martyrizatus exuſtus 281
petrus de Val Nemauſi combuſtus 284
Philippus Paruus martyr 146

Philippi Landgrauij captiuitas 239
Pius se ipsum primò accusat 45
Poloniæ conuentus religionis causa 333
Pomponius Algerius Romæ crematus 329
Pontifex pollicetur Hußio defensionem 5
Pontifex Ioannes Constantia auffugit 9
potus martyribus negatus 67
Pragensis Academia 2
principes facile irritantur 46
prodigium columbæ supra ignem 335
proditorum simulata pietas 165.169
Protestantium confessio 72
prouidentia Dei erga pios 237
prouidentia Dei omnia fiunt 249
pueri in religione se mutuo interrogant 139
purgatorium pera sacrificulorum 67
purgatorium quid 86
purgatorij ratio quæ sit 106
Petrus Lisetus præses Curiæ Parisiensis 179
purgatorium extra Christum nullum 224
purgatorium uerum quod 229
purgatorium est sanguis Christi 270
purgatio peccatorum uera 289

Q

Quadragesima uera quæ 223
Quoquillardus Vesontione martyrizatus 80

R

Ratisbonense colloquium 159
reuocandi formula pijs præscripta 39
rex hominem cremat in uictimam 218
Rhodienses equites notati 212
Richardus Feurus Lugduni exustus 286
Richardus à personatis hominibus liberatus 291
Richeboi calamitas 343
Rochus statuarius exustus 158
Romaigna regio Euangelium audit 201
Romæ magna scelera 357
Romanæ urbis sanctitas 31
Romana ecclesia quid 221
Rothomago capto multi martyres facti 346
rusticis tumultuantibus calamitas prædicta 49
rusticorum seditio notata 58
rusticus in piorum transitu martyribus annumeratur 149

S

Sacerdotium uerum quod 277
sacerdos pius ad ædes proprias suspensus 48
sacerdos pius præter expectationem decollatus 60
sacerdos impius occidit pium 81
sacerdos pius in Germania occisus 174
sacerdotum uita miserrima 282
sacerdotes non castigandi 116
sacramenti ratio 85
sacramenti nomen cur in usu 222
sacramenti adoratio 86
sacramenti cœnæ explicatio 77
sacramentum cur sub utraque specie sumendum. 109. Vide corpus
sacramenta duo tantum 221
sacramenta gratiam non conferunt 233
sacrificium unicum uerum 324.
Sadoleto cardinali Vualdẽsium confessio oblata 136
Sadoleti iudicium de Merindoliorum doctrina 137
D. Sadreßij proditio manifestata 359
Saintinus Niuetus Lutetiæ martyr. 175
Salicæ leges 349
sancti an uenerandi 86
sancti an inuocandi 224.
sancti ut honorandi 251. & 304
sanctorum cineres collecti 156
sanguis Christi uerum purgatorium 270
Sarctor coram rege Gallorum exustus 185
Sarctoris Lypsiæ desperatio 198
Scandalum uitandum 224
Scoti Euangelium recipiunt 339
scribendi instrumenta martyribus in carcere desunt 209
Scriptura sacra quid 130
Scriptura sancta quæ 252
Sebastian Breitenstein abbas ob fastum notatus 58
Senonensium horrenda persecutio 343
Seruetus Geneuæ punitus 319
serui erga dominum pietas 218
Sextiense senatus consultum 113
Sigismundus Imperator literas salui conductus dat Hußio 4
S. Imperator condemnat Hußium 15
Sigismundus Litotomus martyrizatus 51
Simon Gryneus Spiræ liberatus 71
Simon Musicus combustus 79
Simon Mareschal exustus 190
Simon Laloe Diuione martyrizatus 283
Simonis Florilli epistola 337
Smalkaldicum fœdus 68
Sorbonistarum in pios crudelitas 208
F. Spieræ horrenda mors 198
Spiritus sanctus 132
Statuæ quatenus effingendæ 157
Steffanus Paletz accusator Hußi 5
Steffanus Forgeus exustus 80
Steffanus Burletus Atrebatensis martyr 80
Steffanus Brunus reuocat, & pœnitentia ductus ad martyrium redit 83
Steffanus Brunus Ebreduni occisus 82
Steffanus magnus martyr 146
Steffanus Polliothus cum libris exustus 173
Steffanus Lignifaber crematus 254.
Stephanus regius Carnuti exustus 280
submersionis in Gallia modus 76
Sueuia Euangelium suscipit 81
Symboli Apostolici uera confessio 62

T

Tameri frater à fide deficiens se suspendit 217
templorum uerus usus 276
Theologus fit ex Lutheranorũ articulis doctior 139
Theophredus Varaglia Taurini occisus 334.

Thomas

1799992

Thomas Rhedonensis Romæ exustus 31
thomas Honoratus martyr 146
thomas Sanpaulinus Lutetiæ martyrizatus 207
Timidus in periculo fit fortis 189
Tormentum nouum contra pios 112
tormentum execrandum 184
tormenta inaudita 51 & 105
tormentorum assiduitas 76
tormentorum uis contempta à martyre 208
tortoris Diuionensis mirabilis conuersio 283
Traditiones humanæ an seruandæ 88
traditiones humanæ quid prosint 275
transsubstantiatio an sit 85
transsubstantiationis uanitas 313
tridentina synodus 158
tridentinum concilium restauratum 214 & 340
trinitatis ratio 130
triremium pœna pijs iniuncta 324
Turca non cogit ad religionis abnegationem 212
turrelupini qui 111

V

Vassei centum martyres facti 341
ualedictio martyrum miseranda 239
Venetorum tituli 332
uerbum dei omnibus linguis proponendum 122
uerbi dei authoritas 273
uerbi dei certitudo unde 313 & 322
uerbo dei fides firmatur 284
uerba scripturæ non intellecta an prosit cognoscere 139
D. Vergerij episcopi colloquium cum Spiera 193
ueritas ubiq; annuntiata 186
ueritas dissimulata parit dolorem pijs 247
ueritatis abnegatio summa crux 201
uestis sannionum martyribus inducta 77
Vicinus prodit uicinum 216
uiduæ ut nubendum 244
uiæ duæ 94
Vnctio non est sacramentum 322
Vocatio pijs ministris expectanda 154
uoluntas nostra nobis insidiatur 218
uotum quod uouere liceat 277
uota quæ Christiano præstanda 89 & 252
Vrsula et Maria nobiles uirgines in Delden exustæ 110

Vu

Vualdensium appellationes 111
ualdenses religionem percipiunt 73
ualdenses reformant suam Ecclesiam 112
ualdensium legatio in Germaniam eodem
ualdenses in Taurinis oppugnati 340
Vuendelmuta in Holandia exusta 65
uuentzelaus rex pro Hussio intercedit 3
uuentzelaus de Duba amicus Hussi 4 & 11
Vuicleffi doctrina à pontifice suppressa 1
uuicleffi ossa post mortem exusta 2
uuicleffi libri in Bohemiam deportati ibidem
uuicleffi libri à Hussio probati 3
uuienna à turcis obsessa 67
uuilhelmus de Suuollen Mechliniæ exustus 68
uuilhelmus à Quercu insidiatur pijs 69
uuilhelmus Budæus 70
uuilhelmus ferellus 74. Geneuæ docet 76 uide guilhelmus
uuirtenbergicus ducatus euangelium suscipit 73
Vuolffgangus Schuch in Lotharingia crematus 54. & 57
uuolffgangus Musculus in exilium actus 300
H. Zuuinglij interitus 72

BASILEAE Apud Nicolaum Brylingerum, 1563.

manſi in ſolitudine.

manſi in ſolitudine.

in deſerto.

in deserto.

SEMPER

Festinabo ut saluer.
ab spiritu tempestatis
et turbinis.

Precipita dñe diuide linguas
eorum. qm̃ uidi iniquitatẽ
& contradictionẽ in ciuitate.

Die & nocte circumeunt eã
muros eius scelus. & dolor in
medio eius insidiæ in
uitalibus eius.

Et non recedit de plateis eius
dampnũ & fraudulentia.

Non enim inimicus exprobrauit
mihi ut sustineam.

Neq; is qui me oderat super
me magnificatus est.
ut abscondar ab eo.

Sed tu homo unanimis m̃s
dux m̃s & notus meus.

Qui simul habuimus dulce
secretũ. in domo dei
ambulauim̃ cũ terrore.

Veniat mors sup eos.

manſi in ſolitudine.

DIAPSALMA.

Expectabam eũ qui saluum
me fecit. a pusillanimitate
spũ & tempestate.

Precipita dñe diuide linguas
eoy. qm̃ uidi iniquitatem
& contradictionẽ in ciuitate.

Die & nocte circumdabit
super muros eius iniqui
tas. & labor in medio
eius et inusticia.

Et nõ defecit de plateis eius
usura et dolus.

Qm̃ si inimicus maledixisset
m̃ sustinuissem utiq;.

Et si is q̃ oderat me sup me
magna locutus fuisset
abscondissẽ me forsitan ab eo.

Tu uero homo unanimis.
dux meus & notus m̃s.

Qui simul mecũ dulces capie
bas cibos. in domo dei
ambulauim̃ cũ consensu.

Veniat mors super illos. et

manſi in ſolitudine.

DIAPSALMA.

Expectabam eũ qui saluum
me faciat. a pusillanimitate
spũ et tempestate.

Precipita dñe diuide linguas
eoy. qm̃ uidi iniq̃tatem
& contradictionẽ in ciuitate.

Die & nocte circumdabit
super muros eius iniqui
tas. & labor in medio
eius et inusticia.

Et non defecit de plateis
eius. usura & dolus.

Qm̃ si inimicus m̃s maledixiss
m̃ subportassem utiq;.

Et si is qui oderat me sup me
magna locutus fuisset.
abscondere me utiq; ab eo.

Tu uero homo unanimis.
dux m̃s et notus m̃s.

Qui simul mecũ dulces capi
ebas cibos. in domo dei
ambulauim̃ cũ consensu.

Veniat mors sup illos. et

3207